348.341 3.N

DE

# VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

## INSTRUCTIO S. C. CONCILII

EDITA IUSSU

S. M. BENEDICTI XIII.

EXPOSITA ET ILLUSTRATA

ET QUAM HUMILLIME DEDICATA

S. M. PIO IX. PONT. O. M.

PER

ANGELUM LUCIDI

a scribendis literis ad relationes Episcoporum in S. C. Conc.
et caus. summ. ref. in S. C. Episc. et Regul.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
3e8.34
L963

---

Editio tertia

ab innumeris mendis purgata et pluribus additionibus aucta

PER

P. IOSEPHUM SCHNEIDER S. I.

2
26.586
BIBLIOTHECA PRIVATA S. I.
ALMA COLLEGE
California

---

Volumen secundum.

---

Jus Can - IV - 29

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROP. FIDE.

MDCCCLXXXIII.

3859

*Editor sibi vindicat ius proprietatis.*

# INSTRUCTIONIS S. C. CONCILII
# DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM
## EXPOSITIO.

### CAPUT QUARTUM.

**De quarto relationis capite ad clerum regularem pertinente.**

« I. An Regulares curam animarum exercentes, qui episco-
» pali iurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae
» ad curam pertinent et administrationem Sacramentorum, mu-
» nus sibi commissum fideliter adimpleant iuxta ea, quae in
» praecedenti capite dicta sunt de parochis saecularibus ».

Summarium. 1. Amplissimam materiae segetem haec paragraphus suppeditaret, si plene absolvi deberet. – 2. Bened. XIV. in Constit. *Firmandis* de parochiis ad Regulares pertinentibus cumulate agit; ac modum suggerit, quo amputantur quaestiones tum a doctoribus iam agitatae, tum eae, quae forsan oriri possint. Hinc S. C. Concilii in responsionibus ad Episcoporum relationes eiusdem Constitutionis observantiam pro more inculcat. – 3. 4. S. C. Conc. in *Olomucen.* resolvit, quoscumque monachos parochia auctos teneri visitationem episcopalem subire, procurationem solvere, festa dioecesis annuntiare ac celebrare, et chrisma et olea ab Episcopo accipere; eosdem non posse ad parochiam deputari sine Episcopi licentia, neque etiam in coadiutores dari; posse Episcopos licentias confessariorum limitare; non posse Regulares ad lubitum suum pro parochiis modo unam, modo aliam ecclesiam vel capellam constituere sine Episcopi licentia; a Regularibus in parochiis, etiam ex iurepatronatus laicali acquisito vel cesso ad se pertinentibus, sine licentia Episcopi non posse parochos deputari, vel removeri. – 5. 6. 7. Eadem fere censuit S. C. Conc. in aliis similibus causis. – 8. In *Perusina* declaravit, Episcopum visitantem iuxta consuetudinem exigere posse procurationem, visitare aedes parochiales, sacras supellectiles, templa, eorumque ornatum, et libros parochiales inspicere. – 9. Episcopi possunt praescribere, ne parochi regulares excedant taxam pro emolumento stolae a se pro saecularibus constitutam. – 10. Quamdam consuetudinem in possessionibus suscipiendis praeter id, quod a iure canonico requiritur, in dioecesi N. N. obtentam observari iussit S. C. Episc. et Regul., sublatis abusibus.

1. Nullum aliud fortasse caput Benedictinae Instructionis tam copiosam ac multiplicem materiae enucleandae segetem suppeditat quam hoc, in quo de clero regulari sermo habendus est. Quoniam vero instituti ratio, quam Benedict. XIII. sibi proposuit, ad huius provinciae partem eam tantummodo sese exserit, in qua Episcopis quoquo modo cum Regularibus res est, et quod superest, uti alienum est seponendum, hinc labor noster hisce limitibus circumscriptus non multum certe negotii nobis erit allaturus. Primus autem ac praecipuus titulus, ob quem Episcopi cum Regularibus rem habent, sine dubio est animarum cura, quae ab his haud raro aliquo loco geritur. De hoc itaque argumento agit prima huiusce capitis paragraphus.

2. Iamvero omnia, quae in hac paragrapho scitu vel necessaria vel opportuna possunt occurrere, ita praeoccupavit collegitque Bened. XIV. in Constit. incipien. *Firmandis* diei 6. Novembr. 1744., ut qui eam perlegat, plenam accuratamque ea de re tractationem habere sibi videatur. In hac porro non solum controversias omnes, quae a doctoribus antea agitabantur, declarationibus Sacrarum Congregationum ad illud usque tempus editis adamussim inhaerens perpetuo diremit composuitque, sed etiam certam et claram tradidit normam, qua quaestiones omnes, quae circa hoc argumentum suboriri in posterum possent, discuterentur tutaque ratione terminarentur. Itaque S. C. Conc. in suis ad Episcopos de relato statu dioeceseos responsionibus solemne habet, opportunitate data, Constitutionem hanc allegare. Et cum nonnunquam accidat, ut eiusdem sanctiones non satis, ut par est, observentur, eadem S. Congreg. nullam occasionem abire permittit, quin ad eorumdem Antistitum memoriam Constitutionem huiusmodi revocet, et accuratam observantiam impense praescribat; integram eam exhibebimus volumine III. sub *num. 42.*

Quod reliquum est, rem non inutilem nos facturos esse arbitramur, si quasdam declarationes S. Congr. Conc. post editam illam Constitutionem emissas hic addere suscipiamus.

3. In *Olomucen. Iurisdict.* 7. Iunii 1755. inter Patres Praemonstratenses, Cistercienses et Benedictinos ex una parte, et inter Episcopum ex altera suborto dissidio haec dubia proponebantur: « 1. An parochi regulares, cuiuscumque Ordinis illi sint, » praesertim Praemonstratenses, Cistercienses et Benedictini, exer» centes curam animarum personarum saecularium, et non com-

» mensalium in parochiis in dioecesi Olomucensi, licet illae mo-
» nasteriis exemptis sint unitae et annexae, sive sint de iurepa-
» tronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in Abbatibus,
» visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent
» ad curam animarum, sive Episcopus visitet per se, sive per
» alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum? Et
» quatenus affirmative, 2. An dicti parochi procurationem sol-
» vere teneantur? Vocati ad Synodum accedere sint cogendi?
» Festa dioecesis populo annuntiare et celebrare? Pariter chrisma
» et olea sancta ab Episcopo dioecesano accipere teneantur?
» 3. An parochi regulares, etiamsi sint Abbates, possint a Su-
» perioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque
» exercere sine approbatione Episcopi? 4. An Regulares dari in
» coadiutores dictorum parochorum possint a Superioribus re-
» gularibus sine expressa licentia Episcopi: sive potius sit in po-
» testate Episcopi in approbatione confessariorum regularium li-
» mitare eorumdem facultates non solum quoad tempus, sed etiam
» quoad personas et loca, in quibus debent confessiones audire?
» 5. An liceat sive Abbatibus, sive parochis regularibus, praeser-
» tim Cisterciensibus, pro libitu, et sine licentia Episcopi pro
» parochiis modo unam, modo alteram ecclesiam sive capellam,
» in qua Sacramenta a parochis administrentur fidelibus dioe-
» cesis Olomucensis, constituere? 6. An Praelati regulares, ubi
» habent purum iuspatronatus parochiarum acquisitum, vel ces-
» sum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo
» praesentare sacerdotes saeculares, ut antea laici tenebantur:
» an vero possint substituere monachos, eosque pro libitu, non
» salutato Episcopo, removere? »

4. S. Congr. respondit: « Ad 1. et 2. Affirmative. Ad 3. Ne-
» gative. Ad 4. Negative ad primam partem, affirmative ad secun-
» dam (1). Ad 5. Negative. Ad 6. Affirmative ad primam par-
» tem, negative ad secundam. » Et iterum proposita causa die

---

(1) Porro licere Abbati religiosos vicarios vel cooperatores cum approbatione Episcopi iam electos ad libitum amovere et alios subrogare in exercitio curae animarum, certiore tamen facto Episcopo, declaravit Sacra Congr. Conc. in *Passavien.* 28. Iulii 1731. ad 2. et 3., ubi ad 4. itidem definivit, posse Episcopum procedere iuris remediis contra Abbatem et Religiosos curam animarum exercentes in ecclesiis monasterio unitis, vel Regularium patronatui subditis sine Episcopi ipsius approbatione.

2. Augusti eiusdem anni, interrogata: *An standum vel recedendum a decisis?* S. C. respondit: « In decisis ».

5. Huiusmodi decretum a s. m. Clemente XIII. die 11. Decembr. 1758. pro ecclesiis quoque *Colonien., Monasterien., Osnabrugen., Paderbornen., Hildeshemen.* confirmatum est. Vide *Bull. Rom. Cont. tom. 1. p. 72.*

6. In *Palentina* 9. Febr. 1760. dubium concinnatum fuit: « An » liceat Priori et canonicis S. Isidori Legionensis exerceri facere » curam animarum ecclesiae parochialis S. Mariae de Monte Sion » in Villa de Herria per presbyterum saecularem, aut alicuius » Ordinis regularem ad eorum nutum amovibilem sine Ordinarii » Palentini licentia, approbatione et examine in casu? » S. Congr. respondit: « Negative. »

7. Non dissimile controversiae caput ventilabatur in alia *Palentina Iuris visit.* diei 18. Febr. 1764., nec dissimilis responsio prodiit.

8. In *Perusina* diei 22. Novembr. 1834. dubia proponebantur: « 1. An Episcopus Perusinus visitans ecclesias, seu vicarias » animarum curam habentes, subiectas seu unitas monasterio » Cassinensium, possit exigere procurationem in casu? 2. An » possit visitare aedes parochiales in casu? 3. An praeter ea, » quae curam animarum respiciunt, visitare possit sacras supel- » lectiles in casu? 4. An templa eorumque ornatum in casu? » 5. An libros parochiales in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. » 2. 3. et 4. Affirmative », addita in omnibus clausula *iuxta con-* » *suetudinem.* « Ad 5. Affirmative, » non addita ea clausula. Et causa iterum proposita die 5. Septembr. 1835., S. C. respondit: « In decisis in omnibus. »

9. Aliam, licet paulo antiquiorem, addimus declarationem, quam nosse non erit inutile. Cum ab Archiepiscopo Manilensi super infrascripto dubio ad S. C. Conc. recursus fuisset: « An » iurisdictio, visitatio et correctio in *Cap. 2. Regul. Sess. 25.* » Episcopis tributa super parochis regularibus intelligatur ea- » dem, quam super parochis saecularibus habent, et ideo, » si dictos parochos regulares Episcopus poterit compellere, ne » excedant taxam ab ipso factam super emolumentis baptisma- » tum, matrimoniorum, funeralium, et aliorum, etiamsi ad hoc » licentiam ab eorum Superioribus regularibus vel capitulis pro- » vincialibus habeant? Eadem S. C. respondit, in Regulares cu-

» ram animarum personarum saecularium exercentes in his, quae » dictam curam et Sacramentorum administrationem concernunt, » Episcopum eadem auctoritate uti posse, qua in parochos sae- » culares, ideoque Regulares ipsos in emolumentis, uti propo- » nitur, legitime percipiendis prohibere posse, ne excedant ta- » xam ab Episcopo praescriptam. » Quod decretum Urbanus VIII. die 9. Maii 1626. confirmavit. *(Bull. Rom. Tom. V. part. 5. pag. 415).*

10. Adest in dioecesi N. antiquissima quaedam consuetudo, ut vicarii regulares paroeciarum, quae monasteriis pleno iure, idest in spiritualibus ac temporalibus, unitae sunt, posteaquam a Praelato regulari nominati et ab Episcopo approbati fuerint, in parochialis administrationis possessionem a decano rurali immittantur per hanc, quae sequitur, formam. Coram populo literas institutionis hic in ecclesia legit, symbola spiritualia, nempe stolam, evangelium, claves, aliaque id genus tradit, ac sermonem de officio parochi ac parochianorum habet. Mos iste servatur etiam in actu possessionis cum parochis saecularibus, nisi quod pro illis rerum tantummodo spiritualium traditio peragitur. Id vero consequuntur convivia, clamores, sonitus, aliaeque abusiones. Itaque Abbas monasterii Ord. S. Benedicti loci N. huiusmodi abusibus occurrere cupiens, consuetudinem hanc de medio tollere inhiabat, cum praesertim, ceu docet Ferraris verb. *Vicarius curatus n. 46.* cum aliis doctoribus, post approbationem ab Episcopo editam *nulla alia requiritur collatio et institutio.* Contradicente Episcopo locali delata res est ad S. Congreg. Episc. et Regul. in eaque dubium propositum est in N. N. *Miss. in poss.* 19. Septembr. 1862.: « An et quomodo servanda » sit consuetudo in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Affirma- » tive, sublatis abusibus quoad expensas et clamores. » Porro in consultatione typis edita inter alia perpendebatur, hanc consuetudinem iamdiu vigere, eamque non esse *contra ius,* quamvis *praeter ius.*

## APPENDIX.

SSmi D. N. Leonis XIII. Constitutio Romanos Pontifices, qua nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae definiuntur.

Romanos Pontifices, Decessores Nostros, paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX. in Litteris *Universalis Ecclesiae* III. kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL. datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta, quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe,* inquit s. Irenaeus, (*Adv. haer.* lib. IV. cap. 26. n. 2). *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum s. Cyprianus monet, (Epist. 29. *ad lapsos.*) *ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus: *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subiecta* (Lib. *adv. Iudaeos* cap. 5.). At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia tum cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus percipererentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere, quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis, stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis, quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis, quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt, quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus, quae propositae sunt, per hanc Constitutionem pronuntiamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum, quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu, in quem illa oporteat converti.

Ad Regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur (Concil. Trid. Sess. 23. *de sacram. ord.* can. 7.); tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* (S. Gregor. M. Epist. III. lib. IX. – Bened. XIV. Epist. Decret. *Apostolicae servitutis,* prid. Idus Mart. 1742.) consultum, haud immerito Romani Pontifices, quarum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos attribuere, Clerum Regularem ab Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est, ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici Maximo propter primatum Pontificium immediate subesse, oporteret (Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.), in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV. in Constit. *Apostolicum ministerium,* III. kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII. memoratos Missionarios

Regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi (Innocent. X. Constit. *Instaurandae,* die 15. Octob. 1652., Constit. *Ut in parvis,* die 10. Februar. 1654.) constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus..... quibus coenobia quaecumque prohibentur »; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio facit, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo, atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII. *Quoniam* IX. kal. Iulii MDCIII., Gregorii XV. *Cum alias* XVI. kal. Septemb. MDCXXII., Urbani VII. *Romanus Pontifex* V. kal. Septemb. MDCXXIV., itemque Constitutiones Innocentii X. non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas (S. Cong. de Prop. fide 30. Ianuarii 1627.; 27. Martii 1631.; 5. Oct. 1655.; 23. Septembris 1805.; 29. Martii 1834.). Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII., utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI. Idus Novembris MDCI. decreverat, eos « reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra — » quamobrem—in concernentibus curam animarum Ordinario loci » subesse; in reliquis vero non Ordinario loci sed suis Superio» ribus subiectos remanere. » — Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV. in suis Constitutionibus *Quamvis* V. kalend. Martii MDCCLXVI., *Cum nuper* VI. Idus Novembris MDCCLI., et *Cum alias* V. Idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de

quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum, ubi Vicarii Apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt: de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV. significavit inquiens: « Regulares An- » glicanae missioni destinatos illuc proficisci in bonum sanctae no- » strae religionis ». Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII., cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos Antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei E- » vangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam ». Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime » gaudent, quamvis extra monasteria ut plurimum degant. »

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus, Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis, quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc, quam definivimus controversiam, altera excipiebat affinis, de obligatione, qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti, quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV. praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum » tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et » administrationem ecclesiae.... ceteros omnes curam, quam ha- » bent animarum, cum dependentia a primo exercere. » (Dec. 10. n. 10). Comperta itaque natura facti, de quo agitur, et semota

tantisper ea quaestionis parte, quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV. Constit. *Firmandis* § 6. VIII. Idus Novembr. MDCCXLIV., et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit (*Forosempronien.* 6. Septem. 1650. Lib. 19. Decret.). Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum: « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum. » Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum (*Forosempronien.* 12. Maii 1681. Lib. 53. Decret. fol. 258. *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12. Martii 1718.). At nos minime praeterit, Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV. auctoritate Bened. XIII. iussisse confessarios omnes etiam ex Ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare, « dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur». Quum autem quod sine effectu geritur, id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas Regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum Rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est Sess. 24. cap. 2. *de Reform.*): « Synodi quoque dioecesanae » quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias » cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis genera- » libus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochia- » lium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, » debent ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Sy-

» nodo interesse ». Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV. (*de Synod. dioec.* lib. 3. Cap. 1.§ 11.). Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII., III. kalendas Aprilis MDCXCI., quo cavetur, ut ad Synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque Antistites domorum religiosarum, quas Innocentius X. Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII. ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio, quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis, quae ad curam animarum et Sacramentorum administrationem referuntur (Concil. Trid. Sess. 25. cap. 11. *de Regular.*), ceterisque in rebus, « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. » Innoc. IV. Cap. 1. *de Privileg.* in 6.). Profecto dubitare non licet, quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit: « siquidem, Gelasio I. (Epist. 7. *ad Episc. Dardan.* ann. 495. Tom. 2. Collect. » Harduini) et Nicolao I. (Epist. 8. ad Michael. Imperat. Tom. 5. » Collect. Harduini) auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte » canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare » permissus. » Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio, quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo* (Bened. XIV. *de Synod. dioec.* Lib. 13. Cap. 5. §. 2.). At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra Regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdi-

ctione episcopali possidere, uti ante possederint, donec Pontificis Maximi auctoritate iudicetur, iurene an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per Regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis, quae praescripta sunt ab Alexandro III. (Cap. *Ad audientiam* de Eccles. aedific.) et a Concilio Tridentino (Sess. 21. Cap. 4. *de Reform.*); alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est, quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI. officium applicandi Missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis, quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint, ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est, ut Concilii provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris mis» sionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli, in» tra limites missionis, cui praeponitur, novas Ecclesias condere » ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas » populi fidelis id requirat. » Quae cum sint ita, ad propositam

consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini (Cap. 4. Sess. 21. *de Reform.*), quoad missiones, quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I. provincialis Westmonasteriensis (*De regimine congregationum* seu *missionum.* n. 5.). Quo melius aut missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui Regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea, de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere: nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, perquam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure, quod modo viget, arcentur Regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV. in Constit. *Cum nuper,* VI. Idus Novembr. MDCCLI., « Quemadmodum, » inquit, negari nequit, ex veteri canonum lege, monachos et re» gulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita » certum nunc est ex recentiori canonica disciplina interdictum » esse Regularibus parochiarum curam adsumere sine dispensatione » Apostolica. » Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis (In Ianuen. *dismembrationis* XXV. Ian. MDCCCLXXIX.) ad dubium: « an annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum » de nova paroecia iisdem concedenda? » rescripsit — negative et amplius. — Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris, ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum

fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum, quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur, quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV. in Constit. *Firmandis* VIII. Idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo, quae exempta sunt ab iis, quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronuntiantes: sacrorum canonum et Constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud, quo quaeritur, an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares*, etiam *primariae puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae, de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX. significavit scribens: « In hisce » potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel

» a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac » praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morum- » que honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem » accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa praeser- » tim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum » habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iu- » ventus ibi imbuitur, adventitiae appareant. » (Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* XIV. Iulii MDCCCLXIV. *Acta* vol. 3.). — Nemo exhinc non intelligit, istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri, quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus, quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est, ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent (Synod. I. Provincial. Camerac. tit. *de scholis* cap. 1. — Synod. provinc. Mechlin. tit. *de scholis* Cap. 2.), puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa (Synod. Namurcen. an. 1604. tit. 2. cap. 1.). Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent (Synod. Antuerpien. sub Mireo tit. 9. cap. 3.), definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret (Synod. Cameracen. an. 1550.), iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis (Synod. II. Provinc. Mechlinien. tit. 1. cap. 3.): demum scholarum curatores constituti, qui eas adirent, ac circumspicerent, nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent (Synod. II. Provinc. Mechlinien. tit. 20. cap. 4.— Synod. Provinc. Pragen. an. 1860. tit. 2. cap. 7.). Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent, parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui (Synod. Valens. an. 529. can. 1. — Synod. Nannet. relat. in cap. 3. *de vit. et hon. clericor.* — Synod. Burdigal. an. 1583. tit. 27.),

quibus nomen est *parochialibus* impositum (Synod. 1. Provinc. Mechlin. tit. *de Scholis* cap. 2. — Synod. Provinc. Colocen. anno 1863. tit. 6. — Synod. Provin. apud Maynooth anno 1875.); iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere (Synod. Nannet. sup. cit. — Synod. Antuerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig. an. 1850. tit. 6. cap. 3.): iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime (Synod. Prov. Vienn. ann. 1858. tit. 6. cap. 8. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865. tit. 3. Cap. 2.): quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur (Synod. Prov. Colocen. an. 1863. tit. 6. cap. 5. — Synod. Prov. Colonien. an. 1860. tit. 2. cap. 23. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1863. tit. 9. Cap. 5.), dignique habentur, in quos Episcopus animadvertat (Synod. I. Prov. Cameracen. tit. *de Scholis* Cap. 2.). In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere, quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV. a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii provincialis Westmonasteriensis IV. (Decret. 26.).

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia Regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur, an et cuius superioris venia sit impetranda. Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum, ne quid huiusmodi quisquam instituere absque Sedis Apostolicae

licentia speciali (Cap. Religiosorum §. *Confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6.). Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine » Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius ob- » tenta: » (Concil. Trident. Sess. 25. cap. 3. *de Regular.*): quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII. (Constit. *Romanus Pontifex* XIII. kalen. Septembris 1624.) pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X. in Constitut. *Instaurandae* Idibus Octobris MDCLII., qua praecepit, ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca quaecumque de » novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae » licentia speciali. » Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri (Bened. XIV., *Synod. dioeces.* lib. 9. cap. 1. num. 9. — Monacelli, *formul. legal.* part. 1. tit. 6. form. 19. num. 31.). Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam (Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22. Mart. 1669.; 3. Nov. 1688. 1704. 1768.; 23. Aug. 1858.; 30. Maii 1864.; 17. Iulii 1865.). His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur, sed ea, quae sunt instituta, velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis

serio dubitet, an ea, quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere. Restat itaque, ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII., qui eos vetuit «ad habi» tandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu » hactenus recepta mutare » (Cap. *Cum. ex eo* de excess. praelat. in 6.). Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, collegiorum, » domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum huius» modi? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII. per Constitutionem *Romanus Pontifex*, « servata in omnibus et per omnia » sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma ». Sic unum superest, de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium, quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII. et Urbano VIII. fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur, religiosis sodalibus non licere ea, quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius, qui

missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi, quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX. Aprilis MDCCCLXIX. rescripsit in haec verba: « 1. Missionarii regulares bonorum » temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem » Episcopis reddere non tenentur. 2. Eorum tamen bonorum, » quae missioni vel Regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, » Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque » ac a parochis cleri saecularis, rationem exigendi. » Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X. Maii anno MDCCCLXVIII. in mandatis dederat, ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo, quae propria missionum essent, ab iis, que ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri ecclesiae rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit, administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris (Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis*, n. 29. — Card. de Luca *in Conc. Trid.* discur. 18. n. 5. — Reiffenst. Lib. 3. *Decret.* tit. 30. n. 193.). Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere, cuius res gesta fuit (L. 1. §. *Officio* ff. de *tutelae et rat. distr.* — L. 2. §. *Et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator*, L. *Tutor* Cod. *de negot. gest.*), ideo parochus vel ecclesiae rector facere non potest, quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela (Sac. Cong. Concilii *Nullius*, seu *Nonantulan. iurium parochialium* 27. Iunii 1744. ad dub. XII.). At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II. in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt (Lucius II. *ad Priorem S. Pancratii in Anglia*, Alexander III. *ad Monaster. S. Arnulphi*,

Lucius III. *ad Superiorem Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana*) circa ecclesias parochiales, quoad temporalia monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de plebis cura, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica, unde ea profecta est iuris dispositio (Gonzal. Comment. in cap. I. *de Cappel. monach.*), certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent, compendia significari.

Quocirca ea confirmantes quae a S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX. Aprilis MDCCCLXIX., et Instructionem die X. Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his, quae modo iussimus, exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi (Argum. ex cap. *Pastoral. 9. de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I. *de Statu Monach.*). At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae oblationes, quae in ecclesia sub » Missis ad altare fiunt, et quae pro administratione Sacramen» torum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, » pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus spe» cialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas » ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus » applicante. » (Reiffenst. *L. 3. Decretal.* tit. 30. n. 193., Van. Espen *Ius eccles. univ.* part. 2. sect. 4. tit. 2. cap. 10. nn. 20. et 21.). Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt (Argum. ex cap. *Qui Sacerdotes,* 13. caus. 10. quaest. 1.), haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium

esse debet, ubi eam bonorum copiam ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo, quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat, ut pecunia omnis dono accepta, inter ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare, in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur, certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii provincialis Westmonasteriensis II., cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *De bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re Religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accommodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronuntiationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus, quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum, inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant* (Apud Bedam *Histor. Angl.* II. 29.). Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis, qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi,

qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat, qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo, ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes (Philip. II. 2.).

Demum ut firmiter ea consistant, quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque, in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et So-

cietatum, etiam Iesu, et quarumvis ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quamvis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorialibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus, ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos, quos concernunt vel concernent in posterum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum licet paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis millesimo octingentesimo octuagesimo primo, octavo Idus Maii, Pontificatus Nostri Anno IV.

C. Card. Sacconi *Pro-Dat.* – T. Card. Mertel. *Visa.* de curia I. De Aquila e Vicecomitibus. Loco ✠ Plumbi. *Reg. in Secret. Brevium.* I. Cugnonius.

« II. An aliquis Regularis extra monasterium degat: an aliqui » adsint in dioecesi a suis Superioribus, servatis servandis, eiecti, » vel aliquis fuerit Regularis intra claustra monasterii degens, » sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo » fuerit; et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes ani- » madverterit. »

11. Tria capita continet ista secunda paragraphus, quorum primum agit de Regularibus, qui versantur extra claustra; alterum de expulsis et eiectis a religione; tertium de his, qui degunt in claustris, sed cum populi scandalo notorie deliquerunt. De singulis itaque specialim eloquemur; cumque in exitu

eiusdem articuli requiratur ab episcopis, quomodo in hisce casibus contra huiusmodi delinquentes animadverterint, normam a sacrorum canonum declarationibus, ut plurimum, desumptam tradere non omittemus, qua tutius se gerere possint Episcopi circa quaestiones, quae ex singulis tribus capitibus, ac praesertim ex ultimo possunt oriri.

### Art. I. De Regularibus, qui versantur extra claustra.

Summarium. 12. Ex iure communi, et Conc. Trid. Superiori regulari licet in quibusdam casibus dare facultatem Religioso commorandi extra claustra. – 13. Hanc potestatem coercuerunt Summi Pontifices, ac sibi reservarunt. Itaque S. C. Conc. in responsionibus ad Episcoporum relationes, huic disciplinae inhaereri iubet. – 14. Triplex est apostasia, et qualis? – 15. Apostasia monachalis subdividitur in propriam et impropriam, quarum utraque definitur. – 16. In apostasia propria satis est, si Religiosus animum redeundi non habet, licet habitum non dimittat. – 17. Poenae apostatarum a iure communi constitutae. – 18. Quibus aliquando accedunt poenae a peculiaribus constitutionibus additae. – 19. Apostatas resipiscentes iterum admitti, imo perquiri inculcat Ecclesia. – 20. Apostolica Sedes aliquando indulta promulgabat, quibus apostatas ad claustrum revocaret. Quid agendum, si apostatae aliorum criminum communium rei sint. – 21. Si in sua dioecesi Episcopi fugitivum aliquem habent, recte se gerent, si omnem moveant lapidem, ut ad claustra ipsum redire provideant. – 22. Locum habet apostasia impropria tum, cum ex causa vera vel falsa ad aliam religionem transeundi praetextu ab Ordine aliquis discedit, et in saeculo vagatur. Quando Superior possit facere facultatem transeundi ad aliam religionem. – 23. Locum etiam habet, cum quis Religionem deserit ex eo, quod professionem impugnat. De Const. Bened. XIV. *Si datam*. – 24. Si quando fiat, ut forma a Benedicto XIV. statuta servari nequeat, possunt Episcopi consilium praebere, ut exoretur apostolica facultas, ut procedatur, servata in substantialibus forma praedicta. – 25. Id benigne concessit Pontifex in causa N.N., ubi quidam Religiosus nullitatem impugnabat, quod novitiatus annum non explesset. – 26. In ea causa restitutio in integrum, ac nullitas professionis declarata est. – 27. 28. Ex Conc. Trid. statutum est, ne liceat recedere e conventu praetextu Superioris adeundi: quae prohibitio a Sixto V. ampliata est, poenaeque adauctae. Excipitur casus urgentis necessitatis. – 29. Hanc prohibitionem magis magisque ampliavit Clem. VIII., cuius verba afferuntur.

12. Regularium extra claustra commoratio vel sine apostasia, vel cum apostasia coniuncta esse poterit. Primam pluribus ex causis

accidere posse quisque videt; peculiariter vero in iure canonico indigitatur causa studiorum, praedicationis, servitii aut Episcopo, aut Cardinali, aut Principi, aut universitati praestiti. Iamvero si mora ob hasce causas extra claustra protrahatur, provisum est, ne id illegitime fiat, per textum in *Cap. 2.* Ut periculosa *Ne cleric. vel. monachi in 6.;* ibi enim inhibetur, ne quis Regularis « accedat ad quaevis studia literarum, nisi a suo Praelato cum » consilio sui conventus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundi » ad studium, licentia primitus sit concessa. Siquis autem horum » temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sen- » tentiam ipso facto. » Et in *cap. 4. Sess. 25. de Regul.* Synodus Tridentina prohibet, « ne quis Regularis sine sui Superioris licen- » tia praedicationis, vel lectionis, aut cuiusvis pii operis prae- » textu, subiiciat se obsequio alicuius Praelati, Principis, vel » universitatis, vel communitatis, aut alterius cuiuscumque per- » sonae seu loci, neque ei aliquando privilegium, aut facultas » ab aliis super iis rebus obtenta suffragetur. Quod si contra » fecerit, tamquam inobediens, arbitrio Superioris, puniatur... Illi » autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in con- » ventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos » procedatur. »

13. Potestas per hosce textus Superioribus regularibus attributa, ut subditis suis copiam facere queant habitandi, iustis de causis, extra claustra, coercita est per decreta generalia Clementis VIII., *Super ref. reg.* insertis in Constit. *Nullus omnino* 20. Mart. 1601. §. *19.* et in Constitut. Urb. VIII. « *Sacra Congregatio* » 21. Sept. 1624., in qua item inserta et innovata sunt memorata decreta. Legitur §. *19.:* « Ineatur ratio, qua, sublatis » licentiis ac facultatibus, hactenus quibuscumque concessis, » degentes extra conventus claustra, ad ea quamprimum revo- » centur, nec de cetero, nisi ex gravissima causa a Sede Apo- » stolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint. » Itaque ex horumce decretorum sanctione Fagnanus ad *Cap. 3.* Quanto de off. ord. *num. 7.* infert, quod « sublata videtur facultas, quam » habent Regulares de iure communi deputandi suos Religiosos » ad servitia Principis; et Episcopi et Cardinales, qui voluerunt » habere penes se aliquem Regularem pro theologo, obtinere » solent licentiam a Papa, ut saepius vidi observari. » Quod Fagnanus de suo tempore factitatum attestatur, id comprobat etiam

horum temporum disciplina, quemadmodum compertum habere quisque potest in S. Cong. Episc. et Regul., ubi passim huiusmodi indulta postulari et obtineri consuescunt. Qua super re cum Episcopus Transilvaniensis in sua relatione anni 1862. plures Regulares extra coenobium apud universitatem munus edocendi sustinere, nec facile ac sine damno ad coenobia revocari posse retulisset, S. C. Conc. suis literis diei 24. Maii 1864. rescripsit, eam rem ab eadem S. C. Conc. ad S. Congr. Episc. et Regul. fuisse amandatam, ut necessitati pro sua auctoritate provideret.

14. Diximus, commorationem Regularium extra claustra aliquando coniunctam esse cum apostasia; de qua propterea modo sermonem instituimus. Triplex apostasiae genus distinguunt doctores, unam *perfidiae*, qua videlicet aliquis a fide desciscit, alteram *ordinis*, qua clericus ecclesiastica stipendia deserit, ultimam *monachatus*, qua a suae Religionis instituto sese proripit vir regularis. Praetermissis duobus primis generibus, de ultimo, quod nostrum respicit argumentum, solummodo breviter disseremus.

15. Huiusmodi apostasia subdividi potest in apostasiam proprie dictam, et in apostasiam improprie nuncupatam. Apostasia proprie dicta definitur, criminosa discessio a Religione cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum. Vide Ferraris verb. *Apostasia n. 21.* Apostasia improprie dicta ea est, quae animum ad regulare institutum redeundi disiunctum non habet. Ferrar. *l. c.*

16. In apostasia proprie dicta (de qua primo loco loquimur, de altera loquuturi infra *num. 22.*) non requiritur, ut apostata habitum regularem dimittat: ea siquidem locum habet ex hoc ipso dumtaxat, quod Religionem cum animo ad eam non redeundi derelinquit, sive habitum exuat, sive retineat. Id confirmat Ferraris *l. c. n. 23.* cum doctorum auctoritate, tum expressis verbis decreti Clementis VIII. ab Urbano VIII. innovati.

17. Apostasiae poenas tres enumerat idem auctor innixus auctoritate iuris canonici, cuius textum ad rem allegat *l. c. n. 49. et seq.* Prima est excommunicatio, quae ipso facto incurritur, si apostata habitum dimittat, *Cap.* Ut periculosa *2. Ne cler. vel. mon. in 6.* Si vero habitum retineat, tametsi aliqui doctores eum excommunicatione eadem de causa irretiri sentiant, nihilominus verius ipsam non incurri docent alii: nam textus citatus loquitur solum de iis, qui habitum exuunt: *ne de cetero aliquis professus temere habitum dimittat.* Secunda poena est suspensio

ab Ordinibus sacris, quos apostata fortasse suscepit apostasiae tempore, *Cap.* Consultationis *de apost. et reit. Bapt. lib. 5. cap. 9.* Quod si praeterea Ordinem susceptum exerceat in irregularitatem incidit. Ab hac irregularitate solus Pontifex de iure communi dispensare potest; at vero ex privilegiis, quae Pontifices Regularibus impertiti sunt, hanc dispensationem subditis suis concedendi potestatem Praelati regulares obtinent. Tertia poena est, quod apostasiae tempore Regularis apostata privatus maneat omnibus privilegiis, quae suae Religionis propria sunt; nam Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Regul.* statuit, quod *interim nullo privilegio suae Religionis iuvetur.*

18. Subdit Ferraris *loc. cit. n. 54.*, alias poenas, praeter hasce, quas recensuimus, contra apostatas plerumque constitutas esse, qualis est privatio vocis activae et passivae, carcer, ieiunium aliaque eiusmodi ex particularibus constitutionibus vulgo superaddita.

19. « Verum (sic ad rem Bened. XIV. *de Synod. dioeces.* » *lib. XIII. cap. 11. n. 10. in fin.*) Ecclesia, pia mater, pro summa, » qua utitur commiseratione ac indulgentia, minime recusat am- » plecti apostatas, qui admissum errorem ex animo dolentes ad » relictam vitae regularis professionem revertuntur; » quod numero sequenti confirmat ex decretali Gregorii IX. Ne religiosi *de Regul. et trans. ad rel.*, per quam Pontifex gravibus poenis indictis Superioribus regularibus praecipit, ut profugos et apostatas perquirant, in monasteria sua recipiant, omniaque ipsis ad victum necessaria subministrari curent, quo melius per canonicae poenitentiae remedia crimen admissum valeant expiare. Idipsum constitutum iam antea fuisse tum a pluribus Conciliis, tum a peculiaribus aliquorum Ordinum constitutionibus tradit idem Benedictus XIV.

20. Subinde idem Pontifex *l. c. n. 11.* prosequitur: « Prae- » terea non negligit Apostolica Sedes gratiosa identidem promul- » gare indulta, quibus cisalpinis apostatis quatuor, transalpinis » autem octo mensium spatium praefinire solet, ut si ad reli- » gionem revertentes suam fateantur culpam, et a Superioribus » veniam et absolutionem humiliter petant, spondeantque melioris » vitae propositum deinceps servare, ab omnibus poenis, quibus » propter apostasiam obnoxii facti fuerant, misericorditer libe- » rentur. Exactis vero terminis, in indulto praefinitis, praeter

» Congregationem Episcoporum et Regularium, si fugitivi et » apostatae ad Apostolicam Poenitentiariam quocumque tempore » recurrant, ipsa, pro tributis sibi facultatibus, paratam se semper » exhibet ad eos excipiendos, ad agendum cum Superioribus » Ordinis, ut poenae per ipsos incursae discreta moderatione » temperentur, ad efficiendum denique, ut humaniter recipiantur » et habeantur, ac etiam, certis urgentibus circumstantiis, ut » promeritae poenae ipsis omnino relaxentur; imo, si res ita » postulare videatur, eisdem permittitur, ut ad alium religiosum » Ordinem transire valeant, quemadmodum constat ex Nostra » Constit. 95., quae incipit *Pastor bonus* §. *33. tom. 1. nostri* » *Bullarii*. Et quia saepe contingit, ut apostata non solum de- » fectionis sit reus, sed ante defectionem alia quoque patrarit » crimina, ob quae a Religione puniri debuerat, paratusque esset » ad reditum, dummodo praeter relaxationem poenae propter » apostasiam sibi debitae immunis quoque fieret ab aliis, quibus » eiusmodi delicta ipsum obnoxium reddiderant, tunc Poeniten- » tiariae officium, perpendens hic immoderatam apostatae in- » stantiam, inde vero ob oculos sibi statuens perpetuum sibi pro- » prium commiserandi propositum, charitativam sibi curam sumit, » expendendi una cum Superioribus regularibus, praeter delictum » apostasiae, cetera quoque crimina et poenas ipsis debitas, atque » efficit, ut eaedem aequa moderatione componantur. »

21. Postquam Summus ille Pontifex haec exposuit, *l. c. n. 12.* opportunum, quod sequitur, addit monitum: « Quapropter Epi- » scopus rem aggredietur summa laude et Apostolico munere » plane dignam, si, cum in sua dioecesi fugitivum aliquem, vel » apostatam deprehenderit, nihil relinquat infectum, quo illi » voluntarium ad Religionem reditum suadeat, nedum eidem sua » spondens officia, sed etiam ipsi demonstrans summam lenita- » tem, acquitatem, moderationem, quam, interposita Sacrae » Poenitentiariae, vel Congregationis Episcoporum et Regularium » auctoritate, ad Religionem redux experietur. At si forte repe- » riretur aliquis, qui, ut satis superque evenire quandoque solet, » obfirmata malitia id unum animo volveret, ut effrenem procul a » claustris vitam viveret, praesto sunt Ecclesiae canones et decre- » ta, ad quorum normam huiusmodi refractariorum audacia com- » pescatur, et quorum auctoritate si utantur Episcopi, apostatae » et fugitivi in illorum dioecesibus turbas minime concitabunt. »

22. De apostasia improprie dicta modo disquirenda nonnulla veniunt. Inter huiusmodi apostatas in primis connumerari possunt illi Regulares, qui sub titulo transeundi ad aliam Religionem, seu verus, seu falsus ille sit, a propria Religione abeunt, et in saeculo vagantur. Itaque Conc. Trident. *Sess. 14. cap. 11. de Reform.* opportune cavet, ut Religiosus ad alium Ordinem transire volens, si apostatae et fugitivi crimen ac poenas velit effugere, ab Ordinis illius Praelatis admittatur ea conditione, ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, perpetuo sub obedientia in claustro maneat. Insuper in decretis Clementis VIII. ab Urbano VIII. innovatis, de quibus alias mentionem feci, unicuique Superiori praecipitur, ne cui Religioso facultatem faciat ad aliam transeundi Religionem, licet strictiorem, nisi ex indubiis documentis sibi constet, alterius Religionis Superiorem paratum esse ad eum recipiendum, et nisi rem ita disposuerit, ut idem Religiosus a sua ad alteram Religionem recta pertranseat. Idipsum cavetur in Constit. Bened. XIV. *Pastor bonus* §. *33.;* additur enim « adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrenandam » vagandi licentiam necessarias, seu opportunas iudicaverit ».

23. Concil. Trid. *Sess. 25. cap. 19. de Regul.* pro apostata haberi voluit Regularem illum, qui professionem a se emissam impugnare contendens ex capite nullitatis claustra deserit, et habitu religioso sese audet exuere; simulque prohibuit, ne is audiatur, nisi monasterium repetat, et habitum abiectum resumat. Ad hanc rem quod pertinet, Episcopi in promptu habent celebratissimam Benedicti XIV. Constitut., quae incipit *Si datam* diei 4. Mart. 1748., cui debent prorsus inhaerere. In hoc insuper est animadvertendum, quod nullus Regularis clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae e claustris Religionis potest abscedere, multoque minus habitum deponere sub poenis contra apostatas institutis, prout expresse in eadem Constitutione §. *Accuratam* cavetur, quam integram dabimus volumine III. sub num. 44.

24. Sed aliquando evenire potest, ut ob locorum, temporum aliorumque adiunctorum difficultatem eas omnes solemnitates, quae a Bened. XIV. sapientissime praescriptae sunt, adamussim adimplere non detur. Si quando igitur ita plane se res habeat, ut nimirum pro sibi data a Domino prudentia iustas ac rationabiles causas non deesse iudicet Episcopus, cur ab huius in-

stituti rigore deflectatur, non ideo cum periculo salutis animae Regularem eumdem derelinquat; sed poterit eidem suadere, ut ad Apostolicam Sedem supplex confugium habeat, quae inquisitionem, quam hodie *processum* vocant, confici permittat, servata in substantialibus Constit. Bened. XIV. *Si datam*. Plura sunt huiusmodi indulta per S. C. Episc. et Regul. proximis hisce temporibus ex Summi Pontificis auctoritate tributa, quae ad rem possent afferri. Inter quae unum recentissimum in modum exempli adducimus in causa n. n. *Restitut. in int. et null. profess.* 13. Septembr. 1861., quod ita se habet:

25. Regularis quidam e Religione S. Francisci Minorum Reformatorum, postquam solemnem professionem emiserat, civili seditione coorta, extra claustra ex facto laicalis potestatis fuerat expulsus, adeoque in saeculo constitutus negotiis saecularibus sese addixerat; post viginti tres circiter annos, ex quo professus fuerat, S. C. Episc. et Regul. suppliciter adiit expostulans, sese audiri per restitutionem in integrum, ut nempe professionis nullitas declararetur ob eam praesertim causam, quod novitiatus ab se per integrum annum non fuisset adamussim absolutus. Requisito auditoque Episcopo, compertum est, plures ob causas difficillime et fortasse nullimode Benedictinae Constitutionis praescripta ad unguem posse adimpleri; itaque SSmus D. N. in audientia habita a Secretario S. Congreg. die 9. Iulii 1858: « benigne (sunt verba Rescripti) tribuit Ordinario N. N. necessarias et opportunas facultates ad effectum conficiendi processum super *causis restitutionis in integrum et nullitatis professionis*, auditis Superioribus regularibus, et servata in substantialibus Constit. Bened. XIV. *Si datam*, cum potestate subdelegandi quoad testes absentes Ordinarios dioecesium, in quibus iidem commorantur, concesso oratori indulto manendi extra claustra in habitu decenti usque ad exitum causae. Mandavit vero Sanctitas Sua remitti processum ad Sacram Congr. Episc. et Regul., cui commisit, ut, non obstante lapsu termini canonici ad reclamandum, causam tam super restitutione in integrum, quam super nullitate professionis in plenario conventu summarie proponat atque definiat. Contrariis etc. »

26. Nihilominus in ea, quae secuta fuerat, processus confectione, tres praesertim defectus substantiales deprehensi fuerunt, super quibus iterum SSmo D. N. relatio facta fuit die 10. Maii

1861., unaque expositae sunt difficultates, quae supplendis hisce defectibus obsistebant: quocirca « SSmus enuntiatos defectus » Apostolica auctoritate sanavit, ita ut ad ulteriora procedi possit, » Constitutione Bened. XIV. *Si datam* aliisque contrariis qui- » busque non obstantibus. » Interim S. Congr. exquisivit votum unius ex suis Consultoribus, qui pro impertienda restitutione in integrum et nullitate professionis declaranda sententiam suam aperuit. Subinde specialem religiosae professionis defensorem, prout moris est, deputavit, qui contra oratoris petitionem suas animadversiones concinnaret. Consueta denique consultatione conscripta ac typis edita, (quod munus ad me pertinet utpote causis summatim conscribendis addictum, vulgo *sommista*) propositisque dubiis: « 1. An sit locus restitutioni in integrum in casu? – et quatenus affirmative, – 2. An constet de nullitate professionis in casu? » Sacra Congr. rescripsit: « Ad 1. et 2. Affirmative, facto verbo cum SSmo. » « SSmus autem in audientia » eiusdem diei resolutionem S. C. confirmavit, et dispensavit a » nova propositione causae. » Porro Emi Patres animadverterunt, quod, licet dubitaretur, quot certo numero dies ad anni integri novitiatum explendum deessent, nihilominus plane constabat, integrum anni spatium non fuisse completum.

27. Tandem Tridentina Synodus *Sess. 25. cap. 4. de Regular.* statuit, ut « non liceat Regularibus a suis conventibus recedere, » etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem » missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scri- » ptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam » desertor sui instituti puniatur. » En itaque alius apostasiae impropriae casus, super quo non omittenda silentio est ampliatio a Sixto V. facta in Constit. *Cum de omnibus 26. Novem. 1587.*, ubi §. 7. statuitur, ne itinerantes ad unam aut aliam provinciam sine dicto mandato in ullo conventu eiusdem Ordinis recipiantur, etiam ad modicum tempus, nisi alias cogniti sint, sub poena in recipientes privationis vocis activae et passivae, officiorum, graduum, dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad talia. In Religiosos vero dicto mandato carentes Ordinarii locorum procedere possint tamquam suspectos delictorum, ementito alicuius religionis habitu, commissorum, eosque tamdiu in carcere detinere debeant, donec certa de eis notitia habeatur. Ita Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 157. p. 1029.*

28. Insuper ex altera eiusdem Summi Pontificis Constit. *Ad Romanum Pontificem* 21. Octobris 1588. §. 19. dictae poenae extenduntur etiam ad illos, qui, ut aliquoties evenire solet, itinerantur de uno ad alium locum eiusdem provinciae, si divertant ad loca tam proprii, quam alterius Ordinis, sive habitum regularem deferant, sive non. Consulatur idem Girald. *loc. cit.*

Eximendi tamen sunt ab iisdem poenis, si veram, urgentem, et gravioris momenti causam habeant recurrendi ad Superiorem suum, ut luculenter probat Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. XIII. cap. 11. num. 14.*

29. Praedictum Conc. Trident. decretum ampliatum est etiam a Clem. VIII. Constit. *Nullius* 20. Mart. 1601. §. 13. iuxta modum, qui sequitur: « Nullos fratres Romam venire Superiores » permittant, nisi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat li» centiam in scriptis impetraverint. Si quis autem sine huiusmodi » facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva » biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Supe» riorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui » supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione lo» cum habeant. »

### Art. II. De regularibus eiectis.

Summarium. 30. In Regularibus e Religione eiiciendis forma servari debet ab Urbano VIII. praescripta cum temperamentis ab eodem Pontifice et Innoc. XII. additis: remissive. – 31. Sententia eiectionis significanda Episcopo, cuius in dioecesi expulsus sedem statuit. Interim eius iurisdictioni subest, et eiusdem testimonium requiritur, ut expulsus ad Religionem iterum admittatur. – 32. Aliquando S. Congr. Episc. et Regul. copiam facit procedendi *cum processu camerali,* videlicet cum sola descriptione et inspectione delictorum. – 33. Crebrius vero Rescriptum concedit saecularizationis, quae sit loco expulsionis. Affertur exemplar formae Rescripti pro perpetua saecularizatione. – 34. Ex huiusmodi Rescripto exorta est quaestio causae cuiusdam, in qua S. C. Episc. et Regul. aliquibus post illud editum annis Religiosum saecularizatum ad conventum redire coegit, donec de patrimonii sacri idoneitate doceret. – 35. Affertur casus alterius cuiusdam presbyteri ex Congr. Cler. Exc. S. Crucis rite dimissi, quem suus Episcopus in suum clerum recipere nolebat, vetabat insuper in patriam redire. – 36. In Institutis votorum simplicium ut quis expelli possit, requiritur incorrigibilitas. – 37. Novum hodie in-

ductum est ius, ut novitii post novitiatus annum vota simplicia per triennium persolvant. – 38. Quae vota sunt perpetua ex parte voventis, adeoque Pontifici reservata. Religio tamen potest eos dimittere, concurrentibus aliquibus conditionibus, et servatis nonnullis solemnitatibus. – 39. Generalis non tenetur stare iudicio maioris partis consilii vel capituli in eiectione professi. Capitulum conventuale audire tenetur Superior Generalis, minime vero sequi. – 40. Cum votorum simplicium professis, si e Religione dimittantur, vel dispensentur, talem se gerat Episcopus, qualem se gerit cum ceteris suis dioecesanis.

30. Si qua ovis pestilenti morbo laboret, segregatur ab ovili, ne totum gregem inficiat. Id ipsum in Regularium communitatibus perficiendum est, si quis e sodalibus tanta vitiorum lue miserrime tabescat, ut spiritualem offensionem et ruinam sodalitio conferat, quando remedia cuncta in irritum ceciderint, nulla alia superest via, quam ut a sodalium consortio secernatur eiiciaturque. Primis Ecclesiae temporibus nulla certa definitaque vigebat norma, cui foret inhaerendum, si quando ad huiusmodi eiectionem deveniendum esset: nec aliter dicendum est de iure novo, non excepto Concilio Tridentino, in quo nulla statuta est eiectionis peragendae ratio. In iure novissimo, videlicet in decreto, quod S. C. C. sub anno 1624., communicato consilio cum Summo Pontifice Urbano VIII., promulgavit, peculiaris ac stata forma praestituta est, quam Superiores regulares sequi debeant tum, cum morbidum aliquod pecus a caula Religionis expellendum sit. Animadvertendum tamen est, huic decreto aliqua facta fuisse temperamenta post id temporis sive ab ipso Urbano VIII. sive ab Innoc. XII. anno 1693., quae proinde huiusmodi in casibus praeteriri ac negligi omnino nequeunt. Quoniam vero res haec ad Episcopos, quorum in usum haec scribimus, minime pertinet, quippe quae internam disciplinae monasticae rationem afficiat, fusius eam evolvere abstinemus, et satis habemus indicare Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 11. a n. 15. ad finem*, necnon Ferrarium verb. *Eiicere et eiecti*, et de Amoeno in suo tractatu *de Incorrig. Oper. tom. II. pag. 131.*, qui rem omni accuratione pertractat.

31. Id unum praetereundum non est, Superiores regulares ex memorato decreto teneri sententiam expulsionis Episcopo significare, in cuius dioecesi expulsus sedem suam statuere debeat. Regularis enim expulsus, quamdiu ad Religionem non redierit,

in habitu clericali tenetur incedere, atque interim localis Ordinarii iurisdictioni et obedientiae subesse, firma suspensione perpetua ab Ordinum exercitio, quam ipsi et moderandi et relaxandi Ordinario potestas adimitur. Quando vero idem Regularis iterum in Conventum admitti debeat, necessaria erit Ordinarii eiusdem fides testimonialis de evidenti spe emendationis, quam praebeat expulsus, in quo Ordinarii conscientia serio et graviter oneratur. Vid. memoratum decretum, et Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. XIII. cap. 11. n. 20.

32. Difficile et salebrosum saepenumero accidit, singulis praescriptionibus adamussim satisfacere, quae in memorato Urbani VIII. decreto sancitae sunt pro ferenda eiectionis sententia; idque aliquando ipsis Episcopis anxietatem facit, siquidem malo mederi nequeunt pro ea muneris parte, quae praeter moderatores regulares ipsos attingit Episcopos. Itaque S. C. Episc. et Regul. in casibus peculiaribus a Religionum moderatoribus consulta et exorata nonnunquam permittit, ut solemnitates illiusmodi praetermittantur, procedaturque cum *processu camerali*, quem vocant, videlicet per summariam delictorum descriptionem, rei veritate inspecta, et quomodocumque comprobata, veluti docemur ex consultatione in causa *Leopolien.* Super mon. S. Bened. §. *Ma* 15. Ianuar. 1841., itemque in alia causa *Premislien.* Super indulto perp. saecul. sanctim. *pag. 4. in nota,* 21. Iunii 1851. penes eamdem S. C. Episc. et Regul.

33. Alias ac fortasse saepius ex auctoritate eiusdem S. Congr. conceditur Rescriptum perpetuae saecularizationis, quae sit loco expulsionis, prout allegatis modo locis videre est. Quoniam vero de saecularizationum Rescriptis incidit sermo, non videtur abs re, aliquid addere circa huiusmodi argumentum, eoque magis, quod eorumdem concessio haud rara sit hisce temporibus, et insuper conditio semper in iisdem apponatur, ut Regularis saecularizatus omnimodae subsit obedientiae et iurisdictioni Ordinarii, in cuius dioecesi eum immorari contingat. Damus hic exempli gratia verba Rescripti, quod Sac. Congregatio super disc. reg. cuidam Regulari ex tertio Ordine S. Francisci an. 1843. impertiebatur: « SSmus attenta informatione et voto P. Procu» ratoris Generalis tertii Ordinis S. Francisci perpensisque pecu» liaribus circumstantiis in hoc casu concurrentibus, quatenus » orator ad aliam S. Congregationem pro re eadem recursum

» non habuerit, aliter sub poenis nullitatis, aliisque iuxta de-
» creta Innocentii XII. 4. Iun. 1629. et Clem. XIII. 15. Apr.
» 1768. benigne annuit pro gratia perpetuae saecularizationis,
» et conscientiae Ordinarii suae originis, qui constito sibi de
» veritate expositorum, et oratorem esse de congruo patrimonio
» provisum, indulgere queat, ut ipse orator in saeculo extra
» claustra suae Religionis, cui nulli sit gravamini, in habitu
» presbyteri saecularis, quoad vixerit, commorari licite valeat;
» servatis tamen per eumdem substantialibus votis suae reli-
» giosae professionis, quae semper, quantum in statu huiusmodi
» commode fieri poterit, in suo robore remaneant, retentoque
» interius ad excitandam iugiter istius obligationis memoriam
» aliquo sui habitus regularis signo, necnon obedientiae et iuris-
» dictioni Ordinarii, in cuius dioecesi, vel territorio ipsum im-
» morari contingat, omnimode subsit in vim etiam solemnis obe-
» dientiae voti constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, cete-
» risque contrariis quibusque non obstantibus. Huiusmodi vero
» decretum illico ostendendum P. Provinciali, qui de eodem Pa-
» trem Generalem doceat, intra sex menses exsecutioni deman-
» detur, aliter nullius sit roboris. »

Huiusmodi Rescriptum aliquibus post annis causam dedit consultationi penes S. C. Episc. et Regul., cui titulus N. N. *De iurisdictione super presb. ex-relig.* 22. Septemb. 1854., cuius speciem agnoscere grave non erit.

34. Archiepiscopus, e cuius dioecesi suam idem orator ducebat originem, noluit Rescripto exsecutionem dare, nisi postquam ex fide curiae episcopalis limitrophae sibi constiterat, eumdem ad quamdam S. Rochi capellaniam in dioecesi ipsa limitropha subditum et incardinatum existere. Post id temporis Episcopus limitrophus noluit, ut amplius in sua dioecesi commoraretur, quippe vitae rationem prave in claustro inchoatam, pravius deinde in saeculo continuaverat: instabat igitur Episcopus, ut ad Archiepiscopum originis, uti suum Ordinarium proprium sese conferret, eique subiaceret. At hic mordicus obsistebat ea insuper de causa, quod post decretum exsecutoriale prolatum idem, melius edoctus, cognoverat, fructus annuos capellaniae in patrimonii titulum ex fide curiae limitrophae admissae ad taxam dioecesanam non ascendere. Interea temporis plures anni interfluxerant, donec causa apud S. Congr., ex-re-

ligioso reclamante, oeconomice instituta, propositoque dubio: « An quae ratio capienda sit circa reclamationes ex-religiosi » N. N.? » Emi Patres rescripserunt: « Relcat ad claustra usque » ad omnimodam Rescripti saecularizationis exsecutionem, quoad » congruitatem patrimonii: quo in casu subiectus remaneat Epis- » copo N. N.», idest dioecesis limitrophae. Porro non omittendum est, quod huiusmodi ex-religiosus fundos quosdam non bene tutos in supplementum patrimonii proponebat; ac ceteroquin causam valetudinis, ob quam Rescriptum obtinuerat, non perdurare eo temporis perpendebatur.

35. Recentior in eadem S. C. Episc. et Regul. casus evenit, qui cognitu dignus videtur. Quidam alter ex dioecesi N. N., postquam Congregationi Cler. Excalc. S. Crucis, vulgo *Passionisti*, nomen dederat, ab eadem rite dimissus fuerat. At originis Episcopus eumdem recipere abnuebat in clerum suae dioecesis, etiamsi capellaniam amovibilem obtinuisset, ibique sua cum familia moraretur. Interim de nonnullis criminibus accusatus, et inquisitioni subiectus est, quam ut effugeret, scripto adpromisit Episcopo, nunquam sese in patriam rediturum. Cum tamen locum idoneum idem non reperiret, institit etiam atque etiam penes S. C. Episc. et Regul., ut patriam repetere posset. Obsistente acriter Episcopo, die 23. Ian. 1863. dubium propositum fuit: « An » et quomodo annuendum sit precibus oratoris pro reditu in pa- » triam in casu? » Et S. C. rescripsit: « Pro nunc non expedire. » In consultatione vero animadvertebatur, hic non agi de Religioso votis solemnibus obstricto, qui civilibus iuribus idcirco cecidisset, bene vero de Religioso simplicibus votis obligato, cui civilia iura supererant, adeoque ius civilitatis in originaria urbe nequaquam amiserat. Et haec fortasse causa fuit, cur Emi Patres spem redeundi in patriam non omnino eidem auferrent, licet ob punitionem indefinite dilatam rem plane minime dirimerent.

36. In Institutis, apud quae vota simplicia nuncupari solent, ut quis ab Instituto expelli possit, revera incorrigibilitas concurrere debere videtur. Nam S. C. Episc. et Regul. in *Animadversionibus in Constitutiones cong. presb. sub tit. Immacul. Conc. B. M. V. in dioec. Rhedonen.* die 2. Martii 1861. *art. 9.* ita perpendebat: « Pro expulsione oportet, ut revera concurrat » incorrigibilitas, et pro iis, qui perpetua vota emiserint, etiam » confirmatio S. Congregationis.» Videsis opusculum, cui titulus

« *Methodus, quae a S. Congreg. Episc. et Regul. servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium pag. 25.* » Idem edicitur in *Animadv. in const. frat. soc. Mar. dioec. Lugdunen. 13. Decembris 1859. art. 13.*, allato exemplo fratrum schol. piarum ex Const. Bened. XIII. Vid. *l. c. pag. 30. Et pag. 31. n. 4.* in principio excluditur facultas eiiciendi professos ob unam aegrae valetudinis causam. Quae de huiusmodi dispositione hic admonuimus, confirmationem accipiunt etiam ex iis, quae animadvertebantur in *Bellicien.* circa fratres S. Familiae, solidis in rem allatis argumentis. Vid. *l. c. pag. 37. ad art. 32.*, necnon *pag. 38. ad art. 37.*

37. Ex literis encyclicis S. Congregationis super statu Regularium diei 18. Mart. 1857. novum ius circa votorum professionem inductum fuisse nullus ignorat, nimirum, ut novitii, postquam annum novitiatus expleverint, si clerici sint post sexdecim, si conversi post viginti et unum aetatis annos, vota simplicia dumtaxat emittant, solemnia vota, finito post novitiatum triennio, nuncupaturi (vide opusculum inscriptum « *Acta a S. C. super stat. reg. ab arch. Philippensi Secret. collecta* » Romae 1862. typ. Rev. Cam. Apost. *pag. 68. et seq.*); ita vero, ut si in hoc intervallo solemnem professionem emittant, professio nullius roboris omnino sit, veluti declaratum est in Apostolicis Literis Sanctissimi D. N. Pii Papae IX. *diei 7. Febr. 1862.* incipien. « *Ad universalis Ecclesiae* ». Vid. memoratum opusculum *pag. 83. ac seq.* Cum itaque, volvente huiusmodi triennii spatio, facile possit accidere, ut taliter voventes e Religione dimittantur, operae pretium existimo, heic decreta sanctionesque subiicere, quae super hoc argumento novissime prodierunt.

38. In declarationibus ad postulationem Ministri Generalis Ord. Praed. die 12. Ianuar. 1858. editis a S. Cong. sup. stat. Regul., quae extensae fuerunt ad alios Ordines, qui eas expostularunt (Vid. opusc. cit. *pag. 72. ac 73.*), postquam *art. 1.* edictum est, vota simplicia, de quibus agitur, perpetua esse ex parte voventis, adeoque ut additur *art. 2.*, eorumdem dispensationem reservatam esse Summo Pontifici, circa dimissionem ex parte Religionis haec statuuntur: *art. 3.* « Verum eadem simplicia vota » solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis pro- » fessorum, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum » votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. 4. Facultas

» autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus » agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo ge- » nerali consilio. Idem Magister Generalis cum suo generali con- » silio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro re- » gionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam sub- » delegare probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse » debent. 5. Licet ad decernendam dimissionem neque processus, » neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola » facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent » summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis, » quacumque humana affectione remota, secus eorumdem con- » scientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa in- » firmitatis post professionem votorum simplicium superventae » dimitti possit. »

39. Cum memorati Ordinis Praedicatorum Generalis Magister SSmo D. N. tria dubia resolvenda humiliter subiecisset, quorum secundum ac tertium sic se habebant: « 2. Utrum reiectio ali- » cuius professi simplicis a maiori parte patrum in consilio vel » totius conventus in capitulo per suffragia secreta prolata, ab » Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione » aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa, » aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem professi votorum » simplicium dimissio ab Ordine, et eorumdem votorum solutio » ab ipso cum suo generali consilio decerni ac declarari pos- » sit? 3. Et quatenus negative, quaeritur tertio, quid agendum, » si patres conventus ad excludendum novitium a professione » solemni perseverent, nec ulterius eadem differri possit, eo » quod viginti quinque aetatis suae annos novitius expleverit? » eadem Sanctitas Sua in audientia habita die 7. Februar. 1862. a R. P. D. Secretario S. C. super stat. Regul. rescribendum man- davit: « Ad 2. negative. Ad 3. pro admissione ad vota solemnia » post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem » debet capitulum conventuale ad instructionem animi Superio- » rum: minime vero a Superiore Generali, vel ab eius subde- » legato standum erit resolutioni eiusdem capituli. Quod si aliunde » habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum » simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis 4. et 5. » declarationum (quae nempe modo allata sunt edita die 12. » Ian. 1858.) praescripta sunt. Insuper Sanctitas Sua ea, quae

» in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines et Insti-» tuta extendit, et extensa esse declaravit. » Vid. *loc. cit. pag. 82. 83.*

40. Archiepiscopus Mexicanus eidem SSmo D. N. humiliter alia dubia resolvenda proponebat, quorum quartum hisce verbis conceptum erat: « 4. Si novitii post emissa vota simplicia aut » dimittantur a Religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi » relinquatur, quid cum eis agere debeat Ordinarius, si aut ad » sacros Ordines, aut ad matrimonium forsitan aspirent? » ex audientia SSmi habita a D. Secretario S. Cong. super stat. Regul. die 20. Ianuar. 1860. eadem Sanctitas Sua rescribendum mandavit: « Ad 4. si professi votorum simplicium sive per di-» missionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab » emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis, prout cum ceteris » suis dioecesanis sese gerere debet. » Vide *l. c. pag. 77. ac 78.*

### Art. III. De Regularibus delinquentibus extra claustra.

Summarium. 41. Dispositio Conc. Tridentini super Regularibus delinquentibus extra claustra. – 42. Eiusdem ampliatio a Clem. VIII. peracta, necnon declaratio emissa super eadem re a S. C. specialiter deputata. – 43. Ex hisce dispositionibus colligitur, non posse Episcopos contra huiusmodi delinquentes statim animadvertere, sed posita Superiorum Regularium negligentia. Horum iurisdictio est privativa, sed non cumulativa cum Episcopo, nisi congruo tempore inutiliter elapso. – 44. An Religiosus delinquens in ecclesia sui Ordinis, dicendus sit delinquere extra claustra. – 45. Si Regularis delinquens ab Episcopo carceri mancipetur, statim Superiori regulari restituendus est.

41. Tridentina Synodus *Sess. 25. cap. 14. de Regul.* praescripsit, ut « Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra » monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo » scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus, » ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punitione » Episcopum certiorem faciat: sin minus a suo Superiore officio » privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit. »

42. Huiusmodi decretum ampliatum est a Clemen. VIII. Const. *Suscepti* 23. Feb. 1596., ubi §. *3.* sic statuit: « Omnibus et » singulis cuiuscumque Ordinis et Instituti Regularibus, etiam » mendicantium Superioribus in virtute s. obedientiae et sub

» indignationis nostrae, ac privationis dignitatum et officiorum » per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis praecipimus et » mandamus, ut iuxta praedictum decretum, quilibet ipsorum » Regularem non subditum Episcopo, intra claustra degentem, » et extra ea ita notorie delinquentem, ut populo scandalo sit, » Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo praefigendum, » severe puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, et » alias decretum ipsum in omnibus et per omnia exsequatur. » Ceterum si Superior in Regularem delinquentem non animad- » verterit; quin imo si illum impunitum ad alia suorum Ordi- » num loca extra Episcopi dioecesim, ut praefertur, transmiserit, » volumus ac simili motu atque auctoritate decernimus, ut Su- » perior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo prae- » figendum, et sub eisdem indignationis Nostrae, ac privationis » dignitatum et officiorum obtentorum, necnon et sub inhabili- » tatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac ulterius priva- » tionis activae et passivae vocis, ad quas a nemine, praeter- » quam a Nobis et a Romano Pontifice pro tempore existen. » restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis ipsum » Regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, re- » vocare, et in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. » Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter » statuimus, ut Ordinarius loci, in quo deliquit, similiter requi- » situs, vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tam- » quam Sedis Apostolicae Delegatus, praedictum Concilii decretum » omnino exsequi, et in Regularem delinquentem severe animad- » vertere possit ac debeat. »

Cum inter controversias, quae cum Ioanne Palafox, Episcopo Angelopolitano, ex una parte, et clericis regularibus Soc. Iesu ex altera agebantur, haec quoque quaestio mota esset: « 12. An, » si contingat, ut aliquis praedictorum Regularium insurgat contra » Episcopum in propria dioecesi cum scripto vel dicto populum » scandalizando, possit ab Episcopo puniri, et qua animadver- » sione? et quid, si huiusmodi delinquens transierit ad aliam » dioecesim, hoc casu servandum sit, et qua poena puniendus » sit Regularis, qui commorans in sua dioecesi spargat famosos » libellos contra Ordinarium alterius dioecesis? S. C. ad id de- » putata respondit: Si Regularis intra claustra degens extra ea » in casibus in dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo

» scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem regularem » intra tempus ab Episcopo instante praefigendum severe illum » punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin » sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad praescriptum Con- » cilii Tridentini *Sess. 25. cap. 14. de Regul.;* quod si delinquens » ad aliam dioecesim migraverit, servandum esse, quod praecipitur » in Constit. s. m. Clementis VIII. incipien. *Suscepti* confirmata ab » Innoc. X. 14. Maii 1653. » Legitur in dubiis propositis occasione editae Constit. *Inscrutabilis* ad diem 14. Martii 1648. ad dub. 12. Consulatur prae ceteris Ferrar. verb. *Regularis* art. 2. sub n. 8.

43. Ex hisce sanctionibus praecipue intelligitur, Episcopos non posse recta via in Regularem extra claustra delinquentem animadvertere, sed tum solummodo, cum Superior regularis Episcoporum instantiae non obsecutus ipsum punire negligat. Item colligere datur, non cumulative sed privative ad Superiorum regularium iurisdictionem spectare, ut delinquens poena afficiatur, ac subinde locum esse praefixioni termini per Episcopum stabiliendae, quo inutiliter elapso, iurisdictio ad Episcopum devolvatur iuxta praedicti Concilii Triden. praescriptionem. Quae quidem consectaria nituntur diserta declaratione s. m. Bened. XIII. edita in *Motu proprio* diei 26. Martii 1729., qui licet fuerit promulgatus pro componenda lite inter Nuntium Neapolitanum et Abbatem generalem Montis Virginis, nihilominus est omnino attendendus, quod idem Motus proprius Conc. Trid. decretum interpretatur, eiusque intellectum determinat. Vid. Girald. *Ius Pont. Part. II. sect. 169. pag. 1047.,* ubi Motus proprius Bened. XIII. refertur. Legitur hic etiam in secunda appendice ab eodem Giraldio l. c. *n. LVIII.* conscripta, quam paullo post (pag. 64.) per extensum exhibebimus.

44. Idem hic auctor illico ibidem habet: « Quod si quaeras, an » Regularis notorie delinquens in ecclesia sui Ordinis, dicatur » delinquere extra claustra, ita ut ob negligentiam Superioris in » eum puniendo subsit, ut supra, punitioni Ordinarii, Sperellus » *Decis. 38. n. 15.* refert hoc sequens S. Congreg. Conc. de- » cretum, quae ad dubium propositum: An Regularis delinquens » notorie in ecclesia sui Ordinis, in quo degit, ita ut populo » scandalo sit, dicatur delinquere extra claustra, ut locus sit » dispositioni Conc. *cap. 14. Sess. 25. de Reform.?* censuit, de- » linquere extra claustra, si in monasterii ecclesia delinquit, nisi

» clausis portis ecclesiae, et solis Regularibus in ea existentibus » fuerit commissum delictum: si vero intra claustra monasterii » vel ecclesiae interioris delictum sit commissum, ex verbis Conc. » non videtur procedere *d. cap. 14.*, quod expresse dicit *extra* » *claustra;* tamen si scandalum sit notorium populo, ex identi- » tate rationis idem videtur. »

45. Insuper idem animadvertit, in hoc etiam ultimo casu ab Episcopo cautius esse procedendum, quia S. Congreg. usa verbo *videtur* non certam, sed opinabilem tantum sententiam praesefert. Postea vero Giraldius prosequitur: « Quod si iterum quae- » ras, an, si contingat Regularem aliquem extra claustra notorie » delinquentem fuisse ab Episcopo ob eamdem Superiorum ne- » gligentiam carceri mancipatum, in eo detinendus sit, donec » processus in curia episcopali conficiatur, eoque completo, in- » stante Superiore, ad eum remittendus sit una cum his proba- » tionibus, quae habentur, eadem S. Congr. censuit *statim re-* » *mittendum esse, etiam posito, quod Superior nullam instantiam* » *faceret.* Ceterum illud *statim* non physice, sed moraliter acci- » piendum est. » Quod spatium ad duos dies communiter ab auctoribus limitari Giraldius concludit.

De quaestione, an liceat Episcopo contra Regulares procedere per censuras, vide appendicem secundam Giraldii mox (n. 43.) citatam, circa medium.

III. « An sua iurisdictione delegata usus sit in explenda vi- » sitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus » Religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus prae- » fixo, et quinam sint Religiosorum mores in dictis conventibus » et granciis degentium? »

Summarium. 46. ad 51. Breviter enarratur historia suppressionis parvorum conventuum ab Innoc. X. peracta. – 52. De controversia, an in fundatione novorum conventuum requiratur beneplacitum Apostolicum. – 53. Decretum Innoc. X. *Ut in parvis* per extensum affertur. – 54.55.56. Sacra Cong. specialiter deputata declaravit, non posse Episcopos in parvis conventibus Superiores locales deputare et familiam constituere; item nec amovere, nisi ex rationabili causa, praemonito Superiore; eosdem non posse compellere Religiosos ad exhibendos libros administrationis, et rationem reddendam; posse se ingerere in rebus concernentibus disciplinam regularem. Posse visitare granciarum et conventuum capellas,

ubi degunt conversi pro cultura agrorum, necnon et eosdem conversos et grancias, etiamsi ibi multi conversi degant; posse Episcopos inspicere, an in parvis conventibus numerus praestitutus versetur, dummodo constet de fundamento intentionis Episcopi; huiusmodi visitationes obeuntes Episcopos non posse procurationem exigere; potestatem Episcopis attributam competere etiam Vicariis Generalibus et Praelatis tertiae speciei. Superiores regulares posse visitationem et ipsos explere cumulative cum Episcopis. Si Superior regularis praevenit in causa contra subditum, non posse se ingerere Episcopum, nisi certis in casibus. Superiorem regularem non posse amovere subditum ab Episcopo inquisitum. Episcopum non posse prohibere, quominus Superior regularis in parvis conventibus Religiosum quemlibet amoveat. Gratiam restitutionis conventus, cessante fraude, non esse nullam, si unus, vel plures ex numero sex Religiosorum desint. Conventum parvum, durante absentia alicuius Religiosi e numero sex, subiacere Episcopo; sed, redeunte eodem Religioso, exemptionem reviviscere; non reviviscere vero, si gratia restitutionis fuerit annullata, sed postea de novo concessa. Pro annullanda gratia requiritur declaratoria Episcopi sententia, et ante eam nihil agere potest Episcopus. Ex hac declaratoria in devolutivo posse appellari. Maturam aetatem, de qua in decreto *Ut in parvis,* intelligi annos quadraginta. – 57. Non licet Episcopis vicarios perpetuos in dictis vicariis de perpetuis facere amovibiles, ac viceversa, nec congruam immutare. Neque e diverso licet Superioribus regularibus congruam augere, vel secretis pactionibus diminuere. – 58. S. C. declaravit, conventus nunquam suppressos, ubi degunt plures, quam sex, non comprehendi in decreto *Ut in parvis,* adeoque Episcopo non subesse. – 59. S. Congreg. declaravit, grancias suppressas et ad statum saecularem reductas, illarumque ecclesias publicas etiam parochialem curam habentes, privativae Episcopi visitationi subesse; bona vero temporalia non item, nec etiam conversos in illis degentes. Vicarios ecclesiarum parochialium nominari a Superioribus regularibus, accedente Episcopi approbatione; grancias seu membra alicuius monasterii cumulativae visitationi subiacere. – 60. 61. S. Congreg. censuit, conventus, qui exemptionem recuperant, non posse visitari, nec ad effectum agnoscendi capitum numerum; item nec Episcopum posse exsequi decreta et poenas adiicere. Ubi numerus capitum completus est, exspirat Episcopi iurisdictio. Posse Episcopum causam inchoatam prosequi contra Religiosum iam carceri mancipatum post recuperatam exemptionem. – 62. ad 66. Auctor additionum Ferraris ad confusionem et errorem evitandum concinne breviat dispositiones Constit. *Instaurandae,* ac decreti *Ut in parvis,* triplici facta distinctione. – 67. 68. Ex auctoritate S. Congr. Conc. et Episc. et Regul. demonstratur, Episcopos se abstinere posse a visitatione parvorum conventuum.

46. A prima fronte unusquisque videt, in hoc tertio articulo ad ea respici, quae circa parvos Regularium conventus (italice *conventini*) promulgavit s. m. Innocentius X. pro instauranda regulari disciplina. Peraccuratam huiusce negotii historiam tradit Fagnanus in Cap. *Relatum 7. de Cler. vel Mon. n. 41. et seq.*, eamdemque exinde hauserunt posterioris aevi scriptores, quos inter Ferraris verb. *Conventus art. 2.* Quocirca qui hanc rem penitius cognoscere exoptat, scriptores eos adire ne gravetur. Hic enim nonnisi summis pene labiis eam narrationem attingemus, quo videlicet ea, quae dicturi sumus, planiora fiant. Itaque laudatus Pontifex opus instaurandae regularis observantiae aggredi sollicitus specialem aliquorum S. R. E. Cardinalium aliorumque Praelatorum Congregationem ad eum finem mense Martio 1649. deputavit, eique celeberrimum virum Fagnanum a secretis adscivit. Vel a primis conventibus Congregationis huiusce unanimis sententia fuit, ut Summus Pontifex Constitutionem ederet, qua Regularium Superioribus tam generalibus, quam provincialibus et localibus iniungeret, primo ut intra quatuor mensium spatium oeconomicum singularum domorum religiosarum statum ad suum quisque Procuratorem Generalem in Urbe commorantem remitteret; dein ut Procurator iste aliis adscitis religiosis viris adiutus in unaquaque domo eum virorum numerum praefigeret, qui commode ex bonis eiusdem vel eleemosynis ali posset; utque denique interea temporis novitiorum quorumlibet receptio in suspenso subsisteret. Ad horum sensuum normam die 17. Dec. 1649. edita est Const. *Inter cetera*, quae legitur apud Ferrarium verb. *Conventus n. 2.*

47. Cum Pontificiae huic praescriptioni ea, qua par erat, diligentia obtemperatum fuisset, statuum exhibitorum inito examine perspectum est, non paucos ubique reperiri conventus, in quibus ob redituum tenuitatem is Religiosorum numerus ali non poterat, qui regulari observantiae tuendae sufficeret. Subinde post multas disceptationes innumera quaestionum capita deliberata definitaque sunt eo consilio, ut earum summa in unum collecta alterius Constitutionis a Pontifice emanandae materiam constitueret. Itaque idibus Octobr. 1652. prodiit Constit. *Instaurandae*, qua de medio sublati sunt exigui conventus, quorum census canonicum Religiosorum numerum sustentare non posset, itemque norma praestituta est, quae in conventuum novorum erectione in posterum adamussim servari deberet.

48. Biduo post editam hanc Constitutionem ad singulos Superiores regulares literae perscriptae sunt, in quibus ad normam eiusdem Constitutionis nominatim conventus indicabantur, quorum suppressioni locus factus fuerat. Die vero 10. Dec. 1652. aliae literae una cum Constit. *Instaurandae* datae sunt ad Episcopos, quorum in dioecesi conventus, modo exstincti, siti erant, ea adiecta iniunctione, ut iidem una cum capitulo quisque suo determinarent pia loca, quorum in usum bona a Regularibus relicta melius applicare expediret.

49. Quoniam vero non paucae aderant granciae, seu membra alterius monasterii, quae animarum curam adnexam habebant, hinc de mandato Summi Pontificis ita provisum est, ut, sarto tecto manente onere piis legatis faciendi satis, animarum cura alicui sacerdoti saeculari concederetur; bona vero ab aliquo e conversis eiusdem Religionis administranda relinquerentur. Conversis, minime vero sacerdotibus regularibus interea in granciis habitare permittebatur. Verum, edita vix Constit. *Instaurandae* et nondum exsecutioni plene mandata, multi e Superioribus regularibus humili supplicatione exposuerunt, nonnullos ex conventibus suppressis magnam spiritualium utilitatum segetem in Christifideles conferre, adeoque eorumdem suppressionem non sine ingenti populi detrimento perfici posse. Itaque Summus Pontifex hisce precibus obsecutus exiguos eos conventus, quos vere utiles esse iudicatum fuerat, restitui, seu potius conservari passus est. Ad hanc rem ubi duae exiguae domus eiusdem Ordinis adessent, simul coniungi permisit, et, ubi duae tales diversi Ordinis domus invenirentur, unus Ordo earumdem commutationem cum alio posset inire.

50. Post haec ut regularis disciplinae observantiam tam in conventibus istis ita restitutis, quam in aliis, ubi sex Religiosorum numerus statui non posset, magis magisque Summus idem Pontifex tueretur et communiret, leges dedit per decretum diei 10. Febr. 1654. incipien. *Ut in parvis*, quibus omnimodae Ordinariorum iurisdictioni subiectos perpetuo voluit. Subortis insuper pluribus dubitationibus tum ex Constitutione *Instaurandae*, tum ex decreto *Ut in parvis*, eadem specialis Congregatio, cui Fagnanus a secretis semper adfuit, appositas declarationes identidem tulit, quibus omne quaestionum germen amputabatur.

51. Hisce breviter enarratis, quod ad usum utilius erit, Bul-

lam *Instaurandae,* quae normam in posterum dare deberet, per integrum dabimus volumine III. sub num. 45., ne huiusmodi nostrae tractationi eiusdem prolixitas impedimentum quodammodo inferre videatur. Subinde hic afferimus decretum *Ut in parvis,* ac dein editas declarationes ipsis verbis exscribemus.

52. Quoniam huiusmodi Innoc. X. Constitutio Italiam dumtaxat et insulas adiacentes afficit, dubitatum est ab aliquibus, an beneplacitum Apostolicum de necessitate requiratur in nova conventuum erectione extra Italiam. Hanc quaestionem agitat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. IX. cap. 1. n. 9.,* ac denique ita concludit: « Quare communis hodie et in tribunalibus recepta est » opinio, non licere Regularibus tam intra, quam extra Italiam » nova monasteria aut conventus sive collegia fundare sola Epi- » scopi localis auctoritate, sed Apostolicae Sedis licentiam prae- » terea necessariam esse. » Et sane; S. Rota Romana hanc sententiam tenuit confirmavitque in *Calaguritana* in Hispaniis, prout constat ex *Decis. 309. n. 4. p. 12., Dec. 27. num. 8. et 9. p. 13. Rec.,* necnon in *Decis. 248. §. 5. coram Ratta.* Accedit constans ac perpetua S. Congr. Episc. et Regul. disciplina, quae, ultimis hisce praesertim temporibus, eidem sententiae adamussim obsecuta est, ac firmiter inhaesit, prout plurimis hanc rem roborare possem exemplis, ac praesertim ex *Americana Votorum* diei 1. Septembris 1864. in quadam Congregatione particulari agitata, de qua iterum erit agendi locus. Quod si Apostolicam auctoritatem ab initio bona fide non adfuisse innotuerit, non idcirco plus aequo animus anxius habendus est: adest enim reparationi via, supplici S. Sedi oblato libello, ut defectum hunc cum nullitatibus exinde derivantibus in radice, ut aiunt, sanare et ratihabere dignetur, prout non semel factitatum esse experientia docet.

53. Sequitur dictum decretum: « Ut in parvis regularium viro- » rum conventibus, a SSmo D. N. Innoc. PP. X. in Constit., quae » incipit *Instaurandae,* primum suppressis, ac deinde ad ipsius » Constit. limites ob rationabiles causas in pristinum statum re- » gularem restitutis, et ipsis Religionibus denuo concessis, pie et » religiose vivatur, ac regularia instituta, quo exactius fieri potest, » observentur: Sanctitas Sua ex sententia S. C. Super Statu Re- » gularium, omnes et singulos conventus eiusmodi, sic, ut prae- » fertur, restitutos et concessos in literis ab eadem S. Congreg. » expediendis nominatim exprimendos ac personas tam regulares,

» quam saeculares in iis degentes, visitationi, correctioni et
» omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a
» Sede Apostolica delegati, praesentis decreti tenore plene in
» omnibus subiecit, ac subiectos esse declaravit, donec ipsorum
» reditus eo usque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari
» valeant, et cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad
» Apostolicorum decretorum praescriptum, idque eidem S. Con-
» gregationi legitime constiterit, et eius decreto in singulis con-
» tingentibus casibus declaratum fuerit, et non aliter. Interea
» vero voluit Sanctitas Sua, ut in eorum singulis ali debeant, et
» reipsa alantur sex saltem Religiosi probatae vitae, ex quibus
» quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis: alioquin
» gratia restitutionis et concessionis huiusmodi nulla sit et in-
» valida, et Ordinarii locorum in illis exsequi possint ac debeant
» ea omnia, quae in aliis conventibus, itidem suppressis per
» eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia
» restitutionis praedictae et concessionis non emanasset. Insuper
» quia multi sunt conventus, in quibus, etsi praefixus fuerit nu-
» merus Religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disci-
» plinae, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint com-
» prehensi, nihilominus sive ob redituum diminutionem, sive ob
» Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob ca-
» rentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque
» aliam ob causam praedictus numerus cum effectu in eis non
» alitur cum gravi detrimento regularis observantiae: Sanctitas
» Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes et sin-
» gulos eiusmodi conventus, ut praefertur, non suppressos, cuius-
» cumque sint Ordinis, tam mendicantium, quam non mendican-
» tium, Congregationis, et Instituti, etiam Societatis Iesu, aut
» grancias, seu membra alterius monasterii existentes intra fines
» Italiae, et insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur,
» vel quandocumque actu non alantur saltem sex Religiosi, iti-
» dem probatae vitae, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint
» sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni et
» omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apo-
» stolicae Delegati, plene in omnibus, praesentis pariter decreti
» vigore, subiectos esse statuit, decrevit et declaravit. Ceterum
» quoad conventus cum pauciori numero, quam duodecim Reli-
» giosorum, erectos post diem 21. Iunii 1625. et illorum subie-

» ctionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit, in suo robore per» manere decretum s. m. Urbani VIII. iussu editum, cui per » praemissa aliquatenus derogare non intendit (1). Et praedicta » omnia et singula in praesenti decreto statuta et ordinata, voluit » plenarium sortiri effectum, et exsecutioni mandari, non obstan» tibus omnibus et singulis, quae in antedicta Constitutione vo» luit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum » Romae die 10. Febr. 1654. – B. Card. Spada.– Prosper Fagnanus, » S. Congr. Secretarius. »

54. Hoc decretum illico transmissum fuit ad quemlibet Episcopum una cum literis Sac. Congregationis continentibus nomina conventuum Religioni suae restitutorum in illa dioecesi. At quia occasione illius decreti *Ut in parvis* plures controversiae oriebantur super subiectione nonnullorum conventuum iurisdictioni Ordinarii loci, ad eas sedandas Sacrae Congregationi Super Stat. Regul. dubia sequentia fuerunt proposita :

« Posito decreto fel. rec. Innocentii PP. X. super subiectione » nonnullorum conventuum correctioni, visitationi et omnimodae » iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, » contingit dubitari de infrascriptis :

I. » An Episcopus in conventibus suae iurisdictioni subiectis » possit Abbates, Priores, Guardianos et alios Superiores locales » deputare et familiam constituere?

II. » An possit Episcopus a praedictis conventibus Religiosos » amovere?

III. » An Regulares eorumdem conventuum compelli possint » ab Episcopo ad exhibendos libros introitus et exitus, et red» dendas rationes administrationis?

IV. » An Episcopus in iisdem conventibus se ingerere possit » in his, quae regularem disciplinam concernunt?

V. » An ecclesiae dictorum conventuum et capellae grancia» rum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Epi» scopo visitari possint?

VI. » An ipsae granciae et conversi in eis degentes subsint » visitationi Episcopi?

---

(1) Porro Urbanus VIII. in hoc decreto §. 15. constituit, non posse ullam religiosam domum erigi ac fundari, nisi saltem duodecim Religiosi in eadem ali possint: si secus actum sit, domus ea religiosa *Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse* intelligatur.

VII. » Quid in ecclesiis seu capellis granciarum, in quibus » nullus degit conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi?

VIII. » An liceat Episcopo visitare conventus tam suppressos » et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cogno- » scendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi?

IX. » An Episcopus visitans huiusmodi conventus suae iuris- » dictioni suppositos, aut personas in eis degentes possit a visi- » tatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia?

X. » An iurisdictio Ordinariis locorum, tamquam Apostolicae » Sedis Delegatis, attributa in supradicto decreto, competat Vi- » cariis Generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus et aliis infe- » rioribus Praelatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi- » episcopalem habentibus?

XI. » An Provinciales et alii Superiores regulares possint » eiusmodi conventus iurisdictioni Ordinarii subiectos, et Reli- » giosos in illis degentes visitare, corrigere et punire, omnem- » que iurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum » decretum?

XII. » Si Superior regularis in causa praevenerit contra » subditum, degentem in aliquo ex eisdem conventibus Ordi- » nario subiectis, fabricando processum, vel eum carceri manci- » pando, an Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, et » Superiori inhibere?

XIII. » Si e converso Episcopus praevenerit in causa contra » Religiosum in tali conventu commorantem, an Superiori regu- » lari eo casu liceat illum amovere, et in alio conventu collo- » care: et si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus » possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum revocare ad » primum conventum?

XIV. » Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem » ex fratribus a tali conventu removere, an Episcopus prohibere » possit?

XV. » Si a conventu primum suppresso ac deinde Religioni » restituto absint ex aliqua rationabili causa, et ad breve tem- » pus unus vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degen- » tium, an gratia restitutionis sit nulla, et conventus remaneat » suppressus, ut prius?

XVI. » Quid si a conventu non suppresso similiter ex causa » rationabili, et ad modicum tempus, absit aliquis ex sex Reli-

» giosis ibi existentibus, an, durante tali absentia, conventus » subiaceat iurisdictioni Ordinarii?

XVII. » An Religioso illo redeunte, vel, alias impleto nu- » mero sex Religiosorum, conventus recuperet pristinam exem- » ptionem?

XVIII. » Si gratia restitutionis conventus suppressi reddatur » nulla ex eo, quod in illo ad formam decreti cum effectu non » alantur sex Religiosi, et postea contingat, ut eiusmodi nume- » rus impleatur, an gratia restitutionis conventus reviviscat?

XIX. » Ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla, et conventus » denuo remaneat suppressus, propterea quod in eo non susten- » tentur sex Religiosi, an debeat procedere declaratoria Episcopi » super facto, praevia causae cognitione?

XX. » An ab huiusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Se- » dem Apostolicam appellare ad effectum tam devolutivum, quam » suspensivum?

XXI. » Cum ex decreti praescripto quatuor sacerdotes in his » conventibus degentes debeant esse maturae aetatis, quaenam » dicatur ad hunc effectum aetas matura? »

S. C. Super Statu Regularium ad singula dubia, superius pro- posita, hunc in modum respondit, videlicet:

55. « Ad 1. Non posse. Ad 2. Posse ex rationabili causa, » commonito tamen prius Superiore regulari, ad quem pertinet, » ut eosdem Religiosos assignet in aliis conventibus. Ad 3. Posse » compelli. Ad 4. Posse. Ad 5. Posse. Ad 6. Subesse. Ad 7. Item » subesse. Ad 8. Minime licere, antequam aliunde constet de » fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituti. » Ad 9. Expedire, ut SSm̃us D. N. decernat et declaret, non » licere Episcopo tales conventus visitanti quidquam accipere » procurationis nomine (1). Ad 10. Competere. Ad 11. Posse si- » cut prius, non tamen privative ad Episcopum. Ad 12. Non » posse, nisi ex iusta causa, veluti cum videt Superiorem regu- » larem ex odio vel amore, cupiditate vel metu, aut ex nimia » severitate vel indulgentia quid durius aut remissius constitue-

(1) Decretum hoc ac declarationem edidit reapse Summus Pontifex sub die 25. Iun. 1664., adeoque Episcopo tales conventus visitanti non licet quidquam exi- gere procurationis nomine. Vide Giraldi *Ius Pont. sect. 597. circa med., pag. 406.*, ubi hoc decretum exscribit.

» re, quam causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia » oneratur. Ad 13. Non licere Superiori regulari Religiosum ab » Episcopo inquisitum a loco amovere, et si amotus fuerit, posse » Episcopum causam prosequi, et illum quibuscumque remediis » revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii et brachio saeculari, » si opus fuerit, cuiuscumque loci, in quo Religiosus ille repe- » riatur. Ad 14. Non posse. Ad 15. Gratiam ob id non esse » nullam cessante omni fraude, nec conventum remanere sup- » pressum. Ad 16. Subiacere durante absentia. Ad 17. Recupe- » rare. Ad 18. Non reviviscere. Ad 19. Debere ita procedere, » nec ante delarationem licere Episcopo conventus possessionem » apprehendere, aut Religiosos inde expellere. Ad 20. Licere ad » effectum devolutivum tantum, non autem ad suspensivum. Ad » 21. Aetatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno » quadragesimo.

56. » Declarationes suprascriptas SSmus D. N. ad se relatas » approbavit, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari prae- » cepit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Ro- » mae die 17. Iul. 1655. – B. Card. Spada. – Prosper Fagna- » nus, Secr. Sac. Conc. ».

57. Non licet Episcopis vicarias perpetuas ab eis vel eorum Praedecessoribus in praedictis suppressis granciis constitutas facere amovibiles nec viceversa constitutas amovibiles facere perpetuas absque licentia S. Congregationis, itemque non licet congruam in iisdem vicariis semel constitutam diminuere, neque augere, nec quomodocumque immutare, inconsulta S. Congregatione. Non licet etiam Superioribus regularibus publicas vel secretas pactiones seu conventiones inire super diminutione, alteratione, seu variatione dictae congruae. Ita enim expresse decrevit S. Congr. Super Stat. Regul. die 8. Octob. 1670., veluti habetur apud Girald. *Ius Pontif. P. I. sect. 597. circa med. pag. 409.*

58. Subsequenter ad suprascriptas declarationes cum ortum esset dubium, an scilicet conventus nunquam suppressi, in quibus degunt de familia plures quam sex Religiosi, comprehendantur in praedicto Innocentiano decreto sub die 29. Nov. 1657., emanavit sequens declaratio relata a Matthaeuccio *Offic. Cur. Cap. 56. quoad vis. ordin.:* S. C. Super Stat. Regul. censuit, conventus nunquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures quam

sex Religiosi, minime comprehendi in decreto s. m. Innocent. X. *Ut in parvis*, ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse in vim dicti decreti in huiusmodi conventibus aut illorum personis ullam sibi iurisdictionem vindicare. Datum Romae 29. Nov. 1657. *(in Reg. eiusdem S. C. fol. 325.)*.

59. Posita Constit. fel. rec. Innoc. X., quae incipit *Instaurandae*, necnon illius decreti incipien. *Ut in parvis* circa iurisdictionem eorumdem Ordinariorum in granciis monasteriorum illarumque ecclesiis et publicis oratoriis, contigit dubitare de infrascriptis:

I. An granciae ex dicta Constit. Innoc. suppressae, et ad statum saecularem redactae, illarumque ecclesiae et publica oratoria possint ab Ordinario visitari?

II. Et quatenus possint, an hoc ius Ordinario competat privative quoad Superiores regulares, an vero cumulative cum ipsis?

III. Et quid, si dictis ecclesiis cura animarum incumbat?

IV. An Superiores regulares possint in dictis ecclesiis curam animarum habentibus nominare vicarios ad curam animarum exercendam, eosque ad nutum amovere?

V. An granciae, seu membra alicuius monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsint iurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum Superioribus regularibus?

S. C. Sup. Stat. Reg. die 11. Sept. 1670. ad singula dubia superius proposita in hunc modum respondit, videlicet:

Ad 1. Grancias, ut praefertur, suppressas et ad statum saecularem redactas, illarumque ecclesias et publica oratoria posse ab Ordinario visitari, dummodo in his granciis, quarum proprietas fuerit reservata vel restituta principalibus monasteriis, idem Ordinarius nullo modo se ingerat in temporalibus.

Ad 2. Quoad ecclesias et oratoria publica ius visitandi competere Ordinario privative; quoad autem conversos in eis degentes cumulative: Ordinario scilicet iure delegato ad formam Conc. Trident., Regularibus vero iure ordinario.

Ad 3. Itidem quoad ecclesias dictarum granciarum curam animarum habentes ius visitandi Ordinario competere privative, sed quoad conversos in eis degentes hoc ius competere cumulative, nempe Ordinario, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, Regularibus vero auctoritate ordinaria.

Ad 4. Superiores regulares posse huiusmodi vicarios nominare et illos ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad 5. Grancias, seu membra alicuius monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subesse iurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci ac Superiorum regularium cumulative, videlicet Ordinario, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, ex praedicto decreto *Ut in parvis*, Regularibus autem iure ordinario.

60. Tandem circa iurisdictionem Episcopi in parvis conventibus attendantur sequentes declarationes:

Episcopus visitavit conventum suae iurisdictioni subiectum in vim decreti fel. rec. Innocentii X. *Ut in parvis*, propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, nec reipsa alebantur sex Religiosi, sed post absolutam visitationem sine ulla fraude a Superioribus regularibus in eodem conventu adaucta est familia, sicque conventus exemptionem recuperavit iuxta declarationes S. Congreg. Super Stat. Reg., nempe decimam sextam, et decimam septimam inter impressas.

61. Hoc posito consulitur Sacra Congregatio de infrascriptis:

1. An post exemptionem, ut praefertur, recuperatam Episcopus possit huiusmodi conventum visitare ad effectum, ut videat, an ordinationes et decreta ab ipso edita in visitatione praecedenti fuerint adimpleta, necne?

2. Anve possit decreta non impleta exsequi, et pro illorum exsecutione poenas adiicere et aggravare?

3. Et quatenus possit: an haec facultas, quae ex dicto decreto *Ut in parvis*, competit Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, exspiret, lapso integro anno a die publicationis decretorum?

4. An Episcopus post exemptionem a conventu recuperatam possit condemnare et punire, etiam poena corporis afflictiva, Religiosum, qui pro delicto in curia episcopali fuerat inquisitus et carceri mancipatus eo tempore, quo conventus erat iurisdictioni Episcopi subiectus?

62. Die 19. Novemb. 1671. S. C. Sup. Stat. Reg. ad singula dubia superius proposita respondit, ut sequitur, videlicet:

Ad 1. Posteaquam conventus exemptionem recuperavit, Episcopum nequaquam posse illum visitare, etiam ad effectum, ut

videat, an decreta edita in praecedenti visitatione fuerint exsecutioni mandata.

Ad 2. Itidem non posse post huiusmodi exemptionem decreta non impleta exsequi, minusque poenas adiicere et aggravare pro illorum exsecutione.

63. Ad 3. Iurisdictionem ex dicto decreto *Ut in parvis* Episcopo attributam in conventu non habente Religiosorum numerum ibi praecriptum exspirare eo ipso, quod conventus ob familiam sine fraude adauctam, et impletum numerum Religiosorum praefixum exemptionem recuperavit.

Ad 4. Cum contra dictum Religiosum non solum causa, sed etiam persona sit praeventa, eo tempore, quo conventus erat subiectus iurisdictioni Episcopi, et exemptio superveniens non invenerit eum liberum, utique Episcopum, tamquam Sedis Apostolicae Delegatum, posse huiusmodi causam tempore habili inchoatam prosequi etiam post exemptionem, eumdem Religiosum condemnare et punire etiam poena corporis afflictiva.

64. Auctor novarum additionum ex aliena manu ad Ferrarium sub exitum *Art. 2.* verbo *Conventus* quod pertinet ad exiguos conventus, de quibus loquimur, ad vitandum errorem et confusionem haec, quae sequuntur, strictim adnotanda assumit:

« I. Conventus (sic ipse) fundati ante decreta de celebratione » Missarum die 21. Iun. 1625. edita a S. Cong. Conc. et appro- » bata a s. m. Urbano VIII. (eadem sunt ac ea, quae nominan- » tur in decreto *Ut in parvis*) et non suppressa vigore Consti- » tutionis incip. *Instaurandae* s. m. Innoc. X., si duodecim haud » habeat Religiosos, subiecti sunt iurisdictioni Episcopi in con- » cernentibus non solum disciplinam ecclesiasticam, sed et Insti- » tutum regulare, ut S. Cong. de Stat. Reg. de ann. 1655. re- » scripsit in 4. dubio.

65. » II. Conventus suppressi virtute mox dictae Constitu- » tionis s. m. Innocentii X. et postea restituti, si sex Religiosos » minime habeant, subiecti itidem sunt iurisdictioni Episcopi » tum quoad ecclesiasticam disciplinam, tum quoad Institutum » regulare iuxta eamdem resolutionem S. C. Sup. Stat. Reg. in » dicto 4. dubio.

66. » III. Conventus fundati post dicta decreta, si duodecim » Religiosos nequaquam habeant, subiecti utique sunt iurisdi- » ctioni Episcopi, at circa dumtaxat disciplinam ecclesiasticam,

» non item circa regulare Institutum, ut tradunt Pignat. *Con-* » *sult. can. tom. 2. consult. 136. n. 24.* et optime del Bene *de* » *Immunit. p. 2. c. 24. dub. 21. n. 5.* (1). »

67. Ex his, quae hactenus exposuimus, luculenter evincitur ius, quo potiuntur Episcopi circa huiusmodi conventus: quod quidem dum nos statuendum curavimus, noluimus certe obligationis vim ita in Episcopos reiicere, ut, si huiusmodi conventus visitare praetermiserint, suo indiscriminatim se muneri defuisse arbitrentur: adeoque in eorum animis anxietates ac conscientiae stimuli exoriantur. Porro hac in re adnotare non omittimus, Episcopos, ut plurimum, a parvorum conventuum visitatione sese abstinere ea de causa, ne illud charitatis ac pacis vinculum, quod inter ipsos ac Religiosos feliciter intercedit, vel debilitetur, aut etiam interrumpatur. At vero S. C. C., quando super hac re interloqui opportunum censet, Episcopis respondere solet, eos

---

(1) « Non importune hic quaeritur, utrum conventus (in quibus exigua familia habitat, de quibus hic loquimur) subsint iurisdictioni Episcopi ordinariae an delegatae. Quod attinet ad conventus fundatos ante praefata decreta et non suppressos, tum ad conventus suppressos et postea restitutos, non ordinariae sed delegatae iurisdictioni Episcopi subesse patet ex decreto *Ut in parvis*, lato in exsecutionem dictae Constitutionis *Instaurandae*, in qua expresse habetur, quod subiecti ii sint Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato. At quod concernit conventus fundatos post toties memorata decreta, eosque praesertim, qui a principio non habuerunt duodecim Religiosos, tuto affirmari haud potest, subesse ipsos delegatae Episcopi iurisdictioni; idque quia minime in iis dictum fuit, quod subiecti ipsi sint Episcopo uti Delegato Apostolicae Sedis, sed postquam iussum fuit, ut non fundentur Conventus, nisi reditus habeant sufficientes sustentationi duodecim Religiosorum, subditum fuit: *alioqui monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur.* Utilis autem est haec observatio ad plures effectus. Ut alios taceamus, in ecclesiis conventuum illorum, qui nonnisi delegatae iurisdictioni Episcopi subsunt, nequit parochus parochiae, in qua positi ii sunt, officium funebre peragere super cadavere sui parochiani, propterea quod durat adhuc exemptio, quae impedit, quominus dictum officium funebre a parocho super cadavere sui parochiani peragatur, ut... videtur sensisse S. C. Conc. in *Volaterrana* 16. Mart. 1726. ad 5. dub., tum S. C. Episc. et Regul. in *Nullius* seu *Terrae Pontian.* 20. Mart. 1739. et in *Pientina* 4. Feb. 1757. Sed in ecclesiis aliorum conventuum, qui ordinariae Episcopi iurisdictioni sunt subiecti, quum cesset privilegium illud exemptionis, natura sua, ut dictum est, impediens, quominus possit parochus officium funebre peragere super cadavere sui parochiani, non est, cur excludi ab eo possit parochus. Quoties enim ecclesia posita est intra limites parochiae, nec est exempta, ius est parocho peragendi officium funebre super cadavere sui parochiani. » (Ferraris l. c. n. 39–44.).

posse ab hac visitatione se abstinere, quando ceteroquin certi tutique sunt, in iisdem conventibus omnia recte ac ordine procedere. Plerumque tamen S. C. Episcopos hortatur, ut pro data sibi a Domino prudentia in peragenda dioeceseos visitatione, saltem aliquod circa huiusmodi parva coenobia signum edant, ex quo Religiosi cognoscant, sese nolle Episcopalis auctoritatis iuribus nuntium mittere; illud enim potest accidere, ut in posterum tempus casus fortasse superveniat, quo necesse sit, ut Episcopus suam in ipsis, nulla habita ratione, iurisdictionem iuxta canonica iura exerceat.

68. Neque dissimilis est disciplina S. C. Episc. et Regul., nam, ut animadvertitur in consultatione causae N. N. *Super exempt. orat.* 20. Dec. 1857. §. *Esposti,* novum non est, ut eadem S. C. ob rationabiles causas consilium praebeat Episcopis, ut sese a visitandis exiguis huiusmodi conventibus temperent. Ita porro sese gessit Sacer Ordo in memorata causa N. N. Agebatur de oratorio, quod publicum, an privatum esset, initio dubitabatur; at posthac, melioribus acceptis notitiis, compertum fuerat, probabilius ac certius habendum esse uti publicum in eo, quod pertinet ad sacras functiones ibi peragi solitas, licet aliunde idem sacellum de proprietate privatorum videretur. Surgebat isthaec aedicula intra praedium, quod primitus ad privatorum familias pertinuerat, ac demum emptionis titulo una cum aedicula ad sodales Societatis Iesu pervenerat. Dioecesanus Episcopus, quoniam ibidem sacrificium Missae offerebatur, aliaeque sacrae functiones absolvebantur, sacram visitationem pro sua auctoritate exercere contendebat: at vero Sodales Societatis Iesu privilegiis, quae a Summis Pontificibus Societati concessa sunt, in medium allatis, exemptionem a sacra visitatione tuebantur. Delata causa ad S. C. Episc. et Regul. ac dubitatione proposita super exemptione eiusdem oratorii a visitatione episcopali, S. C. declarationem differendam censuit, et interim Episcopo scribi mandavit, *ut attentis peculiaribus circumstantiis se abstineat a visitatione oratorii.* Quod quidem temperamentum ideo initum fuisse coniicere licet, ut longae quaestioni finis imponeretur; quoniam ceteroquin nullius practicae utilitatis eamdem esse compertum erat; namque animadvertebatur, nullum relinqui dubitandi locum, quin iidem sodales ob eorum erga Dei domum spectatam curam et studium nihil abnorme admitti paterentur.

« IV. Denique, an aliquod habeat cum Regularibus offendi-
» culum in exercitio iurisdictionis delegatae in illis casibus, in
» quibus eadem ipsi tributa est a Sacro Concilio Tridentino, vel
» Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter a Bulla
» Clementis Papae X., quae incipit *Superna.* »

**Art. I. Enumerantur casus, quando exemptioni ab Episcopi iurisdictione fit locus vel non.**

69. In hac paragrapho IV. instructio nostra quaerit, an Episcopi aliquod habeant offendiculum cum Regularibus circa illa capita, quae in eadem proponuntur. Quod ut facilius ac tutius Episcopi referentes assequantur, valde opportunum, atque adeo necessarium est, ut agnoscant ea, in quibus Regulares, utpote exempti, episcopali auctoritati subiiciuntur, et ea, in quibus ab eadem sunt immunes. Singulos huiusmodi casus concinne ac breviter enumerat ac refert Giraldius *Ius Pont. P. I. lib. 1. Decretal.tit.31.de officio iudicis ordinarii sect. 190.ac 191.* Tres enim hanc in rem adtexit appendices, quas hic per extensum exscribimus; nihil enim magis ad rem nostram facere posse videtur. Porro in iisdem appendicibus res est generatim de quibuslibet exemptis etiam non Regularibus, veluti ex. gr. sunt Capitula ab Episcopi potestate soluta, aliaque id genus: quae quidem mutilare ac tollere non existimamus, quandoquidem ea nosse non modo non inutile, sed et fructuosissimum accidet. Plura insuper occurrent, quae iam antevertimus, vel posthac versare et expendere debebimus, quae item suo loco manere voluimus, quia omnium casuum, qui huc pertinent, seriem uno veluti sub intuitu reperire et considerare rem gratam fore confidimus. Ceterum triplicis huius appendicis summarium exhibere abstinemus: singula siquidem puncta ita iam summata sunt, ut amplius summari absque periculo obscuritatis et superfluitatis haud posse videantur.

*Appendix I. Giraldii, in qua referuntur ea, quae Concilium Tridentinum permittit Episcopis in exemptos, tamquam Apostolicae Sedis Delegatis, quaeque antea eis non data fuerant propter exemptiones ab eadem Sede, alioque modo quaesitas etc.*

70. – I. Possunt compellere Abbates, qui negligunt instituere lectionem sacrae Scripturae in monasteriis, ubi commode fieri potest. *Cap. 1. Sess. 5. de Reform.*

II. Metropolitani possunt compellere Abbates monasteriorum nullius dioecesis in eorum provinciis, non curantes, ut praedicetur in ecclesiis parochialibus, quae ab istis monasteriis dependent. *Cap. 2. eiusdem Sess.* §. *Si quae.*

III. Item Episcopi procedere debent iuxta iuris dispositionem locive consuetudinem contra praedicatores, etiam exemptos, si haereses praedicaverint. Dictis *Sess. et cap.* §. *Si vero.*

IV. Deputare debent idoneos vicarios in ecclesiis curatis, possessis ab exemptis in casu non residentiae, ad tempus permissae, illisque assignare congruam fructuum portionem. *Cap. 2. Sess. 6. de Reform.*

V. Possunt quemlibet clericum saecularem ac regularem extra monasterium degentem visitare, punire et corrigere, si deliquerit. *Cap. 3. Sess. 6. de Ref.* Quod etiam locum habet quoad Regulares translatos ad alterum Ordinem, nisi in hoc sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneant, iuxta *Cap. 11.* eiusdem Trid. *Sess. 14. de Reform.*, ut declaravit Bened. XIV. Constit. *Pontificia commendatione* 27. Maii 1746., quam dabimus in volumine III. sub num. 46.

71. – VI. Item visitare Capitula, quocumque modo exempta, quoties expediens iudicabunt. *Cap. 4. Sess. 6. de Reform.*

VII. Item examinare uniones perpetuas a quadraginta annis citra factas, et quae per subreptionem vel obreptionem obtentae fuerint, irritas declarare. *Cap. 6. Sess. 7. de Reform.*

VIII. Item visitare ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, singulis annis, opportunisque remediis providere, ut quae reparatione indigent, reparentur, quaeque debitis obsequiis defraudantur, minime defraudentur. *Cap. 8. Sess. 7. de Reform.*

IX. Convenire debent exemptos coram se in causis mercedum, et miserabilium personarum, etiamsi habeant iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus, sicuti et in aliis causis, si talem iudicem non habuerint. *Cap. 14. eiusdem Sess. 7.*

X. Summarie cognoscere debent per se ipsos de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione criminis publici, de quo inquirere coeperunt, vel remissione poenae, ad quam condemnaverunt, cum falsis precibus impetrata sit. *Cap. 5 Sess. 13. de Reform.*

XI. Item possunt et debent corrigere quoscumque clericos exemptos, alias sibi subditos, etiam extra visitationem. *Cap. 4. Sess. 14. de Reform.*

XII. Dividere debent tertiam partem fructuum, convertendam in distributiones inter eos, qui divinis officiis intersunt, servata debita proportione personarum et horarum, caeterosque non interessentes iisdem distributionibus privare. *Cap. 3. Sess. 22. de Reform.*

72. – XIII. Debent commendata beneficia, quaecumque sint, etiam exempta, visitare, et iubere circa ea, quod necessarium iudicabunt, nisi sint in monasteriis, quae sunt capita Ordinum, vel quae istis subsunt. *Cap. 8. Sess. 21. de Reform. et Cap. 20. Sess. 25. de Regularibus.*

XIV. Augere debent sacerdotum numerum in parochialibus ecclesiis, in quibus maiòr requiritur, et parochias erigere, cum distantia vel difficultas locorum id postulat. *Cap. 4. ead. Sess. 21.*

XV. Item unire ecclesias cuiuscumque generis propter paupertatem caeterasque causas a iure probatas. *Cap. 5. Sess. 21.*

XVI. Item summarie cognoscere de dispensationibus a Sede Apostolica gratiose commissis, exsecutioni dandis scilicet sine plena causae cognitione, an subreptitiae vel obreptitiae sint, sicuti et de commutationibus ultimarum voluntatum. *Cap. 5. Sess. 22.*

XVII. Item dare parochis imperitis (alias honestae vitae), coadiutores pro tempore, hisque assignare fructuum partem pro sufficienti victu; alios vero parochos turpiter et scandalose viventes castigare, et si in nequitia perseverent, etiam beneficiis privare. *Cap. 6. ead. Sess. 21.*

XVIII. Debent ultimarum voluntatum dispositiones summarie et extraiudicialiter cognoscere, antequam earum commutationes exsecutioni demandentur. *Cap. 6. Sess. 22.*

XIX. Item transferre beneficia simplicia ex ecclesiis collapsis, quae ob paupertatem instaurari nequeunt, in matrices, aliasve ecclesias, cum suis oneribus, licet sint iuris patronatus, ecclesias autem parochiales collapsas reficere debent ex quibuscumque illarum fructibus, et his deficientibus, parochianos congruis iuris remediis ad illas restaurandas compellere, invocato ad hoc brachii saecularis auxilio. Quod si propter nimiam eorumdem parochianorum egestatem id fieri nequeat, debent modo supradicto transferre. *Cap. 7. Sess. 21.*

73. XX. Possunt examinare notarios, quacumque auctoritate creatos, idoneosque non repertos officio privare perpetuo vel ad tempus quoad causas ecclesiasticas et spirituales. *Cap. 10. Sess. 22.*

XXI. Debet Episcopus vicinior visitare ecclesias saeculares nullius dioecesis, si id constet: alioquin visitari debent ab eo, qui semel in Concilio provinciali a Praelato loci illius electus fuerit. *Cap. 9. Sess. 24.*

XXII. Possunt Episcopi in omnibus his, quae ad visitationem morumque correctionem spectant, ordinare, moderari, punire et corrigere, quae pro utilitate dioecesis necessaria videbuntur. *Cap. 10. ead. Sess. 24.*

XXIII. Episcopis subiiciuntur exempti propter officia in honorem tantum data. *Cap. 11. ead. Sess. 24.*

XXIV. Possunt cognoscere de subreptione vel obreptione facultatum Apostolicarum, quibus conceditur, ut ab ingredientibus in beneficia iura temporalia exigantur, si haec in usus pios non convertantur. *Cap. 14. eadem Sess. 24.*

74. – XXV. Metropolitani possunt monachos, qui capitulis generalibus non subsunt, quique congregationes, quae talia capitula habent, praesidesque vel visitatores facere negligunt, pro praedictis causis convocare: quod si dicti monachi, Metropolitano instante, memorata exsequi non curent, subduntur Episcopis, in quorum dioecesibus eorum monasteria sita sint. *Cap. 8. Sess. 25. de Regularibus.*

XXVI. Debent Episcopi in monasteriis exemptis monialium, etiam Regularibus subiectarum, restituere clausuram, si violata fuerit, et conservare non violatam. *Cap. 5. ead. Sess. 25. de Regularibus.*

XXVII. Debent gubernare monasteria monialium Sedi Apostolicae immeditate subiecta, in quorum dioecesibus sita sunt. *cap. 9. eiusd. Sess. 25.*

XXVIII. Debent suspendere, quoadusque eis videbitur, a beneficiis clericos publice concubinarios privareque tertia parte fructuum beneficiorum suorum, si moniti concubinas non dimittunt. *Cap. 14. Sess. 25. de Reform.*

XXIX. Debent Episcopi revocare patronatus alicui beneficio acquisitos a quadraginta annis citra ex augmento seu ex nova constructione, vel ex simili causa, si repererint, ob evidentem beneficii necessitatem non esse constitutos, licet Apostolica auctoritate constituti sint. *Cap. 9. Sess. 25. de Reform.* §. *Similiter quoque.*

*Appendix II. Giraldii, in qua, praeter allata in superiori appendice n. III. V. XXV. et XXVI. referuntur sequentia, in quibus Regulares exempti subiiciuntur Episcopo.*

75. Regulares exempti subiiciuntur Episcopo, etiamsi degant numero sex, quorum quatuor sint sacerdotes 40 annorum completorum, et duo conversi in conventibus intra Italiam et insulas adiacentes erectis ante decretum Urbani VIII. ante diem nempe 21. Iunii 1625., et etiam numero duodecim in conventibus post dictum diem erectis: si enim in minori respective numero in praefatis conventibus degant, iam subiiciuntur visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, iuxta dicti Urbani et Innocentii X. decretum *Ut in parvis*, 10. Feb. 1654. confirmatum et innovatum una cum altero Gregorii XV. *Cum alias*, 17. Aug. 1622. ab Innocentio XII. Constit. *Nuper*, 23. Dec. 1697. §. 25. Quomodocumque igitur exempti sint, subiiciuntur tamen Episcopo: (1)

I. Quoad visitationem, correctionem et iurisdictionem, si animarum curam exerceant personarum saecularium, quae non sunt de monasteriorum familia, sicuti et quoad examen vicarii etiam amovibilis, per ipsos in propriis ecclesiis parochialibus constituendis. Excipiuntur tamen monasterium Cluniacense cum suis limitibus, et monasteria, in quibus Abbates et capita Ordinum residere solent, atque ea, in quibus Superiores iurisdictionem episcopalem in parochos et parochianos habent: qualia sunt loca nullius dioecesis, in quae loca, aut personas non intendit Tridentinum Episcopi iurisdictionem minuere, sed tantum non augere. *Cap. 11. Sess. 25. de Regularibus.*

Circa hanc subiectionem videnda est Constit. Bened. XIV. *Firmandis*, 8. Idus Martii 1744., in qua §. *11.* declarat etiam, quod si Episcopus dictum parochum seu vicarium removendum esse iudicaverit, removere possit absque Superioris regularis consensu, sicuti et hic eiusdem Episcopi consensu non requisito.

II. Quoad accessum ad Synodum dioecesanam, tam si non subdantur capitulis generalibus, quam si curam gerant ecclesiarum parochialium, aliarumve saecularium, etiam annexarum, ex eodem Trident., *cap. 2. Sess. 24. de Reform.*

---

(1) Cum certis tamen limitationibus supra iam indicatis.

76. – III. Quoad saecularium Confessiones audiendas, etiam sacerdotum atque monialium sibi subiectarum, sicuti et quoad punitionem pro fractione sigilli sacramentalis, ex eod. Triden. *Sess. 23. cap. 15.*, et ex Constit. Gregorii XV. *Inscrutabili*, 5. Feb. 1622. et Clem. X. *Superna*, 11. Kal. Iul. 1670.; necnon quoad deputationem confessarii extraordinarii iisdem sibi subiectis monialibus per eorum Superiores exhibendi duabus aut tribus vicibus in singulos annos, iuxta Trid. *Cap. 10. Sess. 25. de Regul.*, si neglexerint exhibere: in quo casu liberum est Episcopo etiam exhibere quemlibet presbyterum saecularem, vel alterius Ordinis Regularem, quemadmodum exhibere possent et ipsi Superiores ex Constit. Bened. XIV. *Pastoralis curae*, §. *Sane*, sub die 5. Aug. 1748.

IV. Quoad praedicationem verbi Dei: in propriis quidem ecclesiis, si praedicaverint sine Episcopi benedictione; in alienis vero, praeter suorum Superiorum licentiam, si sine eiusdem Episcopi approbatione; ex eodem Tridentini *Cap. 2. Sess. 5. et cap. 4. Sess. 25. de Reform.*, ac dictis Constit. Gregorii et Clementis.

V. Quoad Ordines recipiendos, tam circa aetatem, quam circa interstitia et examen subeundum, ex eod. Trid. *Cap. 12. Sess. 23. de Reform.*

VI. Quoad quaestorum officium exercendum, ex *Cap. 1. Sess. 21. de Reform.*

VII. Quoad punitionem, si vagentur extra claustra sine suorum Superiorum mandato, in scriptis obtento: ac si missi ad universitates studiorum causa, non habitent in conventibus: quemadmodum si scandalose extra claustra delinquentes, instante Episcopo, puniti non fuerint a suis Superioribus intra terminum, ab eodem Episcopo praefigendum, de qua punitione certiorari debet, ex *Cap. 4. et 14. Sess. 25. de Regul.*

Ita etiam carcerari possunt, si comprehensi in delicto timeatur de fuga, iuxta Cap. 8. eiusd. Sess., et recta mittendi sunt ad suos Superiores una cum probationibus, etiam non compilato processu, ex decr. Cong. Conc. relato a Fagnan. in *Cap. 19.* Grave gerimus, *de offic. ordin. num. 69.* Item puniri possunt, si incesserint sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, ac etiam publice deferentes arma, iuxta declarationem Congreg. Episc. et Regul. *in Andrien.* 15. Decembris 1584. et *in Ra-*

*vennaten.*, 12. Septemb. 1594. ac S. Congr. Conc. *in Turritana*, 3. Febr. 1635.

Pari modo puniri possunt iuxta cit. *Cap. 14.* Tridentin., si deliquerint in propria ecclesia, ianuis apertis, ut scandalo fuerint populo, ex declaratione eiusdem Cong. ad *Dubium in Posit. 442. ad d. cap. 14.*

Circa punitionem scandalose viventium extra claustra, vide notanda in hac ead. Appendice post numerum LVIII. §. *Circa tamen.*

77. – VIII. Quoad accessum ad publicas supplicationes ex mandato Episcopi, exceptis Regularibus viventibus in strictiori clausura, ex *Cap. 13. Sess. 25. de Regul.*

Exceptis etiam iis, quorum monasteria distant a civitate ultra medium militare, ex declaratione Gregorii XIII. ut notatum legitur in libris publicis Cong. Conc. ad cit. *Cap. 13.* teste Fagn. *ad cap. 17.* Nimis prava, *de excess. Praelat. n. 11.*

IX. Quoad compositionem controversiarum exortarum inter unum et alterum Ordinem regularem, ac inter eosdem Regulares et clericos saeculares, appellatione remota, circa praecedentiam in processionibus publicis, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliisque similibus, ex *eod. Cap. 13.*

X. Quoad observationem dierum festorum ex eiusdem Episcopi praecepto observandorum ex *Cap. 12. eiusdem Sess. 25.*

XI. Quoad censurarum publicationem faciendam ex mandato dicti Episcopi in eorum ecclesiis, earumdemque censurarum observationem, etiam si mendicantes sint, ex cit. *Cap. 12. Trid. et Cap. 8.* Episcoporum *de priv. in 6.* Nec illis suffragatur confirmatio privilegiorum a S. Pio V. concessa, cum redacta sit ad terminos Conc. Trid. ex decr. Cong. Concil. in Giennen. *Observat. interdicti*, mense Nov. 1584. (*lib. 4. decret. pag. 7.*), et Ventimil. Dec. 1586. *ad 18. (lib. 5. decret. pag. 72.).*

XII. Quoad observantiam interdictorum, quae Episcopus promulgaverit, ex cit. *Cap. 12. et Clementina I. de sen. excomm.* et ex decr. Cong. Conc. in *Caesaraugustana Interdicti*, 11. Iun. 1695., quo declaratum fuit, teneri ad illorum observantiam etiam milites Hierosolymitanos, ac ex cit. Giennen. et Ventimilien.

78. – XIII. Quoad solemnem aut publicam expositionem SS. Sacramenti absque Episcopi licentia, ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnan. in *Cap. 19.* Grave, *de offic. Iud. ord. n. 77.*,

et pluribus decretis Cong. Episc. et Regul. ac Conc. relatis a Lucio Ferraris *Prompta Biblioth.* verb. *Eucharistia n. 57.*

XIV. Quoad retentionem lampadis accensae ante tabernaculum SS. Sacramenti, ex Trident. in *decreto de evitand. in celebrat. Miss. Sess. 22.;* nec sufficit illam accensam retinere in choro, ex decreto *Cong. Rituum* 21. Aug. 1699.

XV. Quoad observanda et evitanda in celebratione Missarum, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, ex citato Tridentini decreto et Cong. Conc. In *Vercellen.* 21. Martii 1643.

XVI. Quoad appositionem insolitae imaginis in eorum ecclesiis, novarum reliquiarum expositionem, ac novorum miraculorum publicationem sine Episcopi approbatione, ex Trid. decreto *de invoc. et venerat. etc. Sess. 25.*

XVII. Quoad publicationem indulgentiarum, ex eodem Trident. *Cap. 9. Sess. 25. de Reform.*

XVIII. Quoad facultatem absolvendi a casibus ipsi Episcopo reservatis, ex Constit. Clementis X. *Superna* §. *7.,* 11. Kal. Iun. 1670.

79. – XIX. Quoad ingressum Superiorum intra clausuram monialium iisdem subiectarum absque necessitate, et hac interveniente, si ingressi fuerint sine praesentia Episcopi, vel alterius ecclesiasticae personae, ab eo ad hoc specialiter delegatae, ex Constit. Greg. XIII. *Dubiis* 23. Decemb. 1581., et Alexandri VII. *Felici* 13. Kal. Novemb. 1664.

XX. Quoad dictum ingressum plusquam semel in anno ex causa visitationis: sicut et quoad introductionem occasione huiusmodi ingressus, plurium sociorum sui Ordinis, quam duorum, si agatur de Superiore generali; et plusquam unius, si agatur de Superiore alio a Generali. Item quoad sumptionem refectionis intra eamdem clausuram, quae interdicta est tam Superiori visitanti, quam eius sociis ex citata Alexandri Constit. *Felici.*

XXI. Quoad electionem Abbatissae monialium iisdem Regularibus subiectarum, cui Episcopus interesse potest, vel per se, vel per alium, si velit, ex Constitutione Gregorii XV. *Inscrutabili,* 5. Febr. 1622.

80. – XXII. Quoad punitionem, etiam sub poena excommunicationis privationisque vocis activae et passivae, ferendae sententiae, etiam contra equites Hierosolymitanos, propter accessum et locutionem eis interdictam sub mortali culpa, licet per quod-

cumque modicum temporis spatium, et ob quamcumque honestam causam, cum quibuscumque monialibus, aliisque intra earum monasteria degentibus, sine legitima licentia, ex decretis S. Congr. Episc. et Regul. iussu Sixti V. editis 9. Maii 1590. et Urbani VIII. 12. Kalend. Decemb. 1623. ac S. Congreg. Conc. cum approbatione Clement. IX. sub die 11. Maii et 16. Nov. 1669. atque in *Spoletana Accessus ad monasteria,* 26. Maii 1672. ac in *Bergomen.* 21. Maii 1678. Cuius autem Superioris licentia requiratur, dicetur infra *(pag. 74.)* in fine huius Appendicis §. *Quod spectat.*

XXIII. Quoad pernoctationem confessarii monialium in domo, quae per parietes et tecta non sit penitus distincta et separata ab earum monasteriis, ex citata Constit. Alexandri VII.

XXIV. Quoad explorationem voluntatis puellae, tam ante habitus susceptionem, quam ante professionem, sub poena suspensionis Abbatissae monialium eis subiectarum, arbitrio Episcopi infligendae, si ante mensem de futura professione eum certiorem non fecerit, ex *Cap. 17. et 18. Sess. 25. de Regul.,* et ex decretis S. Congreg. Conc. in *Limana* 19. Novemb. 1625., in *Burgen.* 4. Decemb. 1627., in *Derthonen.* 16. Decemb. 1545.

XXV. Quoad invaliditatem renuntiationis, vel obligationis novitiorum, etiam in favorem causae piae, ante duos proximos professioni menses sine Episcopi licentia exaratae: ac etiam quoad compulsionem per censuras ecclesiasticas, tam, ne quid de novitii novitiaeque bonis detur monasterio ante illius professionem, quam ut, si quid datum fuerit, eis ad saeculum redeuntibus restituatur, ex *Cap. 16. eiusdem Sess. 25.*

81.–XXVI. Quoad deductionem causarum faciendam ante quinquennium a die professionis computandum, nedum coram Superiori regulari, sed etiam coram Episcopo a Religioso volente habitum dimittere, vel cum eo a Religione discedere praetextu nullitatis professionis, ex *Cap. 19. eiusdem Sess. 25.*

XXVII. Quoad exsecutionem decretorum Conc. Trid. *de Reform.* circa Regulares, etiam exemptos, ex *Cap. 22. eiusdem Sess. 25.*

XXVIII. Quoad exsecutionem voluntatis testatorum, et redditionem rationis, si ipsis Regularibus commissa fuerit exsecutio ex Clementina *Religiosi de testamen.* Adeatur Fagnan. in *Cap.* Tua nobis *num. 19. et 49.*

XXIX. Quoad visitationem confraternitatum in eorum ecclesiis erectarum, et redditionem rationis propter administrationem

dictarum confraternitatum et hospitalium, ex *Cap. 8. et 9. Sess. 22. de Reform.* et ex decreto C. Conc. relato a Fagnano *loc. cit. n. 47.*

XXX. Quoad erectionem confraternitatum sine consensu Episcopi, ex Constit. Clementis VIII. *Quaecumque* 7. Dec. 1604. §. 2.

XXXI. Quoad constructionem oratoriorum vel capellarum in locis non exemptis sine licentia Episcopi, et celebrationem Missarum in iisdem, aliter constructis, quocumque tempore, et potissimum tempore generalis interdicti, ex *Cap. 4.* Auctoritate *de priv. in 6.*, sicuti et quoad punitionem propter celebrationem Missae in oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem iam celebrata unica Missa, in Apostolico indulto concessa, ex decreto S. Congr. Conc. in *Neapolitana* 30. Maii 1699. et ex decreto Clement. XI. de Oratoriis privatis, *Quoniam Sancta* 15. Dec. 1703.

Quemadmodum propter erectionem altaris portatilis in domo privatorum, ut ibi celebrent et Viaticum ministrent Religioso infirmo sine Episcopi vel parochi licentia, ex decreto S. Congr. Conc. in *Messanen.* 28. Sept. 1698.

82.–XXXII. Quoad declarationem de incursu in excommunicationem, si absque licentia Episcopi, vel parochi ministraverint laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum conventibus, Viaticum, et Extremam Unctionem, ex *Clementina I.* Religiosi *de priv.* et etiam ex pluribus declarationibus S. Congr. Conc. in *Nullius* 19. Sept. 1637., in *Crem.* 27. Febr. 1645., in *Ripana* 3. Febr. 1694., et in *Neap.* 5. Iunii 1710.

XXXIII. Quoad punitionem propter sollicitationem in confessione, sicuti si docuerint, poenitentes non teneri ad denuntiationem confessarii sollicitantis, ex Constit. Gregor. XV. *Universi dominici* 30. Augusti 1622. et Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae* 1. Iun. 1741.

XXXIV. Quoad causas fidei, ex *Trid. Cap. 2. Sess. 5. de Reform.* et ex Constit. Pauli V. *Romanus Pontifex* 1. Sept. 1606. et ex citata Constit. Gregorii XV.

XXXV. Quoad iudicium subeundum, si degunt extra monasteria, ratione delicti, contractus, et rei, de qua agitur: item quoad cognitionem causarum civilium mercedum, et miserabilium personarum; sed quoad delictum excipiuntur, si certum ab Apostolica Sede iudicem obtinuerunt, ex *Trident. Cap. 14. Sess. 7. et ex Cap. 1.* Volentes *de privil. in 6.*

XXXVI. Quoad cognitionem et definitionem causarum, quae cognosci debuissent ab eorum iudicibus conservatoribus, si his ausi fuerint aliter uti, quam iuxta formam praescriptam a Gregorio XV. Constit. *Sanctissimus* 20. Sept. 1621.

XXXVII. Quoad absolutionem a suspensione incursa ob benedictionem nuptialem datam sponsis alterius parochi sine huius licentia, ex *Trid. Cap. 7. Sess. 24. de Reform. matrim.*

83.–XXXVIII. Quoad denuntiationem publice faciendam ab Episcopo, quoties ei constiterit, Regulares incurrisse censuras, quae ipso facto incurruntur; dummodo haec denuntiatio animarum saluti profutura videatur, ex *Clementina I.* Religiosi *de privil.*

XXXIX. Quoad violationem immunitatis ecclesiasticae, ex Constit. Gregor. XIV. *Cum alias,* 24. Maii 1591. et Bened. XIII. *Ex quo* 6. Id. Iunii 1725., et ex decreto S. Congr. Immunitatis 3. Febr. 1637. et in *Papien.* 28. Iulii 1736.

XL. Quoad offensionem ipsi Episcopo a Regularibus etiam S. Ioannis Hierosolymitani illatam, et quoad impedimentum iurisdictionis Praelatorum, ne munus suum exsequantur, ex decreto S. Congreg. Concil. approbato a Gregorio XIII. relato a Fagnan. in *Cap.* Grave gerimus *de offic. ordin. n. 79.*

84.–XLI. Quoad laesionem ministrorum et officialium curiae episcopalis, ex decreto *S. Congr. Episc. et Regul.* 27. Martii 1692.

XLII. Quoad praestanda Episcopo debita obsequia, et baldachini erectionem in eius accessu ad illorum ecclesias, pro ibi celebrandis pontificalibus: quod si facere renuant, potest idem Episcopus absque alia monitione interdictum ecclesiae indicere, et denuntiare, ex decreto S. Congr. Conc. in *Venafrana Interdicti* 26. Ian. 1697.

XLIII. Quoad punitionem delicti commissi contra personas infra septa aut circa clausuram, vel bonorum administrationem monasteriorum monialium, ipsis Regularibus subiectarum, ex Constit. Gregor. XV. *Inscrutabili* 5. Febr. 1622.

XLIV. Quoad coercitionem per censuras propter benedictionem ecclesiasticorum et sacrorum paramentorum ab ipsis factam pro usu aliarum ecclesiarum, ex decreto S. Congr. Rituum in decretis generalibus emanatis 27. Sept. 1659., et 20. Iul. 1660. confirmatis et approbatis ab Alexandro VII.

XLV. Quoad prohibitionem, ne in eorum ecclesiis canantur cantilenae et laudes idiomate italico, ex decreto eiusdem S. Congr.

in *Novarien.* 7. Augusti 1628., in *Hispalen.* 3. Septembris 1695. et 24. Novemb. 1696.

XLVI. Quoad spectantia ad venerationem eorum, qui cum sanctitatis opinione, vel fama martyrii ex hac vita migrarunt, ex Constit. Urbani VIII. *Caelestis Hierusalem* 5. Iul. 1633.

85.–XLVII. Quoad punitionem asserentium, Beatam Virginem conceptam esse cum peccato originali, ex Constit. Gregor. XV. *Sanctissimus* 24. Maii 1622. et Alex. VII. *Sollicitudo* 8. Dec. 1661.

XLVIII. Quoad punitionem propter Missae celebrationem, et exceptionem Confessionis sacramentalis, antequam promoti fuerint ad sacrum presbyteratus Ordinem, ex Constit. Greg. XIII. *Officii* 6. Augusti 1574., Clementis VIII. *Etsi alias* 1. Dec. 1601., Urbani VIII. *Apostolatus officium* 23. Maii 1628., ac Bened. XIV. *Sacerdos in aeternum* 20. Apr. 1744.

XLIX. Quoad receptionem in eorum ecclesiis parochialibus missionariorum, quos Episcopus miserit, tamquam praenuntios visitationis a se explendae, ex Constit. Bened. XIV. *Firmandis* §. 5. 6. Novemb. 1744.

L. Quoad punitionem (et quidem privative quoad ipsorum Superiores) propter tonsionem aut falsificationem aut adulterationem monetarum: necnon propter falsificationem et alterationem schedularum montis pietatis, et mensae nummulariae S. Spiritus; sicuti et si has sic falsificatas et alteratas expenderint, ex Constit. Urbani VIII. *Superna* 13. Nov. 1627. et Bened. XIV. *Ad curam Nostram* 31. Octobr. 1756.

LI. Quoad punitionem, (et privative quoad eorum Superiores), propter assistentiam praestitam in celebratione matrimonii sine praevia Episcopi sive parochi contrahentium licentia, ex Constit. Gregor. XV. *Inscrutabili* 5. Febr. 1622.

86.–LII. Quoad munus exorcizandi, sive in eorum, sive in aliena ecclesia, sive extra, sive intra conventum absque Episcopi licentia, sub poenis ab eodem infligendis, ex decreto S. Congr. Episc. et Regul. 22. Februarii 1625. et Constit. Bened. XIV. *Magno cum animi Nostri* §. *34.* 2. Iunii 1751.

LIII. Quoad punitionem, si libros de rebus sacris, aliosque impresserint, vel imprimi fecerint sine nomine auctoris, aut illos vendiderint, vel apud se retinuerint absque Episcopi et suorum Superiorum examine et approbatione, iuxta decretum Concilii Lateranensis V., innovatum et confirmatum a Trid. *Sess. 4.* in de-

creto *de edit. et usu Sacror. Libror.* et ex Constit. Leonis X. *Inter sollicitudines* 4. Maii 1515. ac Urbani VIII. *Sanctissimus* 18. Septemb. 1625.

LIV. Quoad taxationem numeri in monasteriis monialium eisdem subiectarum, faciendam iuxta *Cap. 3. Sess. 25. de Regul.*, quae ex decr. S. Congr. Conc. relato a Fagnano in *Cap. 19.* Grave gerimus *de offic. ordin. n. 52.* pertinet ad Episcopum simul cum eorum Superiore, ac Constit. Greg. XIII. *Deo sacris* 30. Decembris 1572.

LV. Quoad erectionem novorum conventuum tam virorum, quam mulierum, ex cit. *Cap. 3. Sess. 25. Trid.* et Constit. Clementis VIII. *Quoniam* 26. Aug. 1603., Greg. XV. *Cum alias* 17. Aug. 1622. et Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1624.

87.–LVI. Quoad iudicium ferendum super praetensa nullitate professionis, una cum eorum Superiore locali tamquam coniudicibus; et si agatur de monialibus, una cum Superiore monasterii, cui universum illius regimen commissum est, ex *Cap. 19. Sess. 25. de Regul.* et Constit. Bened. XIV. *Si datam* 4. Martii 1748., quod Trid. decretum S. C. Conc. teste Fagnan. *loc. cit. n. 72.* declaravit locum habere, tam si professus nullitatem allegat, quam si Religio velit illum expellere, tamquam nulliter professum.

Quamvis nomine Superioris intelligatur Superior localis conventus, in quo reclamans assignatus est de familia, et non supremus Ordinis, ut declaravit eadem S. Congr. in *Maten. et Romana* 7. Apr. 1629., deduci tamen potest causa coram Provinciali, vel Generali, si ita Ordinis Constitutiones disponant, Reiffenstuel *Lib. III. tit. 31. de Regul.* §. *7. n. 197.*

LVII. Quoad poenam subeundam, centum nempe ducatorum, si die sabbati maioris hebdomadae pulsaverint in eorum ecclesiis campanas, antequam pulsaverit campana cathedralis, vel maioris ecclesiae, ex Constit. Leonis X. *Dum intra* 19. Decembris 1516. §. 14.

88.–LVIII. Quoad omnimodam iurisdictionem et subiectionem apostatarum, et etiam legitime eiectorum, ex Constit. Urbani VIII. *Sacra Congregatio* 21. Sept. 1624.

Haec sunt causarum capita, quae hic referre placuit, ne Regulares pro casuum contingentia Episcopi iurisdictioni se gratis opponant.

Circa tamen illius facultatem puniendi eosdem intra claustra viventes, et extra quomodolibet delinquentes, attendenda sunt animadversa a P. Gaudentio de Ianua tom. 2. *de Visitatione Praelatorum Regul. cap. 4. dub. 10. n. 46.* ibi:

« Nihilominus pro Regularibus omnibus, absque distinctione » inter mendicantes et non mendicantes, si intra claustra vivant, » quamvis extra claustra quomodolibet delinquant: quod subsint » iurisdictioni et punitioni propriorum Superiorum privative: nisi, » quatenus, negligentibus Superioribus sontes punire scandalosos, » iurisdictio ad Episcopos devolvatur in terminis Concilii Triden- » tini, adest apertus Motus-proprius Benedicti s. m. XIII. editus » quidem ad dirimendas lites, quoad hoc, inter Neapolitanum » Nuntium et Abbatem generalem pro tempore Montis Virginis; » sed pro omnibus Regularibus et Episcopis, ex altera parte, » vigorem eumdem praeseferens, ut evidens erit legenti. »

In praedicto autem Motu-proprio typis edito Romae in typographia Camerae Apostolicae, sub die 29. Martii 1729. haec leguntur: « Et auctoritate Nostra Apostolica declaramus et decer- » nimus, privilegia concessa dicto Reverendissimo Nuntio in » regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII. non aliter in- » telligi posse et debere, quam de facultate procedendi contra » *cuiuscumque Ordinis Regulares exemptos, qui tamen sint devii* » *et errantes, et extra claustra in delicto deprehendantur,* nullam » propterea ipsi competiisse, neque competere facultatem proce- » dendi privative neque cumulative contra *Monachos et Regulares* » *degentes in conventibus et monasteriis sub obedientia Abbatum* » *aliorumque Superiorum,* et cum aliis requisitis, per Conc. Trid. » praescriptis; respectu enim istorum, *totam iurisdictionem pri-* » *vative spectare ad Superiores regulares, etiamsi Monachi seu* » *Regulares extra claustra ita notorie deliquerint, ut populo scan-* » *dalum publice oriatur.* Iuxta dispositionem Concilii Tridentini » in supra relato capite et in casu negligentiae Superiorum re- » gularium, esse locum praefixioni termini, sicut ab Episcopo, » ita etiam a Reverendissimo Nuntio, ut, eo transacto, iurisdictio » ad ipsum devolvatur, iuxta censuram Concilii praedicti.

» Nec in Constitutione (ita prosequitur Gaudentius) fel. rec. » Clementis XII. *Romanus Pontifex* 7. Kal. Apr. 1732. cum aliis » ibi recensitis Bullis legitur hic Motus-proprius revocatus, ut- » pote Concilio Tridentino omnino conformis. Insuper facultas

» puniendi Regularem vere degentem et praevaricantem scanda-
» lose extra claustra competit sane Episcopo, ut praemissum est,
» *num. 43.* §. *Insuper*, sed cumulative cum Superiore eiusdem
» delinquentis, non privative, quia privativam non exprimit Tri-
» dentinum, nec aliud Sedis Apostolicae decretum, ut advertit
» Lauretus de Franchis *prima parte controvers., in addit. n. 117.*,
» allegans plurimos; ita quod regularis ipse Superior posset cau-
» sam utique praevenire, et contra captum sive habitum reum
» procedere, iuxta Constitutiones Ordinis puniendum, *Anacletus*
» *Reiffenstuel cit. n. 115. de off. iud. ord.* »

89. An autem liceat Episcopo contra eosdem Regulares procedere per censuras excommunicationis, suspensionis et interdicti, respective tam localis, quam personalis, in iis casibus, in quibus ei indulta legitur facultas illos puniendi, non levis est controversia inter Doctores. Veriorem tamen sententiam et in praxi retinendam, tamquam iuri communi et regularium Ordinum conservando decori magis conformém probat Passerinus *de Statu hominum tom. III. pag. 189. art. 10. Inspect. 11. q. 2. n. 763.*, et post eum laudatus Gaudentius cum communiori loc. cit. n. 48. et seq., ut per eas scilicet procedere possit in iis dumtaxat casibus, in quibus vel a Tridentino, vel a Constitutionibus Apostolicis Sacrarumque Congregationum decretis expressa eidem tributa legitur facultas procedendi per censuras; ubi enim Tridentinum (idem dic de pontificiis decretis) voluit, ut procederet per censuras, expressit, ubi noluit, non expressit; hinc uterque infert, ex trita regula discretivae locutionis, excludendos esse casus non expressos, cum potissimum simus in odiosis. Quare curae erit Episcopi inspicere, quibus clausulis tributa sibi sit facultas procedendi contra Regulares, ne illius limites excedat, et ne plus quam par est, Ordinibus regularibus odiosus reddatur.

90. Quod spectat ad locutionem cum monialibus interdictam Regularibus sine legitima licentia, de qua supra *n. 22.*, notandum, quod haec, si attendatur decretum Sixti V. relatum *cit. num.* dari dumtaxat poterat a S. Congregatione: si vero attendatur alterum Urbani VIII. relatum pariter dicto numero, quo illud Sixti reformatur, dari tantum poterat ab Ordinario Regularibus coniunctis cum monialibus, aut cum aliis intra clausuram degentibus in primo et secundo consanguinitatis gradu, quater in anno, pro die et hora certa, et extra Adventum, Quadragesimam, feriam

sextam, sabbatum, vigilias, et dies festos: quae licentia subscribi debebat etiam a Superiore regulari pro monialibus Regularium regimini subiectis, et registrari in libris cancellariae Ordinarii, ac earum confessario consignari, qui una cum auscultatricibus locutioni praesens esse tenebatur: attento tamen posteriori Congr. Conc. decreto circa sequens primum dubium in genere et terminis indefinitis sibi propositum, videtur, non ita hodie restrictam esse Ordinariorum facultatem, quin dictam licentiam indiscriminatim et illimitate impertiri possint, ut etiam argumentatur Gaudentius *tom. 1. de Visitat. Praelator. ecclesiast. cap. 4. dub. 11. sect. 4. num. 28.*

*Spoletana* Accessus ad monasteria. Etsi S. Congr. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, sub die 11. Maii 1669. aperte declaraverit, Regulares, qui ad monasteria monialium absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, hancque declarationem Sanctissimus Dominus approbaverit, ac typis dari servarique iusserit; quia tamen nonnulli sunt, qui, declarationem huiusmodi perperam interpretantes, verumque sensum subvertentes, varia confingendo sophismata, asserunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, et declarationem praefatam non obligare sub mortali contendunt, ad omnem tollendam dubietatem, resolvendum:

Primo. An Regulares accedentes ad colloquendum cum monialibus sine licentia Episcopi peccent mortaliter?

Secundo. An peccent mortaliter, saltem stante dicta declaratione S. Congr. Concilii cum approbatione Sanctissimi?

Die 26. Novemb. 1672. eadem S. Congr. ad utrumque respondit: Affirmative, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia etc. – P. Card. *de Alteriis* Praefectus. S. Archiepiscopus *Brancacius,* Episc. Viterb. Secretarius.

Hoc decretum per extensum refertur a Monacello *P. I. in Appendice Form. Leg. pag. 433. edit. 3. Romanae.*

91. Notandum est hic pro coronide huius appendicis, quod, licet Regulares vigore suorum privilegiorum, generaliter loquendo, non possint per censuras puniri, possunt tamen iis plecti ab Episcopis, sive agatur de casibus, in quibus iidem Regulares incidunt in censuras a iure inflictas, sive de casibus, in quibus

ipsis Episcopis subiiciuntur. Si agatur de primis, declarari possunt, eos incidisse in dictas censuras: dummodo incursio sit notoria. Ad stabiliendam autem notorietatem non sufficit, quod haec oriatur tantum ex facto coram populo gesto, sed requiritur, quod tale sit, ut nullo modo defendi possit, vel ex iure, vel ipso facto, ut cum communi probat Card. Petra *in Commentar. ad Constit. XI. Alexandri IV. sect. unic. n. 7. ad 11.* Si vero agatur de secundis casibus, puniri possunt per censuras, nedum quando aut a Tridentino aut ab Apostolicis Constitutionibus tributa est Episcopis expressa facultas, eos per has cogendi et puniendi, sed etiam quando nulla facta est illarum expressio, « quia censetur data facultas eosdem coercendi et puniendi » omnibus poenis canonicis; alias esset iurisdictio frustratoria, » ut cum communi pariter firmat idem Petra *loc. cit. a n. 19. ad 34.* ex pluribus decretis Cong. Conc., ac Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. IX. cap. 10. edit. an. 1755. num. 5.* ibi: « Atque » generatim loquendo *in his, in quibus a iure communi, a S. Conc.* » *Trid., a Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etium per censuras ecclesiasticas* » *compellere,* quod totidem verbis ab eadem S. Cong. rescriptum » legimus ad Episcopum Nebiensem die 7. Feb. 1632. *(Lib. 14.* » *decret. pag. 571. a tergo).* »

Monet tamen Episcopos laudatus Petra *num. 35.,* ut parce utantur huiusmodi facultate, « et quatenus fieri potest, in subsidium, quatenus alio modo occurri facile non possit, et quatenus agatur de re id exigente; nam non censetur pro re levi » id concedi. »

Animadvertit tandem *num. 28.* quod, si tam Tridentinum, quam Apostolicae Constitutiones iniungunt aliquid Regularibus « nulla facta mentione coercitionis vel poenarum, » non posse Episcopos illos delinquentes censuris punire, cum tunc praeceptum dirigatur ad ipsos Regulares, ab eo puniendos esse, cui sunt subiecti, a propriis scilicet Superioribus.

Non desunt tamen DD. satis communiter sustinentes, non posse Episcopum procedere per censuras contra eosdem Regulares, nisi tamquam Sedis Apostolicae Delegatum, quoties hi gaudent speciali privilegio, ne excommunicentur, nec suspendantur ab Episcopo (ut sunt mendicantes, et Patres Societatis Iesu), inter quos DD. novissime *de Ligorio de Censuris lib. 7.*

*cap. 2. dub. 4. art. 4. n. 241.*, in quo circa finem videtur sentire, ut neque tamquam Delegatus Sedis Apostolicae procedere possit per censuras; quoties tale speciale privilegium iidem Regulares obtinuerint per dictas Constitutiones.

*Appendix III. Giraldii. Recensentur nonnulla, in quibus Regulares exempti minime subduntur Episcopis.*

92. — I. In audiendis Confessionibus Religiosorum proprii Ordinis, pro quibus Episcopi approbatione non indigent; Tridentinum enim *Cap. 15. Sess. 23. de Reform.* cum statuerit, neminem audire posse Confessionem absque Episcopi approbatione, hanc prohibitionem restrinxit ad Confessionem dumtaxat saecularium, etiam sacerdotum, non vero Religiosorum, nec circa hos quidquam innovavit; ideoque eam emittere possunt coram confessariis ab eorum Superioribus designatis, coram quibus ante Trident. poterant ex propriae Religionis statutis, et iure communi. Excipiuntur tamen moniales iisdem Regularibus subiectae, quarum Confessiones hodie audire nequeunt sine Episcopi dioecesani approbatione, ex Constit. Greg. XV. *Inscrutabili* et Clem. X. *Superna.*

II. Nec pro audiendis Confessionibus illorum saecularium, qui ipsis inserviunt, ac simul sunt vere de familia, ac continui commensales eorum monasteriorum, aut collegiorum, quas excipere possunt confessarii a Superioribus approbati, ex citata Constitutione Clem. X. *Superna* 11. kal. Iulii 1670.

III. Non possunt Episcopi Regularibus approbatis pro audiendis saecularium Confessionibus limitare aut tempus, etiam paschale, aut certa loca, aut personarum genus in iis excipiendis, nec prohibere, ne infirmorum Confessiones audiant absque sua aut parochi licentia. Possunt tamen eis praecipere sub poena suspensionis ab iisdem Confessionibus audiendis, si post auditam eorumdem infirmorum Confessionem, illico eorum parochum certiorem non redderent, aut oretenus, aut per scripturam apud ipsos infirmos relinquendam, ex eadem Constitutione *Superna* (Romae id culpabiliter non facientes, hanc suspensionem incurrunt ipso facto). Praedictae limitationes prohibitae etiam fuerunt ipsis Episcopis a Congreg. Conc. cum approbatione Greg. XV. et Urbani VIII. in responso ad II. dubium inter alia sibi pro-

posita, relata in calce Constitutionis dicti Gregorii *Inscrutabili* 5. Feb. 1622.

Circa tamen locum et tempus, in quo audiri nequeunt mulierum Confessiones, ex epistola encyclica Cong. S. Inquisitionis, sub die 14. Dec. 1694. prohibere possunt Episcopi confessariis, etiam regularibus, ne eas audiant extra confessionale, nec in eius parte anteriori, sed a latere cum crate perforata, et hoc situm sit in loco publico, ut videri ab omnibus possit. Ex decreto autem S. Cong. sub die 21. Ian. 1620. *mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram sine necessitate audiri non debent.*

93. — IV. Nec possunt, inconsulta Sede Apostolica omnibus simul unius conventus confessariis, iam a se, vel a suis antecessoribus approbatis, adimere facultatem audiendi Confessiones; licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat, ex citata Constit. *Superna.* Si tamen omnes simul suspenderentur, crederem eos interim tuto audire non posse Confessiones, cum censurae etiam nullae, puta ex defectu iurisdictionis, timendae sint, saltem in foro externo, propter scandalum, populo non certiorato de earum nullitate.

V. Nec possunt visitare altaria ecclesiarum Regularium, quibus cura animarum saecularium non incumbit, aut loca, ubi in dictis ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, vel ubi audiuntur saecularium Confessiones, ut ex responso S. Cong. Conc. ad I. dubium inter alia relata post mox citatam Constitutionem Gregorii; excipiuntur tamen mulierum Confessiones, ut supra.

VI. Nec possunt confirmare Abbatissas monialium Regularibus subiectarum, ex responso laudatae Congregationis ad dubium V. relatum, ut supra.

VII. Nec possunt punire eosdem Regulares, degentes in parochiis monasterio unitis, si non delinquant circa curam animarum et Sacramentorum administrationem, ex declaratione dictae Cong. Conc. relato a Fagn. in *Cap. 19.* Grave gerimus *n. 35. de offic. ordinarii.*

VIII. Non possunt confessarios regulares cogere, ut accedant ad conferentias casuum conscientiae, ut ex sequenti decreto Cong. relato a Lucio Ferraris *Prompta bibliotheca* verbo *Regulares art. 2. n. 61.*: « *Cum conventus suppressi et postea resti-*

*tuti, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi, sint vigore decreti* Ut in parvis *Innocent. X. subiecti visitationi, correctioni et ordinariae iurisdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari: An religiosi confessores, et non parochi, in huiusmodi conventibus degentes compelli possint ab iisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentias casuum conscientiae? Proposito hoc dubio in S. Cong. Super Statu Regularium, habita in pal. Vaticano die 15. Ianuarii 1682., Emi PP. censuerunt, Ordin. locorum posse quidem hortari, non autem compellere religiosos confessores, non parochos, ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiae.»*

94. Episcopi tamen illarum dioecesium, quas complectitur Concilium Romanum, celebratum sub Bened. XIII. anno 1725. eos suspendere possunt ab audiendis Confessionibus, si ad dictas conferentias non accedant, sicuti et ad sacrorum rituum disceptationes, quater habendas quolibet mense, necnon ad lectionem S. Scripturae, diebus et horis ab Episcopo praeficiendis, quatenus haec omnia in eorum monasteriis non habeantur, ut *Tit. 1. cap. 9. et Tit. 15. cap. 9.* eiusdem Concilii.

IX. Non possunt praetendere, ut in visitatione clausurae monialium, Regularibus subiectarum, sibi erigatur baldachinum, sed ut stratum dumtaxat praeparetur, ex decreto Cong. Conc. 19. Ian. 1686. relato ab eodem Ferraris *loc. cit. n. 66.*

95. — X. Non possunt convenire Regulares intra claustra degentes, et habentes suos conservatores legitime electos in causis civilibus, cum conveniri tantum debeant coram dictis conservatoribus, aut suis Superioribus, ex decreto dictae Cong. relato a Fagnano in *Cap. 11.* Tuarum *de priv.*, et Constit. Pauli V. *Religiosorum* 14. Aug. 1607.

XI. Non possunt eos compellere ad exhibendos libros sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitae ex legato pio, ex decreto laudatae Cong. in *Urbinaten.* 10. Martii 1663. *ad Cap. 18. Trident. Sess. 21. (lib. 23. decret. pag. 456.).*

XII. Non possunt visitare domum annexam ecclesiae parochiali, et a monasterio seiunctam, in quo Regulares parochi habitant, ex decreto dictae Cong. relato in Fagn. in *cit. cap.* Grave gerimus, *n. 26.*

96. — XIII. Non possunt declarare Regularem, sicuti et quemcumque alium ab illorum iurisdictione exemptum, percus-

sorem clerici, esse excommunicatum vitandum, si percussio sit tantum publica. Possunt tamen eum excommunicatum denuntiare iuxta sequentes resolutiones praefatae Congregationis relatas a Card. Petra in *Commentar. ad citatam Constitutionem XI. Alexandri IV. sect. unic. num. 12.*: « *In Montulen.* Iurisdictionis 13. Septembris 1675. *(lib. 39. decret. pag. 147. a tergo)* ubi ad dubium: » *An Episcopus potuerit declarare incursum in censuras contentas in Can.* Si quis suadente diabolo *XVII. quaest. 4. sacerdotem N. subcollectorem, qui lethale vulnus publice intulit alteri sacerdoti.* Respondit: *negative quoad declarationem, posse autem denuntiare, iuxta declarationem alias editam die 21. Iul. 1663. sequentis tenoris: Marsicen.* Iurisd. *Ut subditos suos a commercio et communione cum iis, qui excommunicationis titulo sunt obstricti legitime retrahere possit, prout ecclesiastica disciplina postulare videtur, supplex quaerit Episcopus: An sibi liceat, collectores D. Nuntii Apostolici publicos et notorios clericorum percussores, quamvis ab Ordinarii iurisdictione exemptos, excommunicatos denuntiare. S. Cong. censuit: Licere. Similiter in Eystetten. 28. Augusti 1649. (lib. 18. decret. pag. 667.) censuit, commendatorem oppidi Elligani Ordinis Theutonici, una cum complicibus incidisse ipso iure in censuras ob retentionem et carcerationem sacerdotis N. illosque potuisse ab Episcopo nedum moneri, verum etiam denuntiari, ut ab aliis evitentur.*

Si vero percussio sit notoria, possunt etiam declarare excommunicatum, ut ex pluribus decretis eiusdem Congregationis a dicto Petra relatis *loc. cit. n. 13., et novissime in causa Mediolanen.* Censurarum, mox referenda in responso ad II. dubium.

97. Nota I., quod, quamvis quamplures DD. potissimum Regulares sustinere conentur, Regularem percussorem clerici saecularis absolvi debere non ab Episcopo, cui percussus est subditus, sed a proprio Superiori regulari, a Generali scilicet, aut Provinciali, innixi privilegio a Bonifacio IX. concesso Religioni Praedicatorum, et per communicationem aliis Ordinibus regularibus, in quo iisdem conceditur facultas *absolvendi in utroque foro suos subditos iniicientes manus violentas in confratres, vel alios quoscumque clericos, etiam usque ad sanguinis effusionem, et enormem laesionem,* asserentes huius privilegii revocationem non constare neque ex Trid. neque ex Apostolicis Constitutionibus: si tamen attendatur mens dictae Cong. Conc., contrarium

tenendum est; cum enim duo monachi Montis Oliveti die 26. Dec. 1718. manus violentas iniecissent in sacerdotem saecularem, cumque absoluti fuissent ab eorum Abbate, concordatis sequentibus dubiis in *causa Mediolanen.* Censurarum *sub die 2. Dec. 1719.* (relatis *T. 1. Thes. Resolut. praefatae Cong. pag. 258.* ad V.) respondit, *id ei non licuisse:*

I. *An acta, hactenus facta per curiam archiepiscopalem Mediolanensem contra R. P. Antonium Petragrossa et F. Alexandrum monachos, sustineantur, in casu etc.?*

II. *An liceat eidem curiae archiepiscopali declarare, vel saltem denuntiare excommunicatos, in vim canonis* Si quis suadente, *dictos monachos in casu etc.? Et quatenus Negative.*

III. *An constet de sufficienti punitione facta per dictum Abbatem regularem, in casu etc.? Et quatenus Negative.*

IV. *An, quomodo et quibus poenis sit procedendum contra dictos monachos, in casu etc.?*

V. *An licuerit eidem Abbati regulari absolvere praedictos monachos a censuris, si quas incurrerint in vim dicti canonis* Si quis suadente, *in casu etc.?*

*Ad I. affirmative, excepto monitorio expedito die 14. Feb. 1718., necnon excepta citatione expedita die 2. Iun. eiusdem anni. Ad II. licere (revocata tamen citatione iuxta instructionem) declarare Fratrem Alexandrum, necnon Patrem Antonium, quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico, licere denuntiare, idest praecipiendo suis parochis et subditis universis, ne eos admittant intra ecclesias sibi subiectas, et non conversentur cum iisdem. Ad III. negative. Ad IV. detrudendos nomine S. C. in carcerem formalem, et per Abbatem certioretur Eminent. Episcopus de poena delinquentibus imposita. Ad V. negative.*

98. Nota II. cum Matthaeuccio *Official. curiae cap. 39. quoad privilegium canonis a num. 18. ad 21.:* 1. Quod Regulares eiusdem Ordinis, se invicem percutientes sive intra, sive extra claustra etiam enormiter, vigore privilegiorum, aut in recto, aut per participationem, cum clausula *pariformiter, et aeque principaliter* Ordinibus regularibus concessorum, absolvi possunt ab eorum Generali aut Provinciali, vel ab his deputato, non vero a Superiore locali, iuxta Fratrum Minorum statuta: quoad alios vero Regulares etiam a Superiore locali, ut tenet Biselli in *Theologiae*

*moralis Sum. part. III. tract. 2., 1. append.* Sed circa hanc facultatem unaquaeque Religio ea uti debet iuxta specialia sua privilegia et statuta. 2. Quod pariter absolvi possunt a proprio Superiore, ut supra, etiam si percusserint Religiosum alterius Ordinis, ex *Cap. 32.* Cum illorum, §. *Si vero de sent. excom.*, sed praesente huius Praelato, ut illatam iniuriam condonet, et de satisfactione condigna arbitretur. Quamvis Diana Resol. LXXVIII. id limitet, si percussio nempe non fuerit enormis; si vero fuerit enormis, sustinet, absolvendum esse a Sede Apostolica per literas ad S. Poenitentiariam, absque accessu ad eamdem Sedem. 3. Quod etiam moniales, Regularibus subiectae, se invicem percutientes, absolvi possunt, vel ab Episcopo, vel ab earum Praelatis, aut a proprio confessario de ipsorum commissione, cum privilegia Regularibus concessa, communicentur monialibus sibi subiectis.

99. — XIV. Non possunt Episcopi examinare sententiam expulsionis a Religione, latam a iudice regulari, et de eius iustitia, vel iniustitia iudicare. In decreto enim S. Congregationis Conc. de apostatis et eiectis §. VII. praecipitur, ut Provincialis, aut alius Superior, ad quem spectat sententiam expulsionis ferre, teneatur hanc Ordinario dumtaxat notificare, ut expulsum tamquam sibi subditum de novo factum agnoscat, gubernet et puniat. Ita de Amoeno *tom. 1. tit. 5. verb. Poenarum genera, n. 159. et 160.*

XV. Nec ex eadem ratione possunt censuris compellere Superiores reluctantes recipere expulsos, licet correctos, cum hoc spectet ad S. C. vel Summum Pontificem, cui Regulares immediate sunt subiecti: non obstante decretali Greg. IX. relata in *Cap. 24.* de Regul., in qua statuitur, quod si eiecti et emendati in monasteriis suis recipi possunt, tunc Superiores Ordinis monitione praevia per ecclesiasticas censuras compellantur ad ipsorum receptionem; si vero in iis recipi nequeant, collocentur in alio monasterio eiusdem Ordinis; quia in ea sermo est de monachis non exemptis; si enim de iis non ageretur, non possent Episcopi expulsum ab uno monasterio in alio collocare, ut cum communi firmat laudatus de Amoeno de *incorrigibilium expulsione tom. 2. part. III. q. 1. n. 3. et q. 10. n. 72.*

### Art. II. De opusculo, cui titulus: « Acta S. C. Super Statu Regularium ab Archiepiscopo Philippensi Secretario collecta. »

Summarium. 100. Ratio redditur, cur acta ibidem relata in hoc opere inserantur. – 101. Acta, quibus Pontifex institutionem S. Congr. Super Stat. Regul. publice annuntiavit. – 102. De iussionibus in antecessum a S. Congreg. Super Stat. Regul. Episcopis et moderatoribus regularibus praesertim pro ditione Pontificia datis. – 103. 104. Ratio edendi decreti de testimonialibus Ordinariorum pro receptione postulantium habitum religiosum. – 105. Nullus ad habitum admittatur sine testimonialibus Episcopi originis et domicilii, sive agatur de domibus votorum solemnium, sive simplicium. – 106. De quibusnam rebus debeant Ordinarii testimonium facere. Ordinariorum conscientia gravatur. Testimoniales gratuito tradantur. – 107. Nullus ab observantia decreti eximitur; eamque in rem poenae irrogantur. – 108. Sine expressa mentione huic decreto derogatum non censebitur: quae derogatio non suffragatur per privilegiorum communicationem. – 109. Hoc decretum statis diebus in publica mensa legatur, privilegiis quibusque non obstantibus. – 110. Ratio, cur editum fuerit alterum decretum de receptione novitiorum ad habitum et professionem. – 111. Nemo ad habitum admittatur sine praevio duplici scrutinio, sive agatur de Religiosis votorum solemnium, sive simplicium. – 112. Octo sint examinatores in qualibet provincia, quorum primus erit Provincialis. – 113. Super admittendis inquirat Provincialis iuxta sacros canones et propria statuta. Documenta eo pertinentia examinatoribus expendenda tradat. Examinatores de munere fideliter adimplendo iurent; secreto suffragia ferant; conscientia gravati maneant. Pro admissione sufficit votorum medietas cum alio suffragio. Examen peractum scripto redigatur, et ab examinatoribus subscribatur, addito iureiurando. Acta examinis ad Generalem vel Procuratorem Generalem remittantur. Dispositio transitoria. – 114. Ubi non sunt Provinciales quomodo supplendum sit. Item quomodo, ubi octo examinatores haberi nequeunt. – 115. Quid si una tantum sit Instituti domus. – 116. Praeter praedictos examinatores, alii septem examinatores generales adsint, quorum praeses erit Generalis. Procurator Generalis erit examinator natus. Quomodo examinatores eligendi sint. – 117. Dispositio transitoria. – 118. Quid agendum, ubi Institutum unam tantum domum habet? – 119. Quomodo eligendi sint examinatores generales, si capitula non adsint. – 120. Acta examinis expendat Generalis, ac postea Procuratori Generali, et duobus examinatoribus tradat. Quid hi praestare debeant. – 121. In Generalis absentia Procuratori Generali acta remittantur, qui cetera, ut supra, peragat. – 122. Admissum Generalis vel Procurator Generalis poterit iustis de causis respuere. – 123. Praeter ea, quae dicta

sunt, servari debent alia, quae cuiusvis Ordinis fortasse propria fuerint. – 124. Generalis quolibet semestri ad S. Congreg. Super Stat. Regul. de singulis novitiis admissis referat. – 125. Quilibet Religiosus vel novitius impedimenta et graves defectus novitii denuntiare tenetur, si noverit: nomen denuntiantis secretum servetur. – 126. Magister novitiorum Provinciali quolibet trimestri de his referat. – 127. Duobus ante professionem mensibus voluntas novitiorum exploretur; et super quibus rebus exploranda sit. – 128. Acta ad Provincialem transmittantur, qui una cum Magistro novitiorum, si adesse commode queat, et tribus examinatoribus definiat, an novitius sit recipiendus. – 129. Si receptio facta fuerit, acta ad Generalem transmittantur, qui receptum respuere potest, reprobatum nullo modo recipere eidem permissum est. – 130. Ubi non sunt Provinciales, quid agendum. – 131. Praeter hactenus dicta serventur specialia statuta. – 132. Poenae contra eos, qui praefinitam hanc formam negligant. Hoc decretum bis quotannis publice legatur. Eidem nunquam derogatum censebitur. Quaelibet privilegia contraria revocantur. – 133. Sufficiunt testimoniales datae ab Ordinario per privatas literas et etiam genericae. Postulantes quando possint admitti sine testimonialibus. Suppletur per peculiares informationes et bimestrem commorationem in conventu. Ita suppletur etiam, si civilis auctoritas informationes dari prohibeat. – 134. Super militibus suppleatur per alias informationes, et bimestrem commorationem in conventu. Patet recursus ad S. Congreg. super Stat. Regul., si Episcopus testimoniales dare abnuat. Circa donatos et oblatos testimoniales exiguntur ante eorum susceptionem ad habitum. Sine literis testimonialibus tam susceptio habitus, quam professio est illicita, non invalida. – 135. Si Generalis eodem tempore sit Superior conventus, alium deputet in primo scrutinio. Si aliquis examinator deficiat, quomodo subrogatio facienda sit. Licet capitulum celebretur in fine triennii, poterit in eo fieri examinatoris electio. – 136. Non est vetitum eligere examinatores ex reliquis definitoribus, assistentibus et consultoribus. Ubi Religiosorum inopia fuerit, sufficiunt quatuor examinatores. Alii quatuor sunt ad opportunitatem, non ad necessitatem. – 137. Quomodo supplendum sit, quando postulantes nequeunt accedere ad locum primi scrutinii. Quale debeat esse iuramentum, et super quo cadere debeat. Decretum, ut supra, valeat etiam in Sabaudia. Professio facta, non servata forma praedicta, est illicita, non invalida.

100. Cum huic nostrae super Benedictina instructione lucubrationi daremus operam, ac multo ulterius in labore isto progressi iam essemus, in lucem prodiit opusculum, cui titulus: « *Acta* » *S. C. Super Statu Regularium ab Archiepiscopo Philippensi, Se-* » *cretario collecta – Romae 1862. Ex typ. Rev. Cam. Ap.* » Con-

festim vidimus, multa eaque magni momenti ibidem reperiri, quae e re Episcoporum esse circa Regularium argumentum comperiebantur. Itaque diu non haesitavimus, quominus ex eodem in ipsorum Antistitum utilitatem id omne colligeremus, quod ipsorum interesse videretur. Quocirca quae parum iisdem inservire dignovimus, solummodo innuere contenti fuimus; quae vero e frequenti eorum usu fore rati sumus, ex omni parte, ac prout iacent, suppeditavimus. Non pauca ex his S. Cong. Super Statu Regularium ex officio cum Episcopis communicavit, adeoque ipsis comperta iam sunt: quoniam vero in foliis, ut aiunt, volantibus eadem continentur, facile deperditum ire possunt; proindeque non videtur abs re, heic referre et ita meliori eorum conservationi quodammodo prospicere.

101. Principium ponunt Literae encyclicae SSm̃i D. N. ad omnes Archiepiscopos et Episcopos de institutione Sac. Congregationis Super Statu Regularium, quas excipiunt Apostolicae Literae (vulgo *Breve*) ad omnes supremos Moderatores, Abbates, Provinciales, aliosque Superiores regularium Ordinum super instauranda Regularium disciplina. Ex quibus locum, (pag. 11.) qui sequitur, exscribimus eum in finem, ut inter utrumque clerum ea, quae decet, concordia magis magisque foveatur solideturque. « Iamvero cum summopere optemus, ut omnes, qui militant in » castris Domini, unanimes uno ore honorificent Deum et Pa» trem D. N. I. C., ac perfecti in eodem sensu atque sententia » solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, a vobis » etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissimo concordiae et » charitatis foedere, summaque animorum consensione, VV. FF. » Episcopis et saeculari clero coniuncti nihil antiquius habeatis, » quam in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi con» sociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper » charismata meliora. Cum enim *una sit regularium et saecula*» *rium Praelatorum et subditorum, exemptorum et non exempto*» *rum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur,* » *quorum omnium unus est Dominus, una fides et unum Baptisma;* » *decet, ut omnes, qui eiusdem sunt corporis, unius etiam sint* » *voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint* » *adstricti* » (Clement. un. de Exces. Praelatorum.).

102. S. C. Sup. Stat. Regul. opus instaurandae regularis disciplinae a ditione Pontificia inchoavit, literis ad eiusdem Epi-

scopos perscriptis, quibus hos cohortabatur ad quaelibet suppeditanda elementa, quibus vera religiosarum domorum conditio innotesceret, et consiliorum, quae ineunda forent, ratio suggereretur. Ad hanc rem notulam adnexuit iisdem Pontificiae ditionis Episcopis proponendam, quibus ordine recensebantur ea, quae Sacer ille Ordo scitu necessaria autumabat, ac per eosdem sese edoceri volebat. Alterae itidem literae dabantur moderatoribus generalibus pro monasteriis, domibus et conventibus ditionis Pontificiae; eisdemque literis insimul uniebatur altera quaestionum notula, quibus facere satis iubebantur. Denique eadem S. C. tertiam epistolam ad moderatores generales pro monasteriis, domibus et conventibus extra ditionem Pontificiam conscribebat, sive ibi solemnia sive simplicia vota persolverentur, qua mandabatur, ut quam citius fieri posset, omnia, quae scire opus erat, corrogarent atque remitterent, habita ad eorum normam ratione ac respectu quaestionum, quae pro coenobiis Pontificiae ditionis proponebantur. Haec acta datam Augusti 1847. praeseferunt.

103. Interim eadem S. Congr. incepto operi diligenter instabat, adeoque ineunte subsequo anno 1848. duo, quae hic referimus, decreta edenda curavit.

**Decretum Sacrae Congregationis super statu Regularium auctoritate SSmi D. N. Pii PP. IX. editum de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant.**

104. « Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua sem-
» per regularium familiarum bono et splendori prospicere non
» omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut
» antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de
» illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo
» inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine ma-
» ximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet
» moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus
» exquirendis, in gravi tamen, ut plurimum, versantur periculo
» deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exqui-
» rant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti
» postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae
» ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare im-
» pedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens SSmus D.

» N. Pius PP. IX., audito voto S. R. E. Cardinalium huius Sacrae » Congregationis Super Statu Regularium, attentisque postula- » tionibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique » locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae » sequuntur, Apostolica auctoritate statuit atque decernit:

105. – I. » In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, » Instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota so- » lemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congre- » gationibus, Societatibus, Institutis, monasteriis ac domibus, » quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel » alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, » nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat, nemo » ad habitum admittatur absque testimonialibus literis tum Ordi- » narii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post » expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum » moratus fuerit.

106. – II. » Ordinarii in praefatis literis testimonialibus post- » quam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes » de postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, » aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; » an sit inquisitus aliqua censura, irregularitate, aut alio ca- » nonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel red- » dendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant » Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum one- » ratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse huiusmodi » testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super prae- » missis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex » conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

107. – III. » Omnibus et singulis Superioribus regularibus » aliisque Religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et » Instituti, licet exempti et privilegiati ac de necessitate expri- » mendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti ob- » servantia districte praecipitur: et qui contra huius decreti te- » norem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam pri- » vationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae » inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, a » qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

108. – IV. » Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, di- » spensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam

» in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, In-
» stitutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic
» decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nomi-
» natim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales
» quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto ex-
» presse et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando
» concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque
» privilegii et communicationis privilegiorum.

109. – V. » Quolibet anno die prima Ianuarii in publica
» mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac
» vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

» Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo,
» praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contra-
» rium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis
» Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, monasterii, domus
» etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec
» non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apo-
» stolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, in-
» dividua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contra-
» riis quibuscumque prorsus derogat et derogatum esse declarat.

» Datum Romae ex Sacra Congregatione Super Statu Regula-
» rium die 25. Ianuarii 1848.– Andreas can. *Bizzarri, a secretis.*»

**Decretum Sacrae Congregationis Super Statu Regularium auctoritate Sanctissimi D. N. Pii PP. IX. editum de receptione novitiorum ad habitum et professionem.**

110. « Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit,
» vel servandae, ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admit-
» tendis novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam
» adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti,
» morum honestate ceterisque dotibus praediti Religionem in-
» grediuntur cupientes Deo inservire, mundi pericula evitare,
» et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad
» praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex no-
» vitiis enim Religionis bonum vel malum prorsus pendet: quan-
» doquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites
» Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infe-
» ctae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Quapropter Ro-

» 2. Si aut per obitum aut per renuntiationem, aut alia qua-
» cumque causa numerus examinatorum provincialium vel ge-
» neralium, in parte vel etiam totaliter deficiat, nec tempus ce-
» lebrationis capituli vel dietae advenerit, quomodo ad eorumdem
» examinatorum electionem procedendum erit?

» Resp. Servetur methodus in decreto *Regulari disciplinae*
» (Art. III. et IV. in fine, et Art. VII.) praescripta pro electione
» examinatorum, qui eligendi erunt statim post latum idem de-
» cretum, et ante celebrationem proximi futuri capituli vel die-
» tae: examinatores sic electi in officio perdurent usque ad ce-
» lebrationem proximi capituli vel dietae. Quae methodus etiam
» servetur quando ex S. Sedis dispensatione capitula vel dietae
» non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis
» vel per schedas fiat.

» 3. In aliquibus Institutis capitula provincialia ordinarie cele-
» brantur prope finem triennii, et in praeparationem capituli
» generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo
» hoc in casu ad electionem examinatorum provincialium pro-
» cedendum erit?

» Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a capitulo
» provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat
» in praeparationem capituli generalis. Quod si aliqua vice ca-
» pitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam pro-
» vincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

136. – » 4. An ad officium examinatorum sive generalium sive
» provincialium ita duo definitores, vel assistentes, vel consul-
» tores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii exami-
» natores ex reliquis definitoribus, assistentibus, consultoribus
» eligi nequeant?

» Resp. Negative.

» 5. Utrum in Ordinibus et Congregationibus, quae licet ha-
» beant capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant,
» eligendi sint septem examinatores, vel quatuor tantum suffi-
» ciant?

» Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secun-
» dam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti
» interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes, ad
» quos pertinet, in Ordinibus, tam amplis quam exiguis, suffi-
» cere tres examinatores provinciales, praeter Superiorem pro-

» gationibus, Societatibus, Institutis, monasteriis ac domibus, » quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel » alio quovis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat.

112. Art. II. » In qualibet provincia habeantur octo examinatores, scilicet Provincialis et septem alii idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate ac zelo disciplinae regularis praediti a capitulo seu congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen, ut, si in provincia sint definitores, vel consultores vel assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, consiliarii provinciales, duo ex ipsis in examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale capitulum seu congregationem perdurabunt.

113. Art. III. » Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, » Provincialis omnia exquirat documenta et requisita ad praescriptum sacrorum canonum, Constitutionum Apostolicarum, decretorum S. Congregationum, ac statutorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus ac etiam an amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die Provincialis cum delectis ab ipso examinatoribus conveniet, et postquam ipse et alii examinatores iuraverint ad sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus exsecuturos*, postulantem examinent, eoque ab examinis loco dimisso, eius documenta, qualitates et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia iudicent, an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis et aliorum examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis et unusquisque ex examinatoribus manu propria subscribet de-

» clarando etiam sese omnia requisita a sacris canonibus, con-
» stitutionibus et decretis Apostolicis et regulis, et statutis respe-
» ctivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; huiusmodi
» vero relationem examinis et scrutinii, et respectivam decla-
» rationem iureiurando confirment. Quibus peractis Provincialis
» praefatam relationem et declarationem una cum authenticis
» documentis ad Superiorem generalem, vel ad Procuratorem
» generalem, prout inferius in artic. XI. explicabitur, transmittet.
» Ne autem huius decreti exsecutio differatur usque ad celebra-
» tionem proximi capituli vel congregationis provincialis, interim
» examinatores provinciales eligantur per secreta suffragia a Pro-
» vinciali una cum suis definitoribus, vel assistentibus, vel aliis con-
» siliariis provincialibus; et si huiusmodi definitores, assistentes,
» consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una
» cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati
» desint, eiusdem provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

114. Art. IV. » Ordinibus aliisque Institutis, in quibus Pro-
» vinciales non existunt, vel provincialia capitula seu congrega-
» tiones non celebrantur, examinatores pro unaquaque domo no-
» vitiatus eligantur iuxta superius praescriptam methodum a ca-
» pitulo, dieta seu congregatione generali, et Superior eiusdem
» domus loco Provincialis habeatur, cuius erit convocare exami-
» natores, et alia peragere, quae in articulo III. statuta sunt.
» Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum
» contingere possit, ut septem examinatores eligi minime valeant,
» examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi
» poterunt. Si autem huiusmodi capitula, dietae et congregatio-
» nes generales statim non convocentur, interim electio exami-
» natorum fiat iuxta modum in art. V. designandum.

115. Art. V. » Si Institutum constet aliquo tantum separato
» monasterio, conventu vel domo, nec in congregationem erectum
» sit, et capitulum, dietam, congregationem generalem minime
» habeat, examinatores capitulariter per secreta suffragia a Su-
» periore et capitularibus eiusdem monasterii, conventus vel
» domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae
» in art. IV. definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

116. Art. VI. » Praeter memoratos examinatores provinciales
» in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, Instituto alii septem
» examinatores generales constituantur, qui tamen ad quatuor

» reduci poterunt in iis Ordinibus et Institutis, in quibus ob » pauciorem Religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi » ex gravioribus et prudentioribus religiosis viris probatae vitae » ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in » capitulo, dicta vel congregatione generali eligentur, ita tamen » ut, si agatur de Ordine, in quo sint definitores, assistentes, con- » sultores, visitatores vel alii consiliarii generales, duo ex ipsis » in examinatores deputentur. Examinatores generales in officio » usque ad futurum capitulum, dietam vel congregationem ge- » neralem perdurabunt. Superior generalis erit praeses cum suf- » fragio in consilio examinatorum; et Procurator generalis uti » examinator natus praeter electos habendus erit.

117. Art. VII. » Examinatores generales in intervallo, quod » intercedet a data huius decreti usque ad celebrationem proximi » capituli, dietae vel congregationis generalis, eligantur per se- » creta suffragia a Superiore generali una cum saltem tribus » Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem generali » Superiore deputandis, et deligendis ex definitoribus, visitato- » ribus, assistentibus vel consultoribus generalibus, si adsint.

118. Art. VIII. » Si agatur de Instituto, quod constituatur » ex aliquo tantum separato monasterio, conventu, domo, nec » in congregationem erecto, et praeter localem alius maior Su- » perior non habeatur, Superior localis probum et idoneum de- » putet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III., » perficiat cum examinatoribus electis iuxta art. V.; et ipse » Superior localis cum iis capitularibus eiusdem domus, qui locum » in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium » in art. X. praescribendum exsequetur.

119. Art. IX. » Quod vero attinet ad Ordines et Instituta, » quae, licet in congregationem et societatem erecta sint, tamen » in iis capitula, dietae et congregationes generales vel non ce- » lebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus et Insti- » tutis auctoritas, quae capitulis, dietis et congregationibus ge- » neralibus circa electionem examinatorum superius attributa est, » conceditur Superiori generali cum definitoribus, visitatoribus, » assistentibus, consultoribus, aliisque, quocumque nomine ap- » pellentur, consiliariis generalibus, ita tamen ut si definitores » assistentes aliique consiliarii generales non sint saltem quatuor, » Superior generalis alios graves et idoneos Religiosos eis adiun-

» gat ad enuntiatum saltem numerum constituendum: quae Re-
» ligiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat, si in Ordine
» et Instituto definitores, assistentes aliique consiliarii generales
» non reperiantur. Quibus in casibus electio examinatorum fiat
» per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur
» duos definitores, assistentes vel alios consiliarios generales inter
» examinatores adnumerare.

120. Art. X. » Cum autem Superior generalis relationem
» examinis et scrutinii ac enuntiatam superius declarationem cum
» authenticis documentis ad praescriptum art. III. receperit, ipse
» omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per
» secretas etiam inquisitiones sedulo investigando, num tenor
» huius decreti servatus fuerit, et an adversus candidatum et
» primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis
» Superior generalis praefatam relationem, declarationem et do-
» cumenta ac requisita tradat Procuratori generali, et saltem
» aliis duobus examinatoribus generalibus, qui cum candidato
» nullo consanguinitatis vel affinitatis vinculo coniuncti sint; et
» quatenus Procurator generalis non adsit, tribus saltem exami-
» natoribus generalibus, ut omnia perpendant iuxta modum in
» art. III. designatum. Postea vero indicto die conveniant, et
» praestito tam a Superiore generali quam a Procuratore gene-
» rali et ceteris examinatoribus, ut supra, iuramento, reque ma-
» ture perpensa, per secreta suffragia definiant, an approbatio
» facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super
» quibus omnibus conscientia Superioris generalis et examina-
» torum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio con-
» firmata intelligatur, quando eius favore saltem unum suffragium
» supra medietatem habeatur.

121. Art. XI. » Si Superior generalis Romae non resideat,
» acta, de quibus in art. III., ad Procuratorem generalem Romae
» morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est
» secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Pro-
» curator tres saltem examinatores generales Romae habeat, vel
» eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad prae-
» missa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si examina-
» tores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint,
» eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, trans-
» mittantur, ut ea peragat, quae in artic. III. statuta sunt.

122. Art. XII. » Superior generalis, sive ipse, sive Procurator » generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit candidatum ex » iustis et rationalibus causis reiicere, licet fuerit ab examina- » toribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admit- » tere eum, qui fuerit ab examinatoribus reprobatus.

123. Art. XIII. » Ut vero candidatus definitive ad habitum » recipiatur praeter praescriptam legem et formam, cui omnes » omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae » a constitutionibus et statutis respectivi Ordinis circa receptio- » nem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte » dumtaxat, quae huic decreto non opponitur.

124. Art. XIV. » Superiores quolibet semestri ad hanc S. Con- » gregationem Super Statu Regularium summarie referant de sin- » gulis novitiis ad habitum receptis, de uniuscuiusque aetate, » patria, aliisque qualitatibus et respectivis documentis, nec non » de actis confectis pro receptione, deque observatione huius » decreti. (1)

*Pars secunda Decreti. De lege servanda in admittendis novitiis ad professionem.*

125. Art. I. » Quicumque ex Religiosis et novitiis alicuius » Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, monasterii, domus, » de quibus part. I. decreti art. I., cognoverit, novitium sui In- » stituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse » ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum » et defectum Superiori conventus, novitiatus, vel Provinciali, vel » Superiori generali manifestare teneatur. Superiores vero de- » nuntiantis nomen secretum retineant.

126. Art. II. » Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus » magister novitiorum Provinciali de agendi ratione cuiusque » novitii scripto referat.

127. Art. III. » Duobus mensibus ante professionem Provin- » cialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi be- » nevisum novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, » an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an

(1) Instructionem ulteriorem pro hoc examine dabimus in volumine III. sub num. 47.

» sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulae agnoscat: secreto audiat tum magistrum novitiorum, tum novitios necnon Religiosos etiam conversos conventus seu domus novitiatus circa novitium ad professionem admittendum. Quo facto capitulum conventuale eiusdem conventus seu domus convocet, ut capitulares per secreta suffragia declarent, an novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

128. Art. IV. » Huiusmodi relationem Provincialis tribus saltem examinatoribus provincialibus communicet; et condicto die convocet praefatos examinatores et novitiorum magistrum, et praestito ab omnibus superius enuntiato iuramento, magister novitiorum referat de novitii agendi ratione in novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret, utrum ipse in Domino existimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero magister novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque iuramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et examinatores per secreta suffragia definiant, an novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

129. Art. V. » Si novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, adprobationem revocet vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen umquam permittere possit professionem novitii, qui ab examinatoribus provincialibus reprobatus fuerit.

130. Art. VI. » In iis Institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores domus novitiatus.

131. Art. VII. » Si quid ulterius exigant constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius decreti minime contraria sit.

132. » Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque » eius partem exsecutioni omnino demandetur, Sanctitas Sua » omnibus, ad quos spectat, etiam in virtute sanctae obedientiae » districte praecipit plenam illius observantiam; et quemlibet » Superiorem, cuiuscumque gradus sit et instituti, quantumvis » exempti et privilegiati etiam de necessitate exprimendi, qui » non servata huius decreti forma novitium ad habitum vel pro- » fessionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis » omnium officiorum, vocisque activae et perpetuae inhabilitatis » ad alia in posterum obtinenda plane subiicit, a qua nonnisi » ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis » Superioribus idem decretum quolibet anno in omnibus mona- » steriis, conventibus, collegiis et domibus die prima Ianuarii, » et Dominica prima Iulii in publica mensa legi sub poena pri- » vationis officii, ac vocis activae et passivae ipso facto incur- » renda. Decernit insuper vi cuiuscumque privilegii, facultatis, » indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum » etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, » Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic » decreto derogatum esse censeri, nisi ei expresse et nominatim » derogetur, licet in concessione derogatoriae generales, quantum- » vis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse et » nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi » contigerit, aliis minime extendi posse vi cuiuscumque privile- » gii et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua, ne » huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu im- » pediatur, quibuscumque in contrarium facientibus constitutio- » nibus, regulis et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, So- » cietatis, Instituti, monasterii, domus, etiam in forma specifica » ab Apostolica Sede approbatis, necnon cuilibet privilegio, licet » in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac de- » cretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialis- » sima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque Aposto- » lica auctoritate prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

» Datum Romae ex Sacra Congregatione Super Statu Regula- » rium die 25. Ian. 1848. – Andreas Can. *Bizzarri, a Secretis.* »

133. Proxime succedunt in eodem opusculo declarationes anno 1851. editae, quas pariter suis verbis heic adiicimus.

**Declarationes a SSmo. D. N. PIO PP. IX. approbatae ad decreta incipien. « Romani Pontifices » et « Regularis disciplinae » a Sacra Congregatione super Statu Regularium edita die 25. Ianuarii 1848.**

I. *Declarationes super Decreto* Romani Pontifices *ubique locorum servando.*

« 1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per literas » privatas?

» Resp. Affirmative.

» 2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non » testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto *Romani* » *Pontifices* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de » qualitatibus postulantis?

» Resp. Affirmative, sed a Superioribus regularibus serventur » alia de iure servanda ad singulas qualitates postulantium co- » gnoscendas.

» 3. Quid agendum, si Ordinarii respondeant se postulantes » non agnoscere?

» Resp. Posse postulantes admitti ad habitum et novitiatum, » si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat, sese » circa qualitates postulantis informare non posse, quia illum » non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam » accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, » et serventur alia de iure servanda; et postulantes, antequam » ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in » conventu, ibique diligenter probentur.

» 4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Or- » dinis postulantem absque literis testimonialibus Ordinarii, » quando hic affirmat, se non posse eas dare, quia prohibitus » ab auctoritate civili?

» Resp. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per » privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a Superiore » requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis » modo dare renuat, posse postulantem admitti, supplendo testi- » monialium defectui per aliam accuratam informationem et fide » dignam relationem.

134. » 5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum ad- » mittere milites, de quibus Ordinarii affirmant, se non posse in

» Gallia informare cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec » parochi ullam de his notitiam habere possint?

» Resp. Affirmative, si Ordinarius a Superiore requisitus re- » spondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummo- » do testimonialium defectui per aliam accuratam informationem » et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure » servanda; et insuper postulantes, antequam admittantur ad » habitum, saltem per tres menses maneant in conventu, ibique » diligenter probentur.

» 6. Quid agendum sit, quando Ordinarii nolunt dare literas » testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur in- » gressui postulantis in Religionem?

» Resp. Ordinarios, prout in art. 2. decreti *Romani Pon- » tifices* praescribitur, non posse testimoniales literas denegare; » si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad Sac. Congre- » gationem Super Statu Regularium.

» 7. In his Ordinibus, in quibus praeter conversos laicos ha- » bentur donati seu oblati, testimoniales exigendae sint ante su- » sceptionem habitus donatorum et oblatorum vel potius con- » versorum?

» Resp. Ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum.

» 8. An sit nulla susceptio habitus sine literis testimonialibus?

» Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen in- » validam: testimoniales literas omissas in receptione ad habitum » quamprimum obtinendas esse, alias novitii admitti minime » poterunt.

» 9. Utrum sit invalida professio si fiat omissis testimoniali- » bus literis?

» Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

### II. *Declarationes super Decreto* Regulari disciplinae *in Italia et Insulis adiacentibus servando.*

135. » Si Superior generalis alicuius Ordinis, in quo Provin- » ciales non habeantur, sit eodem tempore Superior conventus » seu domus novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse » in perficiendo primo scrutinio?

» Resp. Superior generalis deputet ad effectum, de quo agitur, » probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis exa- » minatoribus primum scrutinium perficiat.

» 2. Si aut per obitum aut per renuntiationem, aut alia qua-
» cumque causa numerus examinatorum provincialium vel ge-
» neralium, in parte vel etiam totaliter deficiat, nec tempus ce-
» lebrationis capituli vel dietae advenerit, quomodo ad eorumdem
» examinatorum electionem procedendum erit?

» Resp. Servetur methodus in decreto *Regulari disciplinae*
» (Art. III. et IV. in fine, et Art. VII.) praescripta pro electione
» examinatorum, qui eligendi erunt statim post latum idem de-
» cretum, et ante celebrationem proximi futuri capituli vel die-
» tae: examinatores sic electi in officio perdurent usque ad ce-
» lebrationem proximi capituli vel dietae. Quae methodus etiam
» servetur quando ex S. Sedis dispensatione capitula vel dietae
» non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis
» vel per schedas fiat.

» 3. In aliquibus Institutis capitula provincialia ordinarie cele-
» brantur prope finem triennii, et in praeparationem capituli
» generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo
» hoc in casu ad electionem examinatorum provincialium pro-
» cedendum erit?

» Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a capitulo
» provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat
» in praeparationem capituli generalis. Quod si aliqua vice ca-
» pitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam pro-
» vincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

136. – » 4. An ad officium examinatorum sive generalium sive
» provincialium ita duo definitores, vel assistentes, vel consul-
» tores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii exami-
» natores ex reliquis definitoribus, assistentibus, consultoribus
» eligi nequeant?

» Resp. Negative.

» 5. Utrum in Ordinibus et Congregationibus, quae licet ha-
» beant capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant,
» eligendi sint septem examinatores, vel quatuor tantum suffi-
» ciant?

» Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secun-
» dam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti
» interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes, ad
» quos pertinet, in Ordinibus, tam amplis quam exiguis, suffi-
» cere tres examinatores provinciales, praeter Superiorem pro-

» vincialem ad primum scrutinium; et tres examinatores gene-
» rales praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium
» peragendum, et alios examinatores ad opportunitatem et com-
» moditatem eligendos esse.

137. – » 6. In articulo III. decreti *Regulari disciplinae* prae-
» scribitur, ut postulantes accedere debeant ad locum primi scru-
» tinii, ut ab examinatoribus provincialibus personali examini
» subiiciantur. Saepe saepius accidit, ut huiusmodi examen per-
» sonale absque notabili incommodo postulantium fieri nequeat
» sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli
» Superiores regulares expostularunt, quomodo in huiusmodi ca-
» sibus sese gerere debeant?

» R. Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non
» existit, is, qui eius partes iuxta decretum adimplere debet),
» cum tribus examinatoribus, ad peragendum examen personale
» postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam ra-
» tionabilem causam postulantem ab accessu personali dispensare
» iudicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in
» Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco,
» ubi conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam ec-
» clesiasticam sive ex clero saeculari, sive ex clero regulari, dum-
» modo Episcopus loci, vel eius Vicarius generalis eam idoneam
» iudicaverit, transmissa examinatori deputato instructione circa
» ea, super quibus postulans examinandus erit. Verum Religio-
» sus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata, trans-
» mittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ipsa subscri-
» ptam iuramento firmatam, *quo profiteatur sese fideliter munus*
» *suum adimplevisse quacumque affectione postposita.* Quibus per-
» actis Provincialis dictam relationem tribus examinatoribus ex-
» hibere debeat; ut scrutinium, de quo in eodem art. III. de-
» creti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia, quae in decretis
» praescribuntur.

» 7. Nonnulli examinatores nimis anxii sunt in praestando
» iuramento, quo declarare debent *se omnia requisita a sacris*
» *canonibus, constitutionibus et decretis Apostolicis* praescripta
» *debito modo examinasse,* cum non omnes tuto scire possint,
» quaenam sint omnia huiusmodi requisita; expostularunt pro-
» pterea, ut a Sacra Congreg. super praemissis instructio detur,
» qua tuto procedi possit.

» Resp. Iuramentum quoad requisita, et examen qualitatum » referri dumtaxat ad requisita et qualitates *expresse* et *specia-* » *tim* praescriptas in Constit. Sixti V. incipien. *Cum de omnibus* » cum moderatione Gregorii XIV., et in decreto Clem. VIII. cuius » initium *Cum ad regularem disciplinam* (1), nec non in regulis, » et constitutionibus respectivi Ordinis seu Instituti. Et iuramento » satisfieri, si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis » et timoratae conscientiae adhiberi solet.

» 8. An decretum *Regulari disciplinae* vim habeat in Sabaudia?

» Resp. Affirmative.

» Datum Romae ex Sacra Congr. Super Statu Regularium die » 1. Maii 1851. Andreas Can. *Bizzarri*, Protonot. Apost., *a secretis*.

*Alia declaratio a Sanctitate Sua approbata die 16. Ianuarii 1852.*

» An sit nulla, vel tantum illicita professio facta non servata » *prius* forma decreti *Regulari disciplinae?*

» Resp. Esse tantum illicitam, non vero nullam. (2) »

### Art. III. Aliae declarationes.

Summarium. 138. Novitii et professi alterius Congregationis, si fuerint saecularizati, cum testimonialibus Ordinarii recipiuntur in Religionem, professi non saecularizati cum testimonialibus sui Superioris; videlicet Generalis, Provincialis, aut Superioris localis. Quid si pluribus in locis commorati fuerint? In Hispania pro militibus testimoniales petantur tam ab Ordinario originis, quam a Patriarcha Indiarum. Iuramentum ab examinatoribus emittendum est toties quoties examen fit. – 139. In civitate *Louisville* in America, ubi sunt cives vel viatores, pro postulantibus e coetu clericali, testimoniales petendae sunt ab Ordinario, qui contulit ordinationem, et ab aliis, penes quos ultra annum postulantes commorati fuerint. Fides baptismalis ante susceptionem habitus exhibeatur. – Postulans, qui ad alterum Institutum pertinet, exhibeat testimoniales Ordinarii, si sit novitius; si sit professus, obtenta venia Apostolica, praebeat testimonium sui Superioris. – 140. Literae encyclicae S. Congr. Super Statu Regul. de votorum simplicium professione. Ratio huiusmodi emanandae dispositionis. – 141. Novitiatu rite absoluto, simplicia vota

(1) Quod dabimus in volumine III. sub num. 48.

(2) Sed vide infra n. 152.

emittuntur a clericis post sexdecim annos, a conversis post viginti et unum annum; nisi maius tempus specialia statuta requirant. – 142. Post triennium solemnia vota emitti possunt, nisi longius intervallum aliunde requiratur. Hoc intervallum poterit Generalis producere, non tamen ultra annos 25. Quomodo supplendum, si Generalem Instituta non habeant? Decreta alias edita serventur. Haec lex tempus futurum afficit. – 143. Vota haec triennalia perpetua sunt ex parte voventis. Dispensatio pertinet ad S. Sedem. Sed Ordo potest voventem dimittere, ac dimissio votorum solutionem secum fert. – 144. A quo dimissio peragi debeat? quomodo et an infirmitas iusta dimissionis causa sit? – 145. Voventes participes fiunt gratiarum ac privilegiorum Ordinis. Superiores dare possunt testimoniales ad tonsuram ac minores Ordines. Professi simpliciter quando suffragii iure gaudeant? Dominium radicale interim conservant, minime vero actuale. Debent manere in domo professorii et vitam communem observare. Ad vota solemnia requiritur professio expressa, nec sufficit tacita, quae abrogatur. Hactenus dicta post Constit. *Ad universalis* pertinent ad omnes Ordines. – 146. Professi simpliciter non tenentur ad privatam officii recitationem; sed tenentur ad chorum, et aliarum regularum observantiam. – 147. Non possunt ordinari titulo paupertatis. Provinciales quando possint dispensare super defectu natalium? Simpliciter professi, licet ultra 25. annos nati, debent exspectare triennium pro votis solemnibus. Cum dimissis Ordinarii se gerant eo modo, quo cum ceteris dioecesanis. – 148. Per votorum simplicium professionem haud solvitur matrimonium ratum non consummatum: sed recurri potest ad S. Sedem pro votis solemnibus ante tempus emittendis. – 149. Professi simpliciter Melitenses possunt admitti ad tonsuram et minores Ordines absque titulo patrimoniali, non obstante Motu-proprio Piano. Si exeant, in clerum saecularem recipiantur, et quamprimum titulo ordinationis provideantur. – 150. Professi simpliciter licet suffragium habeant in capitulis conventualibus, id tamen non valet pro receptione ad vota solemnia. Reiectio professi per se causa iusta non est, ut quis ab Ordine dimittatur, nulla alia addita inquisitione et informatione. Reiectum a capitulo non impeditur Generalis admittere; quin hic capitulum conventuale tenetur audire, non sequi. – 151. Constitutio super nullitate votorum solemnium non praemissa professione votorum simplicium; et cur ea edita fuerit? – 152. Nulla est et omnino irrita votorum solemnium professio sive clericorum, sive conversorum, nisi ante triennium vota simplicia fuerint emissa ad normam decretorum, de quibus supra. – 153. Quando professi simpliciter dominium radicale abdicabunt?

138. I. Bme Pater – Superior Carmelitarum discalceatorum provinciae Aquitaniae in Gallia ad pedes Sanctitatis Vestrae humil-

lime provolutus expostulat declarationem ad sequentia dubia super observantia decreti *Romani Pontificis* editi die 25. Ianuarii 1848.

1. Quando postulantes novitii vel professi alicuius Congregationis petunt admitti ad nostram Religionem, literae testimoniales petendae sunt a Superioribus alterius Congregationis, in qua fuerunt, vel ab Ordinario?

2. Si a Superioribus, an a Superioribus generalibus, vel localibus, et quid, si in diversis domibus vel conventibus fuerint?

3. In Hispania adest Patriarcha Indiarum, qui iurisdictionem exercet in universo exercitu per suos capellanos: literae testimoniales pro militibus petendae sunt a praedicto Patriarcha, vel ab Ordinario?

Quam Deus etc.

Ex audientia SSmi die 5. Novembris 1852. SSmus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet:

Ad 1. Quoad novitios et professos saecularizatos, ab Ordinario; quoad professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, a Superioribus.

Ad 2. Possunt peti vel a Superioribus generalibus vel a Provincialibus: vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus. Et si professus in diversis domibus vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Superioris provinciae vel domus, (quatenus Provincialis non habeatur) in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus Religiosi.

Ad 3. Petendae erunt tam ab Ordinario originis, quam a Patriarcha. A. Bizzarri, *a secretis*.

II. Propositum est ab Emo Scitowoski, Visitatore Apostolico dubium: « An iuramentum praescriptum in decreto *Regulari disciplinae* emitti debeat ab examinatoribus tantum dum munus » suscipiunt, vel potius toties quoties examen conficiunt? »

SSmus in audientia 12. Ianuarii 1855. declaravit « iuramentum toties, quoties examen habendum sit, praestandum. »

A. Archiepiscopus Philippensis, *Secretarius*.

139. III. Bme Pater – Eutropius, Abbas Trappensium Gethsemani, dioecesis Ludovicopolitanae in America, animadvertens, Americam esse regionem eorum, qui eo commigrant, vel iter faciunt,

omni cum obsequio implorat, ut Sanctitas Vestra dignetur declarare:

1. An satis sit exigere a postulantibus ecclesiasticis testimoniales Episcopi literas, qui ipsis contulit Ordines, vel necessaria etiam sit fides testimonialis Episcopi dioecesis, in qua ultimo tempore commorati sunt?

2. Quoniam maxima postulantium laicorum pars ex Hibernia sunt vel Germania, illud necessario accidit, ut, antequam habeatur fides baptismalis, literae in Europam mitti, et responsum per plures menses exspectari debeat, et quandoque nullimode accipiatur; hinc quando adest certitudo moralis, quod baptizati fuerint, admittine possunt saltem provisorie ad vestitionem post duos circiter probationis menses?

3. Si postulans iam Religiosus est alterius Congregationis aut Instituti regularis, satisne erit, expostulare testimonialem fidem Superioris, a quo dependet?

S. Congregatio Super Statu Regularium vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio PP. IX. concessarum propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1. Si agatur de postulantibus in sacris Ordinibus constitutis, sufficere testimoniales Episcopi, qui Ordines sacros legitime eis contulit, una cum testimonialibus Ordinariorum dioecesium, in quibus deinde ultra annum in unaquaque dioecesi commorati fuerint.

Ad 2. Documentum recepti Baptismatis exhibendum esse ante admissionem ad habitum.

Ad 3. Quoad novitios alterius Ordinis, et professos saecularizatos testimoniales literas petendas esse ab Ordinario: quoad professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium Ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales literas petendas esse a Superioribus, nempe vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus Ordinis a quo: vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus; et si professus in diversis domibus vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Provincialis, vel Superioris domus, (quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores antequam testimoniales concedant diligenter

inquirere debeant de qualitatibus Religiosi. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Super Statu Regularium hac die 29. Maii 1857. A. Archiepiscopus Philippensis, *Secretarius.*

140. *Encyclicae literae S. Congregationis Super Statu Regularium de votorum simplicium professione.* Rme Pater – Neminem latet, tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus, tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers, et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt, contra regulares familias, licet de christiana et civili republica optime meritas, pleno ore blaterent, et culpam, quae paucorum est, in universum coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem regulares viri propriae vocationis assidue memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex proprii Instituti regula nullis curis nullisque laboribus parcere, ut maiorem Dei gloriam ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus, ab ipsis maiore studio et contentione est praestandum, cum populi, licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce, ac sanctissimae nostrae religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares Ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divinae nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate, patientia ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina radicitus evellant, ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique foveant, excitent ac propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, charitatem in primis praeseferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet, et idcirco necesse est, religiosos ipsos viros ar-

ctissimo charitatis vinculo inter se esse coniunctos, quo concordissimis animis, consociatisque studiis praeliantes bella Domini, et quaerentes unice quae Christi sunt, possint Dei eiusque sanctae Ecclesiae regnum magis in dies extendere.

Cum igitur Ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis iuxta rerum ac temporum adiuncta provide sapienterque occurrere soleat, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. religiosos Ordines praecipua benevolentia prosequens, et ab iis huiusmodi mala avertere cupiens, rem deferendam voluit ad S. Congregationem Super Statu Regularium, ut PP. Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent, quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione sedulo perpensa, haec, quae sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, atque ab omnibus, ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et exsecutioni demandari districte iubet, et contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat.

141. Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede adprobatis requiratur; et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clem. VIII. incipien. *In supremo* praefinita est.

142. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis, ac etiam Superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis Super Statu Regularium incipien. *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae* anno 1848. promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam praesentium ad habitum admittentur.

Haec sunt, quae tibi ex mandato Sanctitatis Suae significanda erant, ut ea Religiosis tuo regimini subiectis denunties, et interim fausta a Domino adprecor.

Datum Romae ex S. Congreg. Super Statu Regul. die 19. Martii anno 1857. – Tui studiosus A. Archiepisc. Philippen., *Secretarius*.

*Declarationes super praecedentibus literis encyclicis.*

143. SSmus D. N. Pius PP. IX. attentis precibus Magistri generalis Ordinis Praedicatorum S. Dominici, haec, quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis huius S. Congregationis Super Statu Regularium die 19. Martii 1857. praescriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem Ordine Praedicatorum decernenda statuit, prout praesentis decreti tenore Apostolica auctoritate decernit atque constituit:

I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

144. – IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum generalem Ordinis cum suo generali consilio. Idem Magister generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decer-

nendam subdelegare probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent.

V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

145. – VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

VII. Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis literas dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

VIII. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, qui-

bus Apostolica auctoritate derogat atque derogatum esse declarat (1).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congreg. Super Statu Regul. hac die 12. Iunii 1858. – A. Archiep. Philippen., *Secretarius*.

*Aliae declarationes super literis encyclicis diei 19. Martii 1857.*

146. – I. Dubia 1. An professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium iuxta literas encyclicas diei 19. Martii 1857. praemitti debent, teneantur ad officium divinum?

2. An teneantur ad observantiam regulae Ordinis prout solemniter professi?

SSmus in audientia habita ab infrascripto Secretario S. C. Super Statu Regularium die 6. Augusti 1858. respondendum mandavit nempe:

Ad 1. Non teneri ad privatam recitationem divini officii: debere tamen choro interesse ut solemniter professi.

Ad 2. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis (2). – A. Archiep. Philippen. *Secretarius*.

II. dubium. Iuxta Constit. Clementis VIII. professio votorum solemnium emittenda est in conventu novitiatus. Ad praescriptum vero legis latae die 19 Martii 1857. professi votorum simplicium debent manere in domibus professorii et studiorum. Hinc quaeritur, an professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum solemnium admittantur, transferendi sint in conventum novitiatus, vel eam emittere possint in conventu, in quo morantur?

SSmus in audientia habita die 9. Decembris 1859. ab infrascripto Secretario S. Congreg. Super Statu Regularium, attenta lege de emittendis votis simplicibus die 19. Martii 1857. lata statuit atque constituit, ut, literis Apostolicis Clementis VIII., aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum sole-

(1) Postquam edita est Constit. *Ad universalis* d. d. 7. Feb. 1862. (Vid. infra pag. 113.) hae declarationes cunctos Ordines prorsus afficiunt; sed pro Capuccinis, Observantibus et Reformatis pro iis verbis in art. IX. *ac etiam suo Ordini* etc. subrogandum est: *non tamen suo Ordini*.

(2) Vid. art. IX. praecedentium declarationum.

mnium suo tempore emittere possint in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti novitiatus. A. Archiep. Philippen., *Secretarius*.

147. – III. Bm̃e Pater – Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod S. V. decreto S. Congr. Super Statu Regul. die 19. Martii 1857. praecepit, ut novitii iam sexdecim annorum, etiam expleta novitiatus anno ad normam Tridentini, non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professionem admittantur, dummodo ultra 25. annum eorumdem aetatis non protendatur.

Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime expostulat:

1. Possuntne novitii post emissa vota simplicia ante emissionem solemnium ad sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus* S. Pii V. die 12. Nov. an. 1508. in lucem edita?

2. Possunt Provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium, ad hoc, ut his Ordines conferantur?

3. Qui forte habitum Religionis induerint, maiores iam 25. annorum, aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia et professionem admitti, an etiam cum similibus exspectandum est ulterioris probationis triennium?

4. Si novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e Religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur; quid cum eis agere debet Ordinarius, si aut ad sacros Ordines, aut ad matrimonium forsitan adspirent?

Ex audientia SSm̃i habita a D. Secretario S. Congr. Super Statu Regularium sub die 20. Ianuarii 1860. – SSm̃us ad proposita dubia rescribendum mandavit, ut sequitur:

Ad 1. Negative quoad Ordines sacros.

Ad 2. Affirmative pro prima tonsura et Ordinibus minoribus, quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Ad 3. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 4. Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab emissis votis so-

luti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet. – A. Archiep. Philippen., *Secretarius.*

148. – IV. *Ex relatione status ecclesiae Mexicanae ad S. Cong. Concilii transmissa die 20. Iulii 1860. habetur sequens postulatum:* Cum iure communi receptum sit, ut coniugi ante consummationem matrimonii tempus petenti ad deliberandum, an vellet monasticam vitam amplecti, bimestre concedatur, alterque coniux in saeculo manens exspectare teneatur, donec monasticam vitam amplexus professionem emittat, quin antea alias nuptias inire valeat, a S. Cong. postulo declarari, num coniux manens in saeculo nedum bimestre et annum probationis ante simplicium votorum professionem exspectare teneatur, sed et subsequens triennium, quo demum expleto iuxta recentem disciplinam locus est professioni solemni?

Ex audientia SSmi die 25. Ianuarii 1861.:

SSmus in audientia habita die 24. Ianuarii 1861. ab infrascripto Secretario S. Cong. Super Statu Regularium, ad quam dictum postulatum remittendum iusserat, eidem dubio respondendum mandavit, nempe nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi; non vero per professionem votorum simplicium; ideoque in casu, quo vir iuxta legem diei 19. Martii 1857. per S. Cong. Super Statu Regularium latam vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse, sive eius coniux recurrere poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia. – A. Archiep. Philippen., *Secretarius.*

149. – V. Bme Pater – Pius PP. VI. per Literas Apostolicas sub annulo piscatoris Motu-proprio datas die 25. Iunii an. 1777. prohibuerat, ne cui Episcopus Militensis primam tonsuram conferret, nisi titulum sustentationis habenti. Revera quum in titulis huiusmodi describendis nonnisi beneficia, capellanias, pensiones et patrimonia memoret, directe de Regularibus non videtur locutus. Tamen ex illo tempore in dioecesi Melitensi Regulares nonnisi cum titulo, paupertatis nimirum, ad tonsuram Ordinesque minores promoveri consueverunt. Quumque hic titulus per solemnem professionem acquiratur, Regulares numquam hic nisi post emissam votorum solemnium professionem sunt promoti.

Nunc vero quaedam immutatio in Ordinibus religiosis inducitur. Per decretum enim, quod ex mandato Beatitudinis Vestrae

S. Congregatio Super Statu Regularium edidit die 19. Martii 1857. praecipitur, ut qui religiosam vitam in quocumque Ordine profiteri vellet, emenso tyrocinii anno, ad vota simplicia dumtaxat admitteretur; post quorum emissionem adhuc ex Ordine dimitti posset. Interim tamen permisit, ut Superiores Regularium literas dimissoriales ad primam tonsuram, Ordinesque minores huiusmodi professis concedere possent.

Ex expositis sequentia dubia orta sunt, quorum solutionem a S. V. Episcopus Meliten. humillime expostulat, nempe:

1. Utrum praedictus Motus-proprius Pii VI. respiciat Regulares ita, ut sine titulo sustentationis ad primam tonsuram Ordinesque minores nequeant Melitae promoveri?

Et quatenus affirmative,

2. Utrum S. V. in supra memorato decreto censeatur hac in parte Motui-proprio Pii VI. derogasse?

3. Sive Motus-proprius Pii VI. Regulares proprie non respiciat, sive S. V. hac in parte illi derogaverit, quid dicendum, si professi vota simplicia, postquam tonsuram Ordinesque minores susceperint, ab Ordine dimittantur; eruntne recipiendi in clerum saecularem, ita ut habitum clericalem gestent, et in susceptis Ordinibus ministrent, quamvis careant titulo sustentationis?

Ex audientia SSmi die 20. Ianuarii 1860.:

SSmus ad suprascripta dubia rescribendum mandavit ut sequitur:

Ad 1. et 2. Regulares non comprehendi, et etiam professos votorum simplicium, de quibus agitur, posse admitti ad primam tonsuram et Ordines minores non obstante dicto Motu-proprio.

Ad 3. Affirmative in omnibus, nisi aliud iudicio Episcopi obstet; sed curandum esse, ut, quamprimum fieri poterit, de praescripto titulo provideantur. Minime vero ad Ordines sacros promoveri posse, nisi praescriptum titulum habeant. – A. Archiep. Philippen., *Secretarius*.

150. – VI. Bme Pater – Fr. Alexander Vinc. Iandel Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum exponit, occasione nuperrimi decreti a S. Congreg. Super Statu Regularium die 12. Iunii 1858. Apostolica auctoritate editi, nova quaedam in quibusdam sui Ordinis conventibus exorta fuisse dubia, quorum solutionem ab eadem S. Congr. enixe et humillime exposcit:

1. Cum ex praefati decreti tenore *num. 8.* professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi, quaeritur, an inter huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquamquod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest, quod professi simplices numero excedant professos solemnes, et inter eos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint?

2. Utrum reiectio alicuius professi simplicis, a maiori parte patrum in consilio vel totius conventus in capitulo per suffragia secreta prolata, ab Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa aut prudens iudicium, ad hoc, ut eiusdem professi votorum simplicium dimissio ab Ordine, et eorumdem votorum solutio ab ipso cum suo generali consilio decerni et declarari possit?

Et quatenus Negative, quaeritur:

3. Quid agendum, si patres conventus ad excludendum novitium a professione solemni perseverent, nec ulterius eadem differri possit, eo quod vigintiquinque aetatis suae annos novitius expleverit?

SSmus D. N. Pius PP. IX. in audientia habita die 7. Februarii 1862. ab infrascripto Secretario S. Congreg. Super Statu Regularium ad suprascripta proposita dubia rescribendum mandavit, nempe:

Ad 1. Negative; ad 2. Negative; ad 3. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori generali vel ab eius subdelegato standum erit resolutioni eiusdem capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis IV. et V. declarationum praescripta sunt.

Insuper Sanctitas Sua ea, quae in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines et Instituta extendit, et extensa esse declaravit.

A. Archiep. Philippen., *Secretarius.*

151. *Constitutio super nullitate professionis votorum solemnium non praemissa professione votorum simplicium.* Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam – Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam, ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Idcirco audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Super Statu Regularium nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per Literas encyclicas die 19. Martii 1857. a ven. Fratre A. Archiepiscopo Philippensi, memoratae Nostrae Congregationis Secretario, signatas, publicatum est. In praefatis autem Literis haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines ac Instituta ex Nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere, scilicet: « *Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipiente* In supremo *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre,*

*non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis Super Statu Regularium incip.* Romani Pontifices *et* Regulari disciplinae *anno 1848. promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.* » Postquam hoc decretum exsecutioni demandatum fuit, ex ipsa experientia comperimus, quantum utilitatis ex eo religiosae familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse.

152. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, in quibus solemnia vota emittuntur, statuimus ac decernimus, nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis et conversis, qui licet probationem et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis et consuetudinibus cuiusque Ordinis, Congregationis et Instituti etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis spe-

cifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras Literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse et fore volumus et declaramus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die VII. Februarii 1861., Pontificatus Nostri anno decimosexto. – B. Cardinal. Barberinius.

153. *De tempore, quo professi votorum simplicium suarum rerum dominium a se abdicare possunt per renuntiationem, quam Tridentina Synodus respicit in cap. 16. Sess. 25. de Regul.* – Decretum. Lata lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per encyclicam epistolam huius S. Congretionis Super Statu Regularium die 19. Martii 1857. nonnullae deinde editae fuerunt declarationes quoad ipsa vota simplicia, et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit: *Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem et usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.*

Nuper vero dubium exortum est, quandonam professi votorum simplicium emittere possint renuntiationem, de qua sacrosanctum Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 16. de Regul.* agit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent. Dubio ad SS̃um D. N. Pium PP. IX. ab infrascripto Secretario S. Cong. Super Statu Regul. in audientia habita die 1. Augusti 1862. relato, Sanctitas Sua Apostolica auctoritate statuit, atque constituit, renuntiationem, quam in citato *cap. 16. Sess. 25. de Regul.* Concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum

solemnium. Contrariis quibuscumque non obstantibus (1). Datum Romae eodem die, et anno ex Secretaria S. C. Super Statu Regularium. – A. Archiep. Philippen., *Secretarius*.

### Art. IV. Afferuntur nuperae aliquae S. Congr. Episc. et Regul. declarationes ad Regulares pertinentes.

Summarium. 154. Facti species causae dioeceseon N. N. super interventu Regularium ad functiones oleorum sanctorum. – 155. S. C. Rit. in *Lauretana* edixit, canonicos debere inservire ac ministrare in functione oleorum sanctorum, si deficiant alii sacerdotes. Item alias in *Rithimen.* censuit, ad eumdem finem per Regulares suppleri debere deficienti duodecim sacerdotum numero. – 156. 157. Alias ob sacerdotum defectum indulsit, ut functio oleorum sanctorum cum minori, quam duodecim numero peragi posset. – 158. Cum consuetudo ferret in cathedrali Surrentina, ut presbyteri, diaconi et subdiaconi loci suburbani functioni eidem interessent, S. C. declaravit solitum servandum, et renuentes compellendos. – 159. In resolutione causae dioeceseon N. N. declarationem in Rithimen. emissam dari iussit S. C. Episc. et Regul. – 160. An et quomodo Episcopus regularis ad regulam teneatur, quam professus fuerit. – 161. Regulares nonnisi confessariis sui Ordinis confiteri debent; dummodo ex iusta causa et cum Superioris licentia extra conventum non diversentur. – 162. Dubium propositum in causa N. N. Superior localis apud Regulares tenet locum Episcôpi: contra sentit Giraldius. – 163. S. C. Episc. et Regul. definivit apud Augustinianos, Religiosum utentem facultate sui Prioris confitendi sacerdoti saeculari approbato valide confiteri, et Priorem posse hanc facultatem tribuere. In ceteris Ordinibus peculiaribus constitutionibus standum esse subiunxit. – 164. De causa *Congr. presbyt.* N. N., cui causam dedit tractatus de Congregationibus saecularibus votorum simplicium in ephemeride *Analecta Iuris Pontificii* editus. – 165. In *Annuario Pontificio* Ordines religiosi votorum solemnium discriminantur a Congregationibus saecularibus votorum simplicium. – 166. Quam distinctionem constanter ac firmiter retinuit Apostolica Sedes; cuius rei exempla afferuntur. – 167. Neque ex gratia presbyteris dictae Congregationis N. N. concedendum esse existimavit consultor S. Congregationis, ut inter Ordines vere regulares collocarentur. – 168. Vocabulum exemptio plures recipit distinctiones; sed ad rem quod pertinet, dividitur in eam, quae ex iure communi oritur, vel ex privilegio. – 169. Olim Congregationes masculi

---

(1) Cfr. Decisio S. C. Episc. et Regul. d. d. 16. Aug. 1866. in *Act. S. Sedis*, vol. 2. pag. 301.

sexus cum votis simplicibus minime probari solebant, hodie vero secus est. – 170. Nefas est Episcopis ea attingere vel immutare, quae a S. Sede disposita fuerint. – 171. Indicantur capita, in quibus ex sententia auctoris Analectorum presbyteri Congregationum saecularium subsunt Episcopo. – 172. Inniti sese nequeant hi presbyteri iure communicationis privilegiorum sibi elargitorum. Hoc argumentum enucleatius evolvitur. – 173. Superiores eorumdem presbyterorum solam habent in suos subditos potestatem dominativam, minime vero iurisdictionalem.– 174. S. Congr. edixit, presbyteros Congregat. N. N. non esse vere Regulares; at vero ex privilegio gaudere exemptione ad formam Rescripti a B. Paulo de Cruce obtento, quod per extensum affertur.

154. Caput hoc ad Regulares pertinens claudant nuperae aliquae S. C. Episc. et Regul. declarationes, quas nosse admodum proderit, ut norma ex iis arripiatur in casibus adsimilibus, qui facillime possunt accidere.

Primo loco occurrit causa dioeceseon N. N. *Super interventu ad funct. ol. sanctor.*, in qua Episcopus N. N. inspecta dispositione suae Synodi dioecesanae, antiqua consuetudine, exemplo Servorum Mariae, et Observantium ecclesiae S. Iuliani, necnon inopia cleri saecularis, et congruentiae argumento a publicis processionibus petito, Religiosos Observantes coenobii S. Luciae eius urbis obstringere se posse ratus est, ut feria quinta Maioris Hebdomadae subdiaconum unum sibi mitterent, qui sacrorum oleorum functioni interesset. Cui rei non solum Regulares illi viri, sed et generalis Ordinis Administer adversatus est intuitu privilegiorum, quae Regularium exemptionem a iurisdictione episcopali constituunt. Itaque res ad S. C. Episc. et Regul. delata est.

Eodem ferme tempore alterius dioecesis Episcopus hoc S. C. C. postulatum detulit: *Potestne Episcopus obligare conventus dioecesum suarum, ut unusquisque eorum mittat fratrem sacerdotem ad assistendum feria V. Maioris Hebdomadae functioni oleorum sanctorum alternatim cum parochis dioecesum ita, ut unusquisque conventus computetur pro parocho?*

Huius postulati solutio ab eo sacro consessu ad S. C. Episc. et Regul. reiecta est, quae votum R. P. D. Angelini, consultoris sui, exquisivit. Hic porro posteaquam non sine eruditione et doctrina de hac sacri chrismatis functione disseruit, ad rem aliquas S. C. Rituum declarationes in medium protulit, prout sequitur:

155. S. Rituum Congregatio (apud Gardellini *Decreta authentica Cong. SS. Rit. edit. 3. Romae 1856. num. 308.*) in una Lauretana, cuius verba hic exscribuntur, ita declaravit:

« Pro parte Episcopi Lauretani a S. C. C. quaesitum fuit: » 1. An in consecratione sanctorum et sacrorum oleorum feria V. » in Coena Domini, cum duodecim presbyteri adhibendi sint, » nec tot praeter canonicos in eius ecclesia reperiantur, possint » et debeant canonici inservire et ministrare, ut numerum duo- » decim presbyterorum conficiant? »

Congregatio respondit:

« Formam libri Pontificalis servandam esse, nec canonicos a » dicta functione exemptos esse, quatenus sine eis numerus suf- » ficiens non reperiatur. » Die 9. Maii 1606.

156. Eadem S. R. C. in *Rithimen.* 11. Nov. 1641. apud eumdem Gardellini *num. 1354.* ita decrevit:

« Supplicavit Episcopus Rithimen. responderi, quomodo se » gerere debeat in confectione olei sancti, stante penuria sacer- » dotum non constituentium numerum, quem requirit Pontificale » Romanum? » Et S. C. respondit: « Episcopum supplere debere » cum regularibus sacerdotibus. »

Insuper legitur *num. 1429.* in alia Rithimen.:

« Episcopus Rithimensis cum ob penuriam presbyterorum uti » non possit in consecratione oleorum sanctorum numero sacer- » dotum, diaconorum et subdiaconorum praescripto in Pontifi- » cali Romano, supplicavit ex causa praedicta sibi concedi li- » centiam conficiendi olea sacra cum minori numero mini- » strorum. »

Et S. C. censuit, « si SSmo D. N. placuerit, petitam facul- » tatem Episcopo concedi posse, quatenus sufficiens numerus » presbyterorum in dioecesi Rithimensi non reperiatur, vel ali- » ter commode haberi nequeat, super quo eius conscientia one- » ratur, et dummodo in reliquis, quantum fieri potest, Pontifi- » calis praecepto se conformet.

» Et relatione SSmo facta, Sanctitas Sua iuxta praedicta be- » nigne annuit die 24. Ianuarii 1643. Gardell. *tom. 1. pag. 248.* » *col. 1.*

157. Item *num. 1486.* in Emonien. in Istria ita edixit:

« Episcopus Emoniensis cum ob penuriam presbyterorum uti » non possit in consecratione oleorum sanctorum numero prae-

» scripto in Pontificali Romano, supplicavit ex causa praedicta » sibi concedi, ut possit id explere cum numero possibili. » Et S. Cong. censuit: « Si SSmo D. N. placuerit, gratiam petitam » Episcopo oratori esse concedendam, quatenus sufficiens nume- » rus presbyterorum in dioecesi Emonien. non reperiatur, vel » aliter commode haberi nequeat, super quo eius conscientia one- » ratur, et dummodo in reliquis, quoad fieri potest, cum Ponti- » ficali Romano se conformet. Et re ad SS. D. N. delata, San- » ctitas Sua iuxta praemissa benigne annuit.»Die 23. Ian. 1644. *Ibid. tom. 1. pag. 258. col. 2.*

158. Tandem *num. 2878.* in *Surrentina* exponebatur, ab immemorabili tempore, ac sine ulla contradictione, presbyteros Plani Burgi eius urbis, diaconos ac subdiaconos sanctorum oleorum functioni interesse in cathedrali consuevisse, ea de ratione, quod non sufficerent ii, qui in eadem cathedrali aderant; hinc necesse erat ad dictos ecclesiasticos viros dicti Burgi confugium habere: quapropter repraesentabatur hoc: « Et quia in praesenti com- » pertum est, supradictos sacerdotes intervenire nolle, et propte- » rea memoratam functionem animarum saluti adeo necessariam » fieri non posse: cumque dicti sacerdotes et clerici non venientes » vocari debeant et sint obligati ad interveniendum, prout refert » Gavantus sub verbo *Olea Sacra* n. 3., supplicatur, ut Eminentia » Vestra declarare velit, an, solitis vigentibus conditionibus sa- » cerdotibusque in urbe deficientibus, subditi Plani teneantur » supradictae intervenire functioni, et an poenis mulctisque ad » memoratam assistentiam cogi possint. »

Et S. C. respondit: « Servetur solitum, et compellat renuentes. » Die 18. Martii 1679. *Ibid. Tom. 2., pag. 10. col. 1.*

159. Post haec una in consultatione ambae utriusque Episcopi, de quibus diximus, controversiae dirimendae propositae sunt in causa Vicentina et Savonen. ac Naulen. *Super interventu Regularium ad funct. ol. sanct.* diei 19. Iun. 1863.

Dubia isthaec erant:

1. « An et quomodo reverendi Patres Minores Observantes » S. Luciae teneantur mittere ad cathedralem Vicentin. subdia- » conum, ut adsistat functioni oleorum sanctorum feria V. Ma- » ioris Hebdomadae in casu?

2. » An et quomodo respondendum sit postulato R. P. D. » Episcopi Savonen. in casu? »

Quibus Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. Negative, nisi in subsidium, ad formam resolutionis » S. R. C. in *Rithimen.* 11. Nov. 1641.

» Ad 2. Detur responsio S. C. Rit. prout in Rithimen. »

160. Sequitur *Dubium super Episcopo Regulari,* in qua R. P. D. N. N. ex Ordine Min. Observ., Episcopus dioecesis N. N. S. Congreg. Episc. et Regul. demisso animo exposuit, a s. m. Bened. XIII. in Constit. *Custodes* 7. Martii 1725. sub poena suspensionis ipso facto incurrendae Episcopis Regularibus imponi obligationem regulae, cui sese in professione religiosa devinxerunt, observandae in iis omnibus, quae cum episcopali ministerio componi possint. Praeterea subdidit, doctrinam esse ab auctore additionum Ferrar. traditam verbo *Episcopus art. 6. in fin.,* quod mortaliter peccet Regularis ille Episcopus, qui aliter sese gereret.

Contra vero a S. Rota in una *Vilnen. Ord. S. Basilii* 3. Apr. 1761. apud Ferraris *l. c.,* necnon a S. Alphonso de Liguori *Lib. 4. dub. 1. qu. 11.* doceri subiecit, quod Episcopus Regularis ex *honestatis debito* ad regulae observantiam teneatur; hoc autem *debitum ne sub levi quidem obligat.*

Cum itaque S. Congr. sententiam duorum ex suis consultoribus exquisivisset, qui argumentum hoc non sine multa doctrina pertractarunt et expenderunt, dubium propositum est:

*An, et quomodo Episcopus Regularis ad regulam teneatur, quam professus fuerit?*

Emi patres die 6. Maii 1864. rescripserunt:

*Affirmative ad formam Constit. Bened. XIII. incip.* Custodes, *nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant: item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.*

161. Digna, quae referatur, esse etiam videtur sequens causa N. N. *Super fac. elig. conf.* Porro statutum est in omnibus regularium virorum Ordinibus, *ut alumni cuiuslibet Instituti* (ita Benedictus XIV. Constitutione *Quod communi* 30. Martii 1742. *in princip.*) *peccata sua nonnisi eiusdem dumtaxat Religionis con-*

*fessariis, quibus utpote omnium rerum in ipsa Religione servandarum cavendarumque notitia instructis, facilius est pro culpis salutare habere remedium, confiteri teneantur.*

Casus excipitur, quo Religiosi versentur extra conventum iusta cum causa et licentia Superioris: tum enim confiteri possunt etiam confessario alterius Ordinis atque adeo saeculari, dummodo ab Episcopo fuerit ad confessiones adprobatus, prout contra plurium doctorum sententiam disertissime declaravit S.C. Conc. in *Hildesimen.* 18. Nov. 1769. Vide etiam Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 105. pag. 976.*

162. Sed enimvero quidam Prior ex Augustiniana familia in dioecesi N. N. hoc postulatum S. Cong. Episc. et Regul. proposuit: « *Quidam Religiosus utens facultate obtenta a Priore sui conventus confitetur sacerdoti saeculari, et quidem adprobato; quaeritur* 1. *an valide? et quatenus affirmative,* 2. *Utrum Prior possit iure subditis suis hanc facultatem concedere, necne?* »

S. C. exquisivit votum Generalis Augustinianorum Administri, qui referebat ex sui Ordinis constitutionibus conventuum Prioribus potestatem datam videri auctorandi subditos suos, ut sacerdoti alterius Ordinis etiam saeculari confiteri possint: quin imo ex immemorabili consuetudine ita in usu reipsa positum esse adiiciebat. Unus etiam ex consultoribus memoratae S. Congregationis pro more rogatus est, qui animadvertens Superiores locales, uti sunt Priores et Guardiani, aliove quocumque nomine nuncupati, apud Regulares dioecesani Ordinarii locum tenere, illiusmodi potestatem Prioribus Augustinianorum competere autumabat, dummodo non prohiberetur a constitutionibus Ordinis.

Contra tamen obesse opinio Giraldi videbatur, qui *loc. cit. pag. 977.* Superioribus localibus iurisdictionem episcopalem denegat.

163. Concinnato dubio die 3. Iun. 1864. in N. N. *seu Ordinis S. Aug. super facul. elig. confess.: An et quomodo respondendum duabus quaestionibus propositis in casu?* Emi Patres rescripserunt:

*In Ordine Eremit. S. Augustini affirmative ad primum et secundum, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci. Pro aliis Ordinibus standum esse constitutionibus et statutis.*

164. Tandem affertur causa quaedam *Congregationis presbyterorum N. N. Super privil.*, in qua lector veniam dabit, si ar-

gumentorum momenta hinc inde disceptata paullo fusius evolvantur ea de causa, quod huiusmodi materia nova plane et parum nota dici debet. Cum clarissimus auctor ephemeridis, cui titulus *Analecta Iuris Pontificii* in fasciculis numero 39. et 40. mense Septembri et Octobri Romae evulgatis distributisque, tractatum de Congregationibus clericorum saecularium elucubrasset, in quo easdem ab episcopali iurisdictione exemptas non abire contendebat, Superior generalis, idemque rector maior Congregationis modo memoratae, quae in illa ephemeride nominatim recensebatur, veritus, ne exinde occasio peteretur inferendi praeiudicium privilegiis a S. Sede suae Congreg. concessis, penes S. Congr. Episc. et Regul. supplici oblato libello conquestus est, unaque declaravit, *primo* sodales Congregationis mox memoratae esse vere Regulares, etsi vota simplicia profiteantur, aut saltem dignos esse, qui tales ex gratia efficiantur; *secundo* eosdem exemptos prorsus esse a iurisdictione episcopali, iis rebus exceptis, quae curam animarum, Sacramentorum administrationem, et casus a Conc. Trident. expressos respiciunt. Hasce preces suis animadversionibus prosequutus generalis eiusdem Societatis Procurator in alma Urbe residens, utrumque caput magis magisque confirmare satagebat. Una cum precibus exemplar literarum Apostolicarum aliarumque Pontificiarum concessionum exhibebat, quibus petitionem suam plenissime comprobari credebat.

S. Congr. Episc. et Regul. uni ex suis consultoribus positionem, seu actorum omnium fasciculum, iuxta morem remitti iussit, ut suam sententiam ea de controversia panderet. Itaque consultor, omnibus concessionum Pontificiarum documentis expensis ac recognitis, ad primum, quod attinet, opinabatur, Congregationem, de qua res erat, inter Ordines vere regulares neque comprehendi, neque expedire, ut ex gratia inter eosdem accenseretur. Super altero capite eam ipsi Congregationi exemptionem competere autumabat, quae clericis excalceatis Passionis D. N. I. C. competit iuxta Rescriptum diei 21. Sept. 1771., cuius tenorem in calce huius causae *(pag. 128.)* referemus: quandoquidem ex Pontificum placitis omnia horum clericorum privilegia sodalibus Congregationis, de qua agebatur, conceptis verbis communicata fuisse perpendebat.

Quoniam Congregationum saecularium numerus praeteritis temporibus perquam exiguus erat, adeoque nihil aut parum de iis agitur apud rerum canonicarum interpretes, e re admodum esse

atque adeo officium exigere visum est, ut huiusmodi argumentum in consultatione perample pertractaretur. Quin imo quando per haec tempora earumdem copia mirifice, non sine uberi Ecclesiae fructu, multiplicata et ubique fere propagata est, neque inutile, neque iniucundum fore arbitramur, si per summa capita consectemur ea, quae in eadem consultatione utrimque disceptabantur.

165. A primo quaestionis capite exordior, quod status regularis qualitatem attingit. Ante omnia praeponebatur, clericos regulares a clericis saecularibus substantialiter in hoc potissimum discriminandos esse, quod illi vota solemnia profiteantur, prout faciunt, ex. gr. monachi ac fratres mendicantes; at clerici saeculares nonnisi votis simplicibus sese devinciunt. In opusculo quotannis Romae imprimi solito, quod vulgo audit *Annuario Pontificio*, atque etiam communiori vocabulo *Cracas* a nomine primi editoris, apud quem prima vice opusculum illud typis impressum est, ultimis hisce annis articulus adiici coepit, qui refertur ad universos Ordines religiosos. Iamvero ibidem utrorumque discrimen aperte ponitur, ita ut in una classe Theatini, Barnabitae, Somaschenses, aliique vota solemnia profitentes enumerentur, in alia vero Philippini, Doctrinarii, sacerdotes missionum S. Vincentii a Paulo, Sodales SSmi Redemptoris, aliique omnes votis simplicibus illigati recenseantur.

166. Praeterea observabatur saepenumero apud S. C. Episc. et Regul. actum esse de qualitate status regularis, quam novarum huiusmodi Congregationum fundatores aut moderatores, vel sibi sumebant, vel enixe a S. Congr. deprecabantur. At vero S. C. nunquam omnino ex hac disciplina deflectendum esse censuit, nimirum ut Sodalitates virorum aut mulierum vota simplicia nuncupantium neutiquam Regulares, bene vero saeculares haberentur et essent.

Neque immerito; siquidem S. Sedes iampridem declaraverat, statueratque, ut, qui vota simplicia edunt, e numero vere Regularium excluderentur. Et sane: Doctrinarii primitus clerici saeculares erant, quippe qui vota simplicia profitebantur; cum tamen Somaschensibus coniuncti fuissent, ac vota solemniter solverent, ad coetum Regularium evecti sunt. Resoluta huiusmodi coniunctione, reversisque Doctrinariis ad vota simplicia, ingens dubitatio suborta est, an e qualitate regulari excidissent: et ita nimirum factum esse, matura praemissa consultatione, declaravit s. m.

Innoc. X. in Constit. diei 30. Aug. 1652. incip. *Pastoralis officii.* Vice autem versa Congregatio Matris Dei quando primum vota simplicia nuncupare consuevit, uti saecularis habita est; subinde cum solemnem professionem emittendi a s. m. Gregor. XV. facultatem obtinuisset, clericorum saecularium nomen immutavit, atque adeo ad statum regularem adsurrexit, quem hodiedum quoque conservat, uti in praedicto *Annuario Pontificio* videre est.

167. Post haec Congregationi, de qua erat sermo, neque ex gratia concedendum esse ponebatur, ut inter Ordines regulares collocaretur.

Multa scilicet in medium afferebant moderatores Congregationis, de quibus disceptabatur, ut voti sui compotes efficerentur: at vero cum ea nihili duxerit Sacer Ordo, quemadmodum primi dubii resolutio planum faciet, dedita opera hic referre abstinemus.

168. Gradum facimus ad alterum caput, ubi de exemptione res est. Exemptionis vocabulum multiplices apud auctores recipit distinctiones; quibus omnibus, utpote ad rem non facientibus, silentio praetermissis, una distinctio, quae nova dici poterat, instituebatur, nempe ea, quae ex *iure communi*, et ea, quae ex *speciali privilegio* oritur. Primam eam esse subdebatur, quae cuncta privilegia complectitur, per ius commune, Conc. Trid. et Constitutiones Pontificias omnibus indiscriminatim Regularibus attributa, ut hi a iurisdictione episcopali eximantur: quae porro huiusmodi est, ut ex hoc ipso, quod aliqua Sodalitas inter Regulares constituitur, statim omnia et singula Regularium privilegia sibi comparasse intelligatur. Qua quidem de causa (ut opinor) factum est, ut Apostolica Sedes tantum momenti in regularium et saecularium clericorum discrimine constituendo posuerit.

Hisce praestitutis, illud generatim sequitur, ut clerici saeculares, utpote extra Regularium numerum constituti, Regularium privilegia arrogare sibi nequeant; itaque nihil aliud sibi vindicare integrum est, quam quod ex peculiari Sedis Apostolicae privilegio elargitum fortasse fuerit; et in hoc sita est exemptio, quam ex privilegio fluere diximus.

169. Haud heic praetereundum videtur id, quod de femineis votorum simplicium Institutis factum est, ut nempe a S. Sede primum prohiberentur, (vide notam Constit. S. Pii V. *Circa pastoralis*) postea vero citra approbationem tolerari, atque adeo communiter approbari ceperint; illud ipsum simili ratione eve-

nisse de masculis votorum simplicium Sodalitatibus, quae a S.Pio V. primum prohibitae per Constit. *Lubricum vitae genus* diei 17. Novembr. 1568. *(Bull. mag. tom. 4. Part. III. pag. 47.)*, demum nostris temporibus ab Apostolica Sede approbationem et laudem non raro assequi potuerint.

170. Iamvero in huiusmodi approbatione sancienda S. C. Episc. et Regul., cui haec negotia deferuntur, semper fere Sodalitatum, de quibus agitur, scopum, regimen et constitutionem, simulque regulas approbationis suae calculo complecti consuescit. Quocirca quidquid ex Pontificia auctoritate ordinatum fuerit, nefas est Episcopis, utpote Summo Pontifice inferioribus, attingere et immutare; adeoque hac in re sine dubitatione clerici, etsi saeculares, ab episcopali iurisdictione sunt exempti. Probatur exemplo sodalium S. Philippi de Lima, ut constat ex Constit. Bened. XIV. diei 21. Ian. 1758. incipien. *Emanavit,* necnon eorumdem sodalium de Massana, veluti colligitur ex Constit. *Cum sicut* s. m. Leonis XII. diei 30. Ian. 1827. *(Bullar. Rom. contin. tom. 17. pag. 38.)*. Pro utrisque siquidem cautum fuit, ut Ordinario subiecti non censerentur in iis, quae Institutum et constitutiones respiciant. Itaque exinde concludebatur, Congregationem, quae causam obmoverat, circa istiusmodi capita nullatenus Episcopis esse obnoxiam, quandoquidem Pontificiae auctoritatis calculo eius statuta muniebantur.

171. At aliqua non pauca adhuc supererant, quae dubitandi ansam suppeditabant; eaque, ut plurimum, auctor Analectorum ad quaestiones redigit de fide, celebratione Missarum, criminibus in iure canonico recensitis, aliisque id genus. Iamvero moderatores memoratae Congregationis omnimodam, et hisce in rebus ab Episcopis exemptionem propugnabant. Ita enim statuebant: Ex placito plurium Summorum Pontificum dictae Congregationi communicata fuerunt omnia privilegia, indulta et exemptiones, quae concessa iam fuerant clericis a Doctrina Christiana, Piis Operariis, Clericis excalceatis Passionis D. N. I. C., et quibusdam aliis clericis regularibus ac saecularibus, idque plenissime constabat ex documentis ad rem rite exhibitis. Iamvero iis, quos nominavimus, clericis sine ulla controversia ab Apostolica Sede impertitum fuerat ius exemptionis ab auctoritate Episcopi ac visitatione, ut planum erat ex constitutionibus, quarum loca pro opportunitate suis verbis afferebant, ac praesertim ex Rescripto diei 21.

Sept. 1771., quod obtinuit pro Sodalitate a se erecta S. Paulus a Cruce, et legitur in calce huius causae.

172. Perperam vero (instabant iidem moderatores) obiiceretur, privilegium exemptionis non censeri communicatum, quia laedit ius tertii, nempe Episcoporum, quorum iurisdictio per eam concessionem imminuitur. Id enim fortasse aliquid momenti obtineret, si communicatio illius privilegii neque de verbo ad verbum expresse concessa, neque verbis efficacissimis, atque, ut ita dicam, effrenatis concepta fuisset. Iamvero utrumque reapse in casu, de quo agitur, accidisse iidem moderatores ostendebant.

At contra eosdem faciebat in primis doctrina interpretum iuris canonici, ac praesertim Monacelli *Form. Leg. tit. 13. form. 4. Suppl. n. 32. et seq.*, necnon *Tit. 16. form. 2. Suppl. num. 11.*, qui tradit, in communicatione privilegiorum non censeri communicata ea, quae *iurisdictioni ordinariae Episcoporum sunt laesiva.*

Addebatur etiam, quod contraria doctrina ad absurda perduceret: nam si omnium plane privilegiorum concessio communicata diceretur, cum clerici saeculares participes facti fuerint privilegiorum, quae clericis regularibus tributa sunt, iam nullum amplius discrimen superesset inter utrosque contra ea, quae a S. Sede statuta fuisse superius demonstratum est.

173. Deinde cum Superior Institutorum votorum simplicium spiritualem iurisdictionem in suos subditos non obtineat, veluti fit de Praelatis regularibus circa Religiosos sibi obnoxios, ac potestatem tantummodo dominativam habeat, illud sequeretur, ut si quis ex illis sodalibus circa fidem, bonos mores, aliaque id genus deliquisset, poenas a iure canonico sancitas, utpote sunt censurae, effugeret: eas enim infligere nequiret Episcopus, quia delinquens ipsi non subest. Hoc unum reliquum esset, ut soli Pontifici delinquens iste subderetur.

Denique duo exempla adiiciebantur, unum videlicet petitum a presbyteris oblatis a B. M. V. Immaculata Massiliensibus, quos, licet privilegiis gaudeant, quae sodalibus dictae Congregationis donata sunt, attamen Summus Pontifex ab Episcopi auctoritate exemptos non esse die 14. Iulii 1863. declaraverat. Alterum praebebant oblati B. M. V. Pinerolienses, de quibus S. Congregatio Episc. et Regul. die 26. April. 1839. censuerat, satius sibi videri, si visitationi Ordinariorum sese subiicerent.

174. Quocirca die 16. Sept. 1864. *in Congr. presbyterorum N. N. Super. priv.* propositis dubiis:

1. *An et quomodo declarandum sit, Congregationem presbyterorum N. N. gaudere qualitate vere regulari, aut saltem id ex gratiæ concedendum illi sit in casu?*

2. *An et quae exemptio ab episcopali iurisdictione eidem competat in casu?*

Emi Patres rescripserunt:

*Ad 1. Quoad primam partem, non esse vere Regulares; quoad secundam, non expedire.*

Quoad 2. *Attento speciali privilegio praedictae Congregationi a S. Sede concesso, affirmative iuxta formam et modum Rescripti diei 21. Septembris 1771. editi favore Cleric. Excal. SS. Crucis, et Passionis Domini Nostri Iesu Christi,* quod huius, qui sequitur, tenoris erat:

« Die 21. Septembr. 1771. SS. D. N. audita relatione infra-
» scripti Secretarii in uberiorem elucidationem constitutionum
» Clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.,
» primum a s. m. Bened. XIV. per suas Literas in forma Brevis
» sub datum diei 18. Aprilis 1746., postmodum clementissime
» quoque a Sanctitate Sua per suas Literas Apostolicas edita die
» 16. Novembr. anni 1769. approbatarum et confirmatarum, et
» praesertim §§. VI. et XV. mox dictae Constitutionis declaravit
» quoad eas dumtaxat domos, in quibus permanent duodecim ex
» dictis clericis de familia, et in quibus regularis retinetur ob-
» servantia, tam ecclesias, quam domos, ac Regulares ipsos de-
» gentes exemptos et immunes esse a iurisdictione, visitatione et
» correctione quorumcumque Episcoporum atque Ordinariorum,
» in quorum respectivis civitatibus ac dioecesibus dictae domus
» reperiuntur, gaudeantque iisdem privilegiis et exemptionibus,
» quibus ex Apostolicae Sedis beneficentia aliae Congregationes
» Regularium donatae sunt, exceptis tum iis, quae ad curam
» animarum et Sacramentorum administrationem pertinent, tum
» casibus, in quibus Episcopis atque Ordinariis iure delegato com-
» petit iurisdictio ad formam sacrorum canonum, Concilii Triden-
» tini et Constitutionum Apostolicarum; atque ita Sanctitas Sua
» in perpetuum servari atque exsequi mandavit. – F. M. Card.
» De Rubeis, Praefectus. – I. N. Archiep. Petren., Secretarius. »

# CAPUT QUINTUM.

## De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

« I. An moniales, Episcopo subiectae, suas servent constitu-» tiones. »

Summarium. 1. Regula distinguitur a constitutionibus. – 2. Quae distinctio non admittitur in monasteriis votorum simplicium. – 3. Quatuor sunt principales regulae a S. Sede approbatae, nempe S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci. – 4. Quibus aliae etiam postea accesserunt. – 5. Non licet novam ullam invehere Religionem, nisi una ex dictis regulis approbatis accipiatur. Pro huiusmodi regulis accipiendis necessaria non est Apostolica venia: cum tamen accepta fuerit, non potest ad libitum immutari. – 6. Huiusmodi regulas modificari nemini licet praeterquam Summo Pontifici. – 7. Constitutiones nihil aliud sunt, quam peculiares leges, quibus iuxta regulam acceptam finis Religionis facilius obtineri potest. - 8. Necesse non est, ut constitutiones a S. Sede confirmationem accipiant. – 9. Quando vero confirmatio petitur, res hodie ad S. C. Episc. et Regul. remittitur. – 10. Confirmatio Apostolica alia est in *forma communi*, alia in *forma specifica*. Quae sit utriusque vis. – 11. Indiscriminatim agendum sumitur de constitutionibus respicientibus tum monasteria votorum simplicium, tum votorum solemnium. – 12. Penes S. C. Episc. et Regul. paulo ante in plenario auditorio constitutionum examinatio peragebatur. Confirmatio, quae hodie conceditur, participare videtur de utraque specie confirmationis in *forma communi* et in *forma specifica*. – 13. Antequam S. Congr. decretum confirmationis impertiatur, exigere solet, ut constitutiones decretum approbationis ab Ordinario reportaverint, et consensus accedat monialium capitulariter exquisitus. – 14. Qua speciatim ratione animadversiones et correctiones peragantur et expendantur; remissive. – 15. Constitutiones correctae experimento per aliquod tempus subiiciuntur. – 16. S. Congr. conditionem ponit, ne constitutiones ab eadem approbatae immutentur. – 17. De directorio et caeremoniali constitutionibus quandoque adnexis. Utrumque Ordinarii potestati subiicitur, exceptis iis, quae in rubricis generalibus statuta sunt. – 18. Instituti approbatio approbationem constitutionum praecedere ordinarie debet. – 19. Prohibitio, ne constitutiones extraneis ostendantur, non improbatur; – 20. Quae tamen ad Ordinarium non extenditur. – 21. Non solet approbari constitutionum prooemium. – 22. Non attenditur approbatio potestatis civilis. – 23. Non expedit, ut sorores educationem suscipiant puerorum masculorum, ne-

que in seminaria et collegia introducantur. – 24. An, et quo genere obligationis teneantur moniales servare regulam, seu constitutiones et statuta sui Ordinis. – 25. An mortaliter peccet monialis, quae passim ex consuetudine easdem violat. – 26. An, quando regula consuetudine relaxata est, teneantur moniales in suo pristino rigore eam servare. – 27. An saltem si regula reformetur, et ad pristinum statum restituatur, debeant illam sic reformatam servare. In novis constitutionibus invehendis S. Congr. non solum maioris monialium partis consensum requisivit, sed et dissentientes ad eas excipiendas per suasiones aliosque prudentiores quoslibet modos induci voluit S. Congr. in *Faventina.*

1. Hoc quintum caput, quod ad moniales attinet, initium sumit a constitutionibus, quae observandae monialibus impositae sunt. Qua in re, ne rerum confusio suboriatur, aliqua discernenda et explicanda sunt. Constitutiones, quibus aliqua Religio, vel religiosa domus regitur, distinguendae sunt a regula, sub qua Religio ipsa et eius asseclae militant, quemadmodum patebit ex iis, quae modo afferenda sunt.

2. Haec tamen distinctio non admittitur in constitutionibus, quae hodie pro Institutis vota simplicia emittentibus approbari solent: nam ibidem non agitur de primaevis regulis a S. Sede approbatis, quas modo referemus. Vide opusculum *Methodus, quae a S. C. Episc. et Regul. servatur, ab Archiep. Philippen. expos. in usum Secretariae,* in Animad. Sor. a S. Iosepho Camberien. 9. Iunii 1860. art. 2. pag. 16., et in Animad. ad constit. Congreg. presb. Rhedonen. 2. Mart. 1861. §. 6. pag. 25.

3. Quatuor potissimum regulae sunt, quae maximum nomen, celebritatemque sibi conciliarunt, prima videlicet, quae a S. Basilio, secunda quae a S. Augustino, tertia quae a S. Benedicto, quarta quae a S. Francisco originem et nomen ducit. De quatuor hisce regulis singulatim loquitur Ferraris verbo *Religio* quatuor diversis articulis, nempe *Art. 2. 3. 4. et 5.,* ubi nominatim Religiones recenset, quae sub unaquaque monasticam agunt militiam. Alio subinde articulo, sexto videlicet, regulas alias affert, quae a quatuor memoratis distinctae sunt, itidemque Religiones enumerat, quae harum regularum vexilla sequuntur.

4. Tam quatuor illae principales, quam ceterae, quas innuimus, ab Apostolica Sede sanctionem obtinuerunt, adeoque omnes inter regulas ab eadem S. Sede approbatas habendae sunt. Ex iure sacrorum canonum, ac nominatim ex *Cap. 9.* De nimia §. *de*

*rel. dom.* et *Cap.* Religionum diversitatem *eod. tit. in 6.* ad omnem in Ecclesia Dei confusionem eliminandam firmiter prohibitum est, *ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Unaque vetitum est, ne religiosam domum quisquam de novo fundet, nisi *regulam et institutionem accipiat de approbatis.*

5. Quae quidem regulae cum a Sancta Sede approbationis suae calculo munitae iam fuerint, necesse non est, ut quis (postquam nimirum ea, quae iure canonico praescripta sunt, plane praestiterit) ad eam amplectendam specialem ab eadem Apostolica Sede veniam consequatur, firma ceteroquin obligatione ad eam recurrendi circa alia capita, prout et quatenus de iure, ex. gr. circa facultatem emittendi vota solemnia: veluti non immerito perpendebatur in consultatione causae *Ravennaten. Claus. et vot.* 6. Dec. 1839. penes S. C. Episc. et Regul. Id autem ita intelligendum esse quisque videt, ut regulam absque speciali Apostolica venia amplecti liberum sit tum, cum res adhuc integra fuerit, hoc est, cum quis nullam regulam elegerit receperitque; minime vero cum huiusmodi electio receptioque locum habuerit, et regula ad observantiam deduci coepta fuerit. Non licet autem, neque S. C. sinit, ut duae coniunctim, neque ex toto, neque ex parte promiscue simul recipiantur: cum enim id enixe deprecaretur Episcopus Catacensis, mens. Febr. 1843., S. C. respondit: *Non expedire.* Idem rescripsit in *Ferrarien. Erect. mon.* 10. Maii 1844.; praecepit enim simpliciter approbari monasterii erectionem sub regula dumtaxat S. Theresiae, omissa alia, quae petebatur, ad Institutum adorationis perpetuae sacri Cordis pertinente.

6. Quoniam inferiori nefas est leges a Superiore latas immutare, hinc sequitur, quod nemo, praeter Summum Pontificem, regulis a S. Sede approbatis nec quidquam addendi, neque detrahendi, neque alia quacumque ratione variationem afferendi potestatem habet. Cum itaque alicui Religioni vel Instituto unam ex regulis iisdem sequendam proponere contingat, plane cavendum est, ut eadem de verbo ad verbum, prout iacet, sine aliqua vel minima variatione referatur atque servetur. Id porro pluries S. C. Episc. et Regul. diserte mandavit, ac praesertim in *Milevitana Super appr. inst. et constit. Relig. S. Catharinae* 28. Martii 1851. ad primum dubium, in quo S. Congregationis inter ceteras res mens ea fuit, *ut statueretur in eo sacrarum virginum mona-*

*sterio regula S. Augustini, quin aliquid in suo originali alteraretur.* Idem S. Congr. Episc. et Regul. animadvertebat in *Albien. Sor. ar. Praesent.* Vide opusculum supra citatum, cui titulus *Method. etc. pag. 19. art. 1.*

7. Unaquaeque ex hisce regulis veluti communis est fons, unde quaelibet Religio suas leges, tamquam consectaria, deducit, quibus eiusdem Religionis membra suam vitam uno sub peculiari regimine moderentur, ac finem, ad quem intendunt, assequantur. In huiusmodi legibus sitae sunt constitutiones eae, quas a regula distingui diximus. Sic ex. gr. S. Augustini regulam moniales tum Dominicanae, tum Salesianae, tum Augustinianae sequuntur et observant. Singulae tamen speciales suas habent constitutiones, quae difformi ratione, diversa quasi via, ad observantiam eiusdem regulae, eiusdemque finis assecutionem deducunt et amice conspirant.

8. Ad constitutiones, quod attinet, necesse non est, ut ab Apostolica Sede comprobentur; sufficit enim, ut easdem Episcopus ordinaria sua auctoritate communiverit. Saepissime tamen preces a monialibus sanctae Sedi deferuntur, ut peculiares religiosae suae domus constitutiones Apostolica sanctione confirmet. Qua in re olim Summus Pontifex non semel usus est opera S. Cong. Conc., quae ipsas suo examini subiiceret emendaretque: aliquando etiam istud ipsum negotium alicui ex S. R. E. Cardinalibus pertractandum absolvendumque commisit, quod pluribus exemplis fulcire possemus.

9. At vero hisce temporibus haec provincia pro suo iure S. C. Episc. et Regul. ordinarie relinquitur: ad eam igitur suas preces dirigunt omnes, qui Apostolicae approbationis veniam implorant. Quin imo ipsa S. C. Conc. in suis ad Episcopos de dioeceseon statu responsionibus, si quando super hac re aliquid rescribendum occurrat, suggerit Episcopis, ut ad memoratam S. Cong. pro competenti eius auctoritate sese vertant.

10. Iuxta sacrorum canonum iura duplici sub ratione Apostolica approbatio emitti solet, videlicet vel in *forma communi*, vel in *forma specifica*. « In forma specifica (verbis utar Bened. XIV. » *de Syn. dioec. l. XIII. c. 5. n. 11.*) fieri dicitur, cui praemittitur causae cognitio et singula statuta diligenter expen» duntur, ac deinde, nulla adiecta conditione, auctoritate Apo» stolica cum clausula *motu-proprio et ex certa scientia* confir-

» mantur. In forma communi confirmari dicuntur statuta, quae » non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice » *motu-proprio et ex certa scientia,* atque Apostolicae auctoritatis » robur illis non adiicitur absolute, sed solum conditionate, vi- » delicet, *si iuste, canonice, aut provide facta sint; et dummodo* » *sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis, et Constitutionibus* » *Apostolicis non adversentur:* quam postremam conditionem omni- » bus statutorum confirmationibus in *forma communi,* hodie » exprimi atque apponi solere, idem Fagnanus (in *Cap. Siquis*) » *num. 18. de Confir. utili vel inut.* testatur. Iamvero, pergit » Fagnanus, statuto confirmato *in forma specifica,* cum naturam » induerit legis Pontificiae, nulli inferiorum fas est derogare: » statutum vero confirmatum *in forma communi,* integrum est » statuentibus delere, atque ab illius obligatione aliquem ex iusta » causa subtrahere; etenim talis confirmatio nihil novi iuris, aut » efficacitatis illis tribuit, qua antea carerent. De praedicta du- » plici confirmationis specie, atque utriusque effectibus fuse agunt » Suarez *Lib. 8. de Leg. cap. 18. per tot.,* Garcias, de bene- » ficiis part. 7. cap. 2. n. 231., Barbosa ad cap. 1. et 4. de » confirmat. utili vel inutili, Pirhing eodem titulo n. 3. et sequ. » atque ibidem Engel n. 5., Reiffenstuel n. 4. »

11. Circa approbationem constitutionum monemus in primis, indiscriminatim hic poni constitutiones tam monialium, quae vota solemnia, quam quae simplicia profitentur. Si quid enim inter utrasque discriminis est, hoc potius intrinsecam constitutionum ipsarum substantiam, quam methodum eas approbandi respicit: sic ex. gr. pro monialibus solemniter professis ad normam iuris determinanda sunt, quae clausuram tangunt; nam sine clausurae lege harumce sanctimonialium monasteria aperiri nullatenus permittitur. Item proprietatis abdicatio absoluta et perfecta sit oportet tam circa usumfructum, quam circa dominium radicale. Contra in simpliciter professis clausurae lex non Pontifici, sed Episcopo subditur, et abdicatio dominium radicale non complectitur.

12. Monemus deinde, usque ad annum 1854. negotia de constitutionibus approbandis in plenario auditorio Emorum Patrum pertractari ac definiri consuevisse; post id vero temporis illud inductum esse, ut haec negotia directe ad Summum Pontificem referrentur iuxta ea, quae fusius dicemus *num. 286.* Mone-

mus denique, rationem hodie receptam de utraque specie approbationis *in forma communi* et *in forma specifica* participare videri. Constitutiones enim per omnes articulos examinantur et corriguntur: at nihilominus ordinarie *clausula ex motu-proprio et certa scientia* non semper iisdem adiungitur. Hinc huiusmodi approbatio confirmatioque eam speciem praeseferre quodammodo videtur, quae propria est Conciliorum provincialium, quorum, ut vidimus, decreta actaque a S. C. Conc. solent expendi et recognosci: veluti ex his, quae modo evolvemus, luculentissime per se patebit. Dixi *ordinarie*, nam non deest aliquod exemplum, in quo approbatio conceditur cum clausula, ut nihil Concilii Tridentini decretis, Constitutionibus Pontificiis, aliisque Ecclesiae sanctionibus adversetur: quemadmodum accidit in *Brixien. Super app. const. sor. ancill. charitatis nuncup.*, in congregatione particulari habita die 22. Decemb. 1850.

13. In approbandis constitutionibus exigit S. C. Episc. et Regul., ut constitutiones, quarum approbatio petitur, decretum approbationis ab Episcopo retulerint; ac dein ut omnium monialium consensus capitulariter requisitus accedat tum pro constitutionibus ipsis acceptandis, tum pro precibus ad S. Sedem offerendis. Quae profecto cautio sapientissime ponitur, ut moniales libentes volentesque earumdem observantiam suscipiant. Cum itaque id apprime cognoscerent Eminentissimi Patres in *Monacen. Frisingae App. constit. institut. nunc. pauperes sorores N. D.* in congregatione particulari 11. Decem. 1853. praescriptis verbis hoc edixerunt; et SSmus resolutionem approbavit, ut constitutiones non ab Episcopo, sed ab ipsis sanctimonialibus conficerentur, seu conficiendae committerentur.

14. Si quis vero fortasse cupiat rationem cognoscere, quam tenet S. C. in expediendis negotiis constitutionum examen respicientibus, ne gravetur adire secundum articulum appendicis, quam huic capiti adiiciemus. Quamvis enim ibidem proprie de Institutorum simplicium votorum approbatione res sit, nihilominus, rebus parum immutatis, disciplina una eademque est.

15. Insuper S. C. illud exquirit, ut constitutionum utilitas experimento comprobetur. Neque enim raro contingit, ut quae mentis intuitu vel utilia vel facilia vel recta videntur, et damnosa et difficilia et incongrua usu experientiaque comperiantur. Quod si huiusmodi experimentum praecesserit, confestim ad actum

approbationis deveniri potest: si vero secus se res habeat, tum aliquod congruum praefigitur spatium, quo elapso, si res e sententia successerit, definitivum approbationis decretum editur. Sic in memorata *Milevitana* spatium trium annorum praefinitum fuit, quo emenso, facta fuit potestas, ut res iterum proponeretur.

16. Non raro S. C. conditionem in huiusmodi approbationibus ponit, ut Episcopus absque auctoritate Sedis Apostolicae nequeat constitutionibus quidquam vel addere vel demere; ita in *Auximana* 3. Dec. 1852. Quin imo hodie communiter prohibitio solet generatim adiici, ne constitutiones ulla ex parte absque Sedis Apostolicae placito immutentur, ut in *Anim. Sor. a Nazareth Catalaunen.* 27. Septembris 1861. *art. 19. pag. 29.*, item in *Animad. Annecien. Mission.* 23. Maii 1860. *art. 10. pag. 32.* in cit. opus. *Method. etc.*

17. Constitutionibus quandoque adnexum est directorium et caeremoniale. Dicitur directorium aggregatio precum et admonitionum piarum, quae eo spectant, ut regularis disciplinae custodia facilior evadat; caeremoniale autem ritus quosdam amplectitur, qui servari debent in sacris functionibus, quae in choro vel alibi locum habent. Utrumque habetur in constitutionibus monasterii S. Catharinae, de quibus sermo fit in *Milevitana*, cuius mentio superius facta est. Penes religiosos Carmelitas calceatos utriusque sexus constitutionibus adnexae sunt instructiones, ordinarium, et manuale, uti vocant, ceu testatur consultor S. Congregationis ex eadem familia in voto, quod in *Milevitana* exquisitum fuit. Itidem in constitutionibus, quae pro Salesianis conditae sunt, adest directorium a S. Francisco Salesio conflatum. Iamvero immutatio, itemque dispensatio ab iis, quae in directorio vel caeremoniali continentur, ab Ordinarii, cui subest monasterium, auctoritate omnino pendet, ea ratione, qua penes Carmelitas instructiones, de quibus modo dixi, ceteraeque eius generis res, capituli generalis, vel definitorii item generalis potestati subiiciuntur. Haec autem ita intelligenda sunt, ut nihil irrepserit praesertim in caeremoniali, quod contrarium sit Pontificali ac Rituali Romano, et decretis et declarationibus S. Cong. Rit. Cum itaque in allata *Milevitana* propositum fuisset secundum dubium: « An approbandum sit directorium et caeremoniale? » S. C. die dicta 28. Martii 1851. responsum dedit: « Ad Ordina- » rium, qui utatur facultatibus suis. » Idem resolutum fuerat in

*Bergomen. Super appr. const. fil. a Sac. Corde Iesu nunc.* 14. Maii 1841. *ad dub. 14.* §. *4.*

18. Ordinarie loquendo antequam constitutiones ab Apostolica Sede approbentur, necesse est, ut Instituti ipsius approbatio praecesserit: nihilominus aliquando factum est, ut S. Sedes constitutiones approbaverit, quin Instituti ipsius approbationem concesserit. Id enimvero testatur *Piton. Discept. ecc. 75. n. 5. et 6.* allato exemplo sacrarum virginum, quae *domicellae anglicanae* vocabantur, quarum constitutiones S. C. Conc. anno 1694. confirmaverat, addita clausula, citra approbationem conservatorii. Adest exemplum etiam in religiosis viris, qui *Trappistae* vocantur: eorum enim Institutum etsi ob eius austeritatem nunquam approbaverit Apostolica Sedes, nihilominus ipsorum constitutiones sua sanctione confirmare non detrectavit. Vide consultationem, cui titulus *An vota Trappensium solemnia sint, vel simplicia?* anni 1836. Consult. *Montispessulani* Super Reclam. *7. Febr. 1868.* Item Bizzarri *Collectanea pag. 798. in nota.*

19. Prohibitio, ne constitutiones alicui extraneo ostendantur, et palam fiant, ab Apostolica Sede minime reiicitur, et reapse ea viget tum penes Carmelitas excalceatos, tum penes Missionarios S. Vincentii a Paulo, tum penes Sorores charitatis, aliaque Instituta. Vide Consultationem in *Vivarien. et Annecien. Instituti a Praesentatione B. M. V.* de anno 1836. pag. 13.

20. Nihilominus auctor est Crispinus *Vis. past. part. II.* §. *42. num. 37.*, allata auctoritate Conc. I. Prov. Mediol., quod moniales Episcopo visitanti, vel aliis visitatoribus constitutiones suas exhibere teneantur rogenturque ab ipsis in sacra visitatione articulatim, an singula earumdem capita, an aliquod caput singulis diebus publice legatur; an aliquid fuerit invectum, quod iisdem adversetur; quinam defectus, et a quibus admittantur, ut corrigi queant.

Constitutionum publica lectio praecipitur a Clemente VIII. in Constit. *Nullus* §. *36.* antequam ad officiorum, graduum et praelaturarum electionem deveniatur, quae Constitutio legitur apud Ferrarium verbo *Regularis art. 1. sub n. 85.* Haec dispositio congruentissime sanctimonialibus etiam accomodatur.

21. In constitutionibus approbandis non solet approbari earumdem prooemium. Vide opusculum *Meth. etc. Annecien.* 23. Martii 1860. art. 1. pag. 31.

22. Nec attenditur approbatio civilis potestatis, quin imo de eadem, si forte intercesserit, in constitutionibus nec mentionem fieri permittitur. Vide opusculum cit. in *Anim. ad constit. soror. S. Vincentii paup. fam. Gandaven.* 30. Apr. 1860. art. 10. pag. 13., item *Anim. soror. S. Iosephi Bellicien.* 6. Iun. 1860. art. 1. pag. 14., item *Anim. soror. a S. Iosepho Camberin.* 9. Iun. 1860. art. 1. pag. 16.

23. Non creditur expedire, ut sorores educationem suscipiant puerorum masculini sexus. Vide opusculum cit. in *Animad. const. pauper. ancill. Limburgen.* 23. Mart. 1860. §. 3. pag. 11. Item S. Congreg. expungenda esse iussit, quae edicebantur de introducendis sororibus in seminaria et collegia, cum sit res periculi plena; *Anim. ad constitutiones Soror. a Sancto Iosepho Bellicen.* 6. Iun. 1860. articul. 15. pag. 15.

24. De Alexandris in aureo suo libello, qui inscribitur *Confess. monial.* Cap. 1. §. 2. (Venet. ex Typ. Balleon. 1751.) nonnullas agit solvitque controversias super monialium obligationibus ratione regulae, quas hic ipsis verbis exscribere superfluum non arbitramur. « Quaer. 1. An et quo genere obligationis teneantur » moniales servare regulam, seu constitutiones et statuta sui Or- » dinis? Respond. Teneri equidem, quia regula et constitutiones » participant rationem legis, cui se subiecerunt per promissionem » factam in professione. Qua autem obligatione teneantur, an » scilicet ad culpam, vel ad poenam tantum, vel ad utramque, ex » ipsis regulis metiendum est. Advertendum tamen, quod si regulae » seu constitutionum transgressio fiat ex contemptu formali, sem- » per est peccatum mortale, ut diximus supra de obligatione ten- » dendi ad perfectionem, quia est peccatum inobedientiae formalis; » et hoc verum est, etiamsi regulae non obligent ad ullum pec- » catum, vel ad veniale tantum, quia licet materia sit levis, » contemptus tamen est gravis et formalis. Ita Navarr., Cord., » Valent. et Barth. a S. Fausto in *Thes. Rel. lib. 6. q. 157.* Quod » si transgressio regulae ad nullam culpam obligantis oriatur » ex nimia cupiditate erga aliquid, et non ex alio malo fine, est » peccatum veniale: quia dato, quod a regula non esset prohibita » illa actio, esset tamen culpa ex libidine, id est ex nimia cupi- » ditate: ergo a fortiori venialis erit, dum a regula est prohibita. » Ita D. Thom. *2. 2. q. 186. art. 9. ad 1.*

25. » Q. 2. An monialis, quae passim ex consuetudine violat » regulam, quae non obligat ad culpam, peccet mortaliter ex

» contemptu ? Resp. Negative, quia contemptus inclusus in illa con-
» suetudine non est formalis sed interpretativus ; nam formalis
» contemptus in solo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde
» ob solam externi operis multiplicationem induci nequit. Bene
» verum est, quod consuetudo supradicta disponit ad contemptum
» formalem, sicuti peccata venialia saepe reiterata disponunt ad
» mortale. Ita D. Thom. *l. c. ad 3.* Quare monialis tenetur sub
» mortali eam consuetudinem tollere, quotiescumque advertit, per
» illam exponi periculo labendi in contemptum formalem, vel
» votorum transgressionem, vel etiam praebendi aliis occasionem
» transgressionis. Sicut, quamvis consuetudo iurandi non possit
» dici peccatum mortale, at negligentia illam exstirpandi, ani-
» madverso periuriorum periculo inde exsurgente, est lethale. San-
» chez, in Decal. *Lib. 6. c. 4. n. 21.*

26. » Q. 3. An, quando regula consuetudine laxata est, te-
» neantur moniales in suo pristino rigore eam servare? Resp. Quod
» si regula accipiatur, prout dicit tria substantialia Religionis
» vota, debet exacte in suo pristino rigore servari, quia tria
» vota obligant ex iure divino naturali, adversus quod nulla con-
» suetudo praevalere potest. Si vero regula accipiatur, quatenus
» praescribit alia tribus votis adiuncta, inter quae adnumerandus
» est modus paupertatis et obedientiae, potest consuetudine tolli,
» quia sicuti cum Superior dispensat in aliqua ex illis legibus,
» excusatur a culpa non observans, excusabuntur similiter mo-
» niales ex consuetudine non servantes aliqua ex praescriptis in
» regula, cum contra legem eadem sit vis consuetudinis et dis-
» pensationis. S. Thom. *4. Dist. 38. qu. 1. art. 3. q. 1. ad 5.*
» et ibi Caiet. Turrec. Palao, aliique plurimi relati a Sanchez
» *Lib. 6. cap. 2. n. 26.*

27. » Q. 4. An saltem, si regula reformetur et ad pristinum
» statum restituatur, teneantur illam sic reformatam servare?
» Resp. Si moniales tempore professionis limitatam habuerant
» intentionem non se amplius obligandi, quam ad illam regulam
» sic relaxatam, tunc non tenentur reformatam servare, quia
» actus non obligant ultra intentionem agentium. Ita multi apud
» Sanchez *l. c. num. 39.* Si vero absque illa expressa limita-
» tione professae sunt, tenentur regulam sic reformatam ample-
» cti, quia sponte sua in Religione profitentes, se ita regulae et
» vitae religiosae subiiciunt, ut paratae esse debeant, quantum

» ex se est, ad conservationem ipsius procurandam: quare si » bonus Religionis status collapsus sit, tenentur moniales pati, ut » instauretur, et per consequens tenentur etiam regulam sic in- » stauratam observare, Sanchez *loc. cit.* aliique plurimi ibi relati. » Licet tamen Regulares regulam, quam professi sunt, teneantur » observare, et cogendi sint, nihilominus moniales, quae non ita » exacte eam observant, veluti in ieiuniis, in comedendo carnes, » gestando indusium lineum, recitandis horis matutinis certa » hora noctis, sunt tolerandae, ut in monialibus S. Benedicti; » et hoc esse iuxta mentem Greg. XIII., asserit Pignat. *tom. 8.* » *consult. 45. n. 25.* »

Cum in quodam monasterio Faventinae dioeceseos novarum constitutionum corpus redactum fuisset, et in capitulo monialium eaedem acceptatae fuissent a duabus ex tribus partibus vocalium, videlicet a 32. monialibus, aliis sexdecim adversum suffragium ferentibus, S. C. Episc. et Regul. suam approbationem iisdem constitutionibus adiicere distulit, donec moniales adversae suasionibus et aliis quibuscumque prudentioribus modis ad sese cum sententia maioris partis conformandum inducerentur. *Faventina Super nov. regulis constit. et consensu.* Non. Feb. 1740.

« II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.»

Summarium. 28. Casus morales de clausura seponuntur, et sanctionum sacrarum iura unice explicantur. – 29. Affertur Bonifacii VIII. dispositio in *Cap.* Periculoso *de stat. Regul. in 6.* – 30. Item Conc. Trid. decretum eadem de re. – 31. 32. De Constit. S. Pii V. incip. *Circa Pastoralis.* – 33. De Constit. eiusdem Pontificis incipien. *Decori et honestati.* – 34. De Constit. Greg. XIII. incipien. *Deo sacris.* – 35. De Constit. eiusdem Pontificis incipien. *Dubiis.* – 36. De Constit. Pauli V. incipien. *Facultatem* et alia incipien. *Monialium.* – 37. De Constit. Alex. VII. incipien. *Felici.* – 38. De Constit. Bened. XIII. incipien. *Cum sacrarum.* – 39. De Constit. eiusdem Pontificis incipien. *Salutare.* – 40. De Constit. eiusdem incipien. *Per binas.* – 41. De literis encyclicis Pii VII. post Gallicae perturbationis exitia. – 42. Clausurae Pontificiae lex inseparabilis est a professione votorum solemnium: idque confirmatur ex resolutione causae *Americanae.* Hic agitur de monialibus Episcopo subiectis tantummodo. – 43. Quid sit clausura, et quae sub clausura comprehendantur. – 44. Si duo monasteria contigua sunt, et monialis deserens monasterium suum intret monasterium contiguum, duplicem

excommunicationem incurrit. – 45. Clausura ita circumsepta esse debet, ut nec monasterium ulla ex parte introspiciatur; neque ex monasterio extra clausuram prospectus pateat; adeoque fenestrae aliaque foramina claudi debent. De causa *Bononien. Prospectus.* – 46. In monasterium prospectus esse non potest, nec ex fenestris turris campanariae; monialibus prohibetur usus telescopii, seu conspicilli. Aedificia supra clausurae moenia construi nequeunt, et constructa debent destrui. – 47. Iuxta Pontificum Constitutiones ad solum Episcopum pertinet facultatem impertiri clausurae ingrediendae in casibus a iure praescriptis. Sufficit, ut Episcopus sit electus, licet nondum consecratus. Idem ius competit Capitulo, Sede vacante, minime vero Vicario Generali vel foraneo, nisi speciali mandato sint instructi. – 48. Huiusmodi licentia debet esse in scriptis, et modo speciali. – 49. Ut licentia sit valida, requiritur causa necessitatis. Quae in specie necessitas requiratur, non est determinatum, sed relinquitur prudentiae et conscientiae concedentium. – 50. Necessitas huiusmodi debet esse ex parte monasterii, non ex parte externorum. Itaque recensentur aliqui casus, quibus ingressus externis denegatur et aliquoties conceditur. – 51. Episcopi possunt ingredi monasteria sacrae visitationis aut alterius necessitatis gratia. – 52. Nequeunt vero ingredi, ut particulares moniales examinent, et Abbatissam eligant, nisi aliter suadeat necessitas. – 53. Nequeunt etiam ingredi, ut novitias ad vestitionem vel professionem admittant. – 54. Quot vero introducere viros queant, non est definitum. – 55. Praeter Episcopos nec Cardinales, nec Legati a latere, nec Nuntii, aliique possunt se in monasteria intromittere. – 56. Circa ingressum medicorum, aliorumque extraneorum pro monasterii servitio habenda est prae oculis epistola S. Congr., quae affertur. – 57. Attamen huiusmodi personis alias S. Congr. edixit, licentiam ingrediendi dandam esse ad tempus, non in perpetuum, vel donec non revocetur. – 58. Eaedem personae non sint in monasterio post occasum, vel ante ortum solis, excepto medico et confessario. – 59. Eaedem non possunt licentiam suam cum aliis communicare. – 60. De iuramento ab hisce personis edendo. – 61. Licentia ipsis concedi nequit nisi in iis rebus, quas conversae agere nequeunt. – 62. In monasteriis remotis Episcopus personam ecclesiasticam necessaria auctoritate instruat ad eas licentias concedendas. – 63. Hae licentiae non conceduntur, nisi moniales capitulariter per secreta suffragia auditae fuerint. – 64. Medicus non debet esse minor annis 50. – 65. Medici et chirurgi habeant licentiam generalem in casu necessitatis ingrediendi etiam de nocte: edictum aliter praecipiens improbatur. – 66. Medicus extraordinarius non permittitur nisi in casu necessitatis. – 67. Medicum particularem obtinere non datur monialibus. – 68. Procurator ac syndicus non debent habere licentiam ingrediendi. – 69. Neque etiam causa comi-

tandi sacerdotem ingredientem ad Sacramenta ministranda, vel Superiores causa necessitatis illuc intrantes. – 70. Ubi factor habitare, et quem ad finem ingredi monasterium possit. – 71. Licentia generalis danda est vecturalibus et mulionibus; non tamen ad inferendas et offerendas olivas. – 72. Licentia dari potest notario ac testibus pro testamento condendo a muliere non moniali in monasterio forsitan decumbenti. – 73. Infantes utriusque sexus nequeunt in monasterium introduci. – 74. Tolerandum non est, ut puellae licet parvulae intrent et exeant, ut legere vel acu pingere ediscant. – 75. De ingressu confessariorum sanctimonialium. – 76. Confessarii monasterium ingredi nequeunt ad sepeliendas moniales, vel exsequias celebrandas; secus excommunicationem incurrunt. – 77. Quomodo se gerere debeat confessarius monasterium ingrediens ad Sacramenta administranda. – 78. Quando monialis aegrotans laborat in extremis, confessario permittitur in sua mansione pernoctare, ut praesto esse possit. – 79. Quando confessarius excipit confessiones monialis infirmae, quae cautiones adhibendae. – 80. 81. Confessariis etiam de nocte monasterium ingredi permittitur; sed non ex praetextu comitandi operarios. – 82. Nequeunt ingredi sabbato sancto ad cellas benedicendas. – 83. Neque ad exorcizandas energumenas. – 84. Neque ad Missam celelebrandam. – 85. Potior sententia est, ut ingredi possint ad SS̃am Eucharistiam conferendam. – 86. Speciali licentia confessarius opus non habet ad explenda munera sui officii, et hoc in casu quae servari debeant. – 87. Confessario non licet potionem vel refectionem intra claustra sumere, nisi in casu morae longioris. – 88. Imperatores et imperatrices, reges et reginas, earumque filios sine excommunicationis poena intrare monasteria communior est doctorum sententia. Idem non est de principibus ac principissis. – 89. Fundatores ac fundatrices absque venia S. Sedis monasteria ingredi nequeunt. – 90. Monialibus famularum servitio indigentibus, quando conversae supplere nequeunt, licet famulas assumere, servata Constitutione Bened. XIV., quae incipit *Per binas*. – 91. Idem dicendum est de puellis educationis causa in monasterio degentibus. – 92. De materia educandas respiciente fuse agit Ferraris. – 93. In praesentibus civilis societatis conditionibus aliquando permittit S. C. scholas externas habere. Rescriptum in *Placentina* concessum refertur. – 94. Vetitum est, ne quis ad moniales accessum vel collocutionem habeat absque legitima causa. – 95. Adeoque licet Episcopo contra clericos et contra laicos hac de re poenas constituere. – 96. Quibusnam consanguineis absque Episcopi licentia liceat ad moniales accedere, et quibus diebus. – 97. Hac in re prae oculis habenda est Constit. Bened. XIV. incip. *Gravissimo*. – 98. Accessio et collocutio cum monialibus speciatim interdicta est Regularibus, qui, si contra fecerint, peccant mortaliter et poenas incurrunt. – 99. Nulla,

quantumvis honesta et rationabilis causa eximit Regulares accedentes et colloquentes a peccato gravi et poenis eam in rem irrogatis. – 100. Qui plura desiderat, adeat Ferrarium. – 101. Incendium, lepra et epidemia causam praebent Episcopo concedendi ingressum in monasteria. Quibus accedunt imminens bellum, fluminis inundatio, aedificiorum ruina. – 102. Quid circa lepram ac pestilentiam observandum sit iuxta doctrinam Bened. XIV. – 103. Bened. XIV. casum etiam expendit particularis monialis ob morbum egredientis. Affertur Rescripti formula pro facultate exeundi causa balneorum. Affertur et altera pro aere immutando et morbo quolibet curando. – 104. Sine Apostolica venia permissa non est egressio ab uno ad aliud monasterium causa novi monasterii erigendi, vel Abbatissae munus exercendi. – 105. Bened. XIV. doctrina est, monialem ob morum pravitatem transferri non posse, nisi propter evidens periculum scandali ac perversionis aliarum. – 106. Quomodo intelligenda sit dispositio Constit. S. Pii V. circa potestatem exeundi pro conversis ad eleemosynas quaeritandas. – 107. Potestatem eamdem ad tempus futurum non extensam intellexit ac firmiter retinuit S. C. in suis declarationibus. – 108. Affertur facti species novissimae causae *Ianuen. Clausurae.* – 109. In eadem S. C. censuit, non esse permittendum, ut commissae ac forenses, necnon actuales conversae in clausura immorari, et inde exire ad quaerendas eleemosynas ac eo regredi possent. Item consulendum SSmo ad cautelam pro dispensatione conversarum iam professarum remanendi in loco externo, et quoad probandas in futurum pro dispensatione immorandi in clausura, minime vero quoad conversas iam professas cum casus infirmitatis vel senectutis advenerit. – 110. Quas poenas, violando clausuram, incurrant Praelati saeculares, et Praelati regulares. – 111. Quas aliae personae extraneae. – 112. Quas moniales introducentes, vel ingredi permittentes. – 113. Quas moniales e clausura exeuntes. – 114. A censuris occulte incursis possunt absolvere Episcopi. – 115. De poenis constitutis contra eos, qui illegitime ad moniales accedunt, et cum iis colloquuntur, alias actum est. – 116. De duabus causis *Mutinen.* et *Patavina.* – 117. Prima vice una ex iisdem proposita a S. Congr. resoluta est iuxta mentem. – 118. Affertur dispositio Constitutionum. – 119. Iterum proposita, quia limitationes iuxta mentem S. Congr. adiectae monialibus minime arriserunt; – 120. Itaque Episcopus plura postulatorum capita S. Congr. renovavit, quae recensentur. Iura, quae ad singula dubia pertinere possunt, afferuntur. – 121. S. C. resolvit, concedendam esse licentiam ingrediendi pro educandarum genitoribus, vel genitorum locum tenentibus, eveniente casu gravis infirmitatis; minime vero pro sacerdotibus aliisque occasione recitationum scenicarum, aliarumque functionum; concedendam esse pro puellis in scholas externas pro uno anno, etiamsi scholam

frequentare desiverint; item pro genitoribus locumque genitorum tenentibus semel saltem decurrente educationis tempore; item pro duabus foeminis scholae externae addictis, arbitrio Episcopi cum limitationibus ibidem determinatis; item pro fundatore bis vel ter in anno arbitrio Episcopi. Haec indulta s. m. Greg. XVI. ad quinquennium coercuit. – 122. Facti species causae *Patavinae,* quae alteri iam expositae adsimilis est.

28. Si in toto hoc nostro opere conscribendo eam rationem secuti sumus, ut parce admodum privatis doctorum opinionibus uteremur, praescriptiones sacrorum canonum, Conc. Trid., Summorum Pontificum, et S. Cong. declarationes in medium proferre ante omnia satagentes, eamdem rationem eo magis retinere nos oportet in enucleando hoc argumento de clausurae lege, cui sanctimoniales alligantur. Moralis theologiae tractatores multas et varias quaestiones (quae vulgo *casus* vocitantur) in hac materia confingunt, easque, disceptatis in utramque partem rationum momentis, resolvunt. Ad easdem, sicubi opus erit, lectorem nostrum remittentes unice studebimus sacrarum sanctionum iura, praesertim a Pontificibus edita, et a S. Congr. declarata, diligenter exponere.

29. A celebrioribus Pontificum Constitutionibus referendis initium facimus.

Sacris virginibus clausurae custodiam ex mero consilio, tametsi impensissime antiquis temporibus commendatam fuisse, communiter doctores tradunt. Bonifacius VIII. primus praecepti legisque vim clausurae adiecit in celebrata sua Constitutione *Periculoso* (*cap. 1. De Stat. reg. in 6.*); ibi enim Summus Pontifex sanctione sua « perpetuo irrefragabiliter valitura sancivit, » universas et singulas moniales praesentes atque futuras, cuiuscumque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi » partibus existentes sub perpetua in suis monasteriis debere » de cetero permanere clausura, ita quod nulli earum Religionem » tacite vel expresse professae, sit vel esse valeat quacumque » ratione vel causa (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum » aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque » gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestae vel » honestae personae (nisi rationabilis ac manifesta causa existat, » ac de illius, ad quem pertinet, speciali licentia) ingressus, vel

» accessus pateat ad easdem ». Quoniam vero, ut ibidem recte Pontifex ait, *parum esset condere iura, nisi essent, qui debitae executioni ea demandarent,* hinc non solum Ecclesiae Superioribus allatae sanctionis observantiam, monasteriis exemptis minime exceptis, pro impensiore exsecutione committit, quin et civilis auctoritatis opem in eumdem finem invocare non dubitat.

30. Bonifacii VIII. Constitutionem disertis verbis innovavit confirmavitque Tridentina Synodus *cap. 5. Sess. 25. de Regul.* « Nemini autem (ita ibidem) sanctimonialium liceat post profes- » sionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quocum- » que praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo ap- » probanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus. » Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat cuiuscum- » que generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine » Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub ex- » communicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tan- « tum Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus ne- » cessariis; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cuius- » cumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum » concedendi. »

31. Accessit Constitutio S. Pii V. diei 26. Maii 1566. incipien. *Circa Pastoralis,* qui et ipsam Bonif. VIII. et Conc. Trid. dispositionem confirmans declaravit, etiam conversas, aut quocumque alio nomine nuncupentur, sub clausurae lege comprehendi. Subdit insuper, moniales nullo praetextu se ab observanda clausura posse tueri neque consuetudine immemorabili, neque instituto, vel fundatione, adeoque si contumaciter huic legi sese subiicere detrectent, debere eas ab Episcopis omnibus iuris et facti remediis omnino ad eam servandam compelli. Quod pertinet ad tertiarias, vel ipsae solemnia vota nuncuparunt ac statim ad clausuram subeundam adigi debere statuit: vel vota solemnia non emiserunt, et tunc eas ad ipsa vota emittenda ab Episcopis induci ac persuaderi, et subinde clausurae legi subiici debere praescribit. Quod si a votorum solemnitate omnino abhorreant, tunc Summus Pontifex interdicit ac prohibet, ne imposterum ulla alia sacra virgo in ipsarum domum recipiatur, et si secus fortasse actum fuerit, ad vivendum in communitate inhabiles plane reddit, ac praeterea receptio irrita ac nulla decernitur. Hanc Constit. dabimus in volumine III. sub num. 49.

32. Quod si clausurae observatio eleemosynas quaerere, et corrogare praepediat, adeoque in rerum, quae vitae necessariae sunt, detrimentum redundet, eleemosynas per conversas quaeritari iubet, quas tamen solemni professioni, etiam de consensu Superiorum, illigari non posse iubet, aliter professio nulla erit ac irrita. Subinde iubet, ut in domibus contiguis extra tamen monasterium huiusmodi conversae degant, ex quibus cum licentia solum Episcopi ad eleemosynas quaeritandas exeant, nec monialium clausuram, nisi in casibus per suas constitutiones permissis, ingredi possint. Insuper Episcopis praescribit, ut videant, ne in monasterium admittant puellas ultra numerum, qui ex consuetis eleemosynis sustentari commode possit. Ultimo tandem loco omnibus Ordinariis harum sanctionum exsecutionem mandat et simul iniungit circa omnia monasteria etiam Apostolicae Sedi subiecta, potestatemque facit, quatenus opus sit, ut brachii saecularis auxilium a laica potestate invocare valeant.

33. Non multo post S. Pius V. aliam Constitutionem edidit die 1. Febr. 1569., quae incipit *Decori et honestati,* ubi Abbatissis, aliisque monasteriorum supremis Antistitis prohibuit, ne ulla omnino occasione vel praetextu sanctimonialibus facultatem exeundi facerent. Vetat enimvero « nisi ex causa magni incen- » dii, vel infirmitatis, leprae, aut epidemiae, quae tamen infir- » mitas praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura monaste- » riorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Or- » dinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Or- » dinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et » expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire » licere, sed nec in praedictis casibus extra illa nisi ad neces- » sarium tempus stare licere. » Insuper poenam statuit excommunicationis maioris ipso facto incurrendae, ac ipsi Summo Pontifici, praeterquam in mortis articulo, reservatae contra sanctimoniales egredientes, et egressus facultatem concedentes, necnon comitantes, ac receptum praebentes, additque privationem dignitatum, officiorum et administrationum et inhabilitatem ad easdem dignitates, officia et administrationes consequendas. Tandem abolet atque rescindit quascumque egressus concedendi facultates, eatenus datas cuicumque personae, sive ecclesiastica, sive civili dignitate praeeminenti; exsecutionem vero harum dispositionum, eadem, ut supra, ratione, mandat Ordinariis, licet monasteria sint

exempta, cum facultate brachii saecularis invocandi. Legitur haec Constit. in vol. III. sub num. 50.

34. Referri etiam debet Constitutio s. m. Gregorii XIII. diei 30. Dec. 1572. incip. *Deo sacris,* quae tametsi principaliter idcirco edita fuerit, ut modus inveniretur, quo Tertiariarum sub clausura viventium sustentationi succurreretur, nihilominus initio disertis et gravibus verbis innovantur sanctiones de clausurae lege sancitae in *Cap.* Periculoso *in 6. de Stat. Reg.,* tum in Conc. Trid. *Sess. 25. de Regul.,* tum in Constit. S. Pii V. incipien. *Circa pastoralis.* Eam lectori legere licet in vol. III. sub num. 51. Idem Pontifex aliam edidit Constitutionem Idib. Iun. 1575. incip. *Ubi gratiae,* in qua revocat quascumque licentias ingrediendi monasteria, et loca monialium et virorum cuiuscumque Ordinis, et prohibet, ne quis uti possit licentiis, quae ab Episcopis et aliis Superioribus concessae fuerint.

35. Subinde ille Pontifex alia Const. incipien. *Dubiis* 23. Decemb. 1581. declaravit, « Praelatos omnes tam saeculares, quam » regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium » quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa in- » grediendi monasteria praedicta ita demum uti posse, si id fa- » ciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus ac » religiosis personis comitati. » Huic sanctioni omnes Episcopos, atque adeo maiori dignitate, etiam cardinalatu conspicuos obnoxios esse voluit, violatores vero, si saeculares sint, prima vice ecclesiae ingressu interdixit, secunda vice a munere Pontificali et a divinis suspendit, deinceps excommunicatione ipso facto incurrenda perculit; si vero sint Regulares omni officio ac ministerio privavit, atque insuper excommunicationi subiacere decrevit.

36. Paulus V. Constitutionem edidit incip. *Facultatem* 1. Septembris 1608. contra mulieres ingrediendi monasteria monialium licentiis abutentes, necnon et aliam incip. *Monialium statui* 10. Iulii 1612., in qua revocavit licentias omnes ingrediendi monasteria monialium, aut cum iis conversandi, quae mulieribus eatenus concessae fuerant.

37. Ex Constit. Alex. VII. incip. *Felici* 10. Novemb. 1664. Praelati regulares non possunt ingredi clausuram monialium sibi subiectarum, nisi in certis casibus, et certis conditionibus; hac de Constitutione fusius agendi aptior recurret locus, cum de monasteriis exemptis peculiaris erit sermo.

38. Plures etiam de clausurae lege Constitutiones edidit Benedictus XIV. Prima est ea, quae incipit *Cum sacrarum* 1. Iunii 1741. pro monialibus professis Portugalliae et Algarbiorum, quibus iniungitur reditus ad claustra, et egressus in posterum prohibetur. Huic Constitutioni occasionem dederant abusus, qui ibidem obrepserant. Quocirca ad remedium huic malo afferendum Summus Pontifex praecepit illius regni Ordinariis, ut sanctiones canonicas ad observantiam rigidissime revocarent, poenisque manum apponerent, si opus foret, quae contra violatores constitutae sunt.

39. Altera incipit *Salutare* 11. Ian. 1742., in qua Pontifex relaxatam in aliquibus monasteriis clausurae disciplinam dolet, adeoque praedecessorum suorum Constitutiones innovat et confirmat: dein adimit et revocat facultates dispensandi quibuslibet eatenus concessas « exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque » omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, et ordina» ria iurisdictione utentibus, monialium monasteria subiecta et » addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis alias de » iure necessariis, et non aliter omnino ». Subinde usum facultatum, quas hic idem revocat, sub censuris interdicit, et irritum declarat. Reperitur haec Constit. per totum in volumine III. sub num. 52.

40. Tertia tandem, cuius initium *Per binas* dici 24. Ian. 1747., (quam dabimus in volumine III. sub num. 53.) abusus quosdam noviter invectos reprobat ac damnat, ideoque ad eos extirpandos declarat « admissionem receptionemque quarumcumque fe» minarum, sive puellarum educandarum, sive famularum in » monasteria, quacumque ex causa, sine legitima authenticaque » eiusdem Apostolicae Sedis licentia toties quoties opus fuerit » impetranda, et praevio examine super moribus, fama, habili» tate, et necessitate ipsarum educandarum puellarum, vel fa» mularum, per Antistites locorum Ordinarios tantummodo et non » alios quoscumque Superiores toties itidem quoties necessitas » postulaverit, habendo, non obstante quacumque consuetudine » etiam longi temporis, fieri non debere. » Quicumque in hanc legem peccaverit, poenis a iure canonico statutis subiici decernitur.

41. Neque silentio praeteriri debent literae encyclicae S. C. Episc. et Regul. die 30. Sept. 1815., iussu s. m. Pii VII. edi-

tae et ad omnes catholici orbis Antistites directae, in quibus (quando, post teterrimam gallicae perturbationis tempestatem, almae pacis serenitas resplenduit et Ecclesiae libere in orbe catholico suam potestatem exercere licuit) sanctiones omnes de clausurae lege in antecessum a Conciliis vel Pontificibus emanatas innovavit confirmavitque, atque Episcopis vehementissime commendavit, ut, sublatis abusibus et difficultatibus amotis, a sanctimonialibus saluberrimae huiusce legis praecepta adamussim observari providerent.

42. Clausurae Pontificiae lex monialibus solemnia vota persolventibus imposita ex praesenti Ecclesiae disciplina tantae necessitatis habetur, ut votorum solemnitas sine eadem stare nequeat; utque adeo unam cum altera pari passu procedere, Sac. Congreg. Concilii in literis super dioeceseon statu reddi solitis pro opportunitate non semel edixerit.

Super hoc argumento sedulo disputatum est in quadam recentissima causa, cui titulus *Americana Votorum* 1. Sept. 1864. (quam dabimus in volumine III. sub num. 54.), ubi a doctissimis duobus S. Congregationis Episc. et Regul. consultoribus inter se diversa opinantibus non sine multa utriusque doctrina in medium prolata sunt omnia, quae ad rectum iudicium ferendum conducere posse videbantur. At vero Congregatio particularis a SSmo D. N. eam in causam definiendam speciatim deputata illi sententiae adhaerere visa est, quae tenet, moniales a S. Sede vota solemnia emittere permissas clausuram Pontificiam servare teneri, nisi ab ea per Apostolicam Sedem speciali Rescripto solutae fuerint. Id enim disciplinae sacri Ordinis plane consentaneum est, quae illud fert, ut moniales ad votorum solemnium professionem admitti non adnuat, nisi addita conditione, ut in monasterio earumdem perfecta clausurae Pontificiae custodia servetur; ita in *Ravennaten.* 6. Decem. 1839., *Ianuen. Super app. mon.* 15. Ianuar. 1841., *Regien. Vot. et claus.* 13. Ianuarii 1843.; quin imo ex eo, quod in aliquo monasterio clausurae Pontificiae lex instituta non sit neque servetur, legitimum desumitur argumentum, quod vota, quae ibi emittuntur, minime solemnia sint, sed tantum simplicia. Quamvis autem vota solemnia absque Pontificia clausura stare nequeant, nihilominus clausura Pontificia stare potest cum votis simplicibus; et reapse S. C. Episc. et Regul. in *Rhegien.* 22. Febr. 1839., necnon in *Policastren. Clausurae*

6. Dec. eiusdem anni, tametsi a monialibus in utraque simplicia vota persolverentur, annuit precibus, quibus Pontificia clausura expetebatur. In prima enim rescripsit: *Firma remanente professione votorum simplicium, annuendum esse pro gratia impositionis clausurae papalis;* in altera edixit: *affirmative* (videlicet concedendam esse impositionem clausurae papalis) ut in *Regien., accedente consensu omnium monialium vocalium per vota secreta.*

In memorata causa *Americana votorum* eadem diligentia et accuratione duo consultores versati sunt circa aliud argumentum, an beneplacitum Apostolicum ita necessarium sit in erectione monasteriorum, ut, eo deficiente, in iisdem vota, quae emittuntur, solemnia dici nequeant, ac moniales ibidem professae Pontificiae clausurae lege obstrictae ex causa eiusdem defectus habendae non sint. Iamvero eadem Congregatio particularis ex disciplina, quam tenet S. C. Episc. et Regul., recedere se nolle satis superque demonstravit; declaravit enim, sacrarum virginum, de quibus agebatur, vota solemnia esse ea punctim de causa, quod ad eadem emittenda Pontificio Rescripto auctoratae fuerint. Quin imo id ipsum de omnibus aliis sacris virginibus dicendum solummodo esse subiecit, quae simili venia forsitan donatae fuissent.

Ex iuribus hactenus allatis, quisque videt, Episcopis traditam esse curam invigilandi super clausuram et in monasteriis sibi subiectis et in monasteriis exemptis. De his extremis paragrapho sexta huiusce capitis quinti verba faciemus; hic de monasteriis Episcopo subiectis dumtaxat agimus.

43. Clausura definitur ex Constit. *Deo sacris* Greg. XIII.: *locus ille, qui ianua clausurae continetur, ad quem saecularibus non patet accessus.* Itaque sub hac definitione continetur monasterium; cuius partes explicat Nicolaus III. *ad Cap.* Exiit §. *Denique in 6.* inquiens *et nomine monasterii volumus claustrum* (nempe, subdit de Amoeno *Op. 3. tit. 4. §. 8. de claus. viol. n. 17.* porticus aut ambulacrum) *domus* (puta cellas, item de Amoeno) *officinas interiores* (puta refectorium, coquinam, valetudinarium etc.) *intelligi.* Sed et hortum, viridarium, pratum, et silvam, si forte sit, intra septa comprehensa nemo dubitavit, tum quia haec est communis doctorum opinio, tum quia Summi Pontifices ac Tridentini Patres ingressum intra septa ve-

tuerunt, et S. C. (1) die 13. Sept. 1583. (apud Pign. *tom. 6. Cons. 85. n. 275. §. Cum.*) diserte hortos et prata clausuram constituere declaravit in virorum monasteriis, ideoque multo fortius in monialium asceteriis.

Monasterii tectum extra clausuram est, licet aliqui doctores negent; namque proposita huiusmodi controversia, affirmativam sententiam amplexa est S. Cong., quae mandavit absolvi cum poenitentiis salutaribus quasdam moniales, quae bona fide ascenderant supra tectum ad siccanda frumenta, et pastillos dulciarios (vulgo paste) ab ipsis elaboratos, sive ad festum inspectandum, cum speciali prohibitione ulterius illuc ascendendi propter quamcumque causam, ita in *Comen.* 18. Sept. 1609. et in *Lycien.* 16. Sept. eiusdem anni, quas declarationes passim allegant doctores, ac praesertim de Alexandris *Cap. 7. §. 1. q. 3.*

44. Si duo monasteria contigua sunt, et aliqua sanctimonialis a suo monasterio exiens ad aliud conterminum ingrediatur, non solum violatae clausurae rea est habenda, sed et dupliciter excommunicationem contrahit ea de causa, quod duos actus vetitos inter se plane distinctos perpetrat, nempe exitum a monasterio suo, et ingressum in alienum: in hanc enim sententiam S. Cong. rescripsit Archiepiscopo Panormitano 21. Aug. 1699., et 14. Septembris eiusdem anni apud de Alexandris *loc. cit. q. 4. in fin.*

45. Monialium clausura ita debet custodiri, ut sit circumsepta altis moeniis, ne a vicinis, quicumque sint, ex eorum domibus inspiciantur monasteria. Et ideo pro opportuno remedio potest Episcopus extollere murum viridarii Regularium, sumptibus eius, cui de iure, S. C. Conc. in *Urbinat.* 10. Mart. 1663., et claudere fenestras saltem vitreis speculis, si non respondeant in clausuram, ita ut non possint aperiri; similiter fenestrae omnes, et quaevis alia foramina Regularium respicientia in hortum, et clausuram monialium omnino claudenda sunt; S. Cong. Episc. et Regul. in *Amerina* 23. Decemb. 1603., ac *Neapolitana* 2. Dec. 1639., Ferraris verbo *Moniales art. 6. num. 44. et 45.;* nulloque modo debet esse prospectus in monasteria monialium, et

(1) Auctores hoc in articulo citati dum S. Congr. nominant, non indicant, an ea sit Episc. et Regul. aut Conc., sed primam esse intelligendam plura satis superque suadent.

e contra. Itaque die 21. Septemb. 1838. in *Bononien. Prospectus,* cum quidam novum opus molitus fuisset ante monasterium S. Christinae, ita ut ex domo, ubi novum opus erat, in interiora monasterii penetralia prospectus pateret, S. Congregatio, partibus de more auditis, rescripsit, tollendum esse prospectum in monasterium, et omnia in pristinum restitui. Idem confirmavit in *Civitatis Castell. Super toll. serv.* 18. Dec. 1857., et nihilominus studio pacis insuper S. Cong. addidit, ut *Episcopus in exsecutione curet concordiam.*

46. Itidem nullo modo in monasteria debet esse prospectus nequidem a fenestris turris campanariae alicuius ecclesiae vicinae, ut in *Portugallien.* 16. Apr. 1605., Nicol. *Flosc.* verbo *Prospectus n. 2.,* sed pleno muro fenestrae debent obstrui, ut in *Aquilana* 31. Iul. 1612. Nicol. *loc. cit.* et etiam illae, quae sunt in monasterio monialium, per quas videre possunt, et videri, ut in *Parmen.* 28. Nov. 1636., Nicol. *loc. cit.;* quin imo prohibetur monialibus sub gravibus poenis usus telescopii seu conspicilli longioris, ut in *Anconit.* 1. Octobris 1647., Nicol. *loc. cit. n. 3.,* nec alicui debet permitti aedificium attollere, si per illud habeatur prospectus in monasterium, ut in *Interamnen.* 15. Maii 1612. Nicol. *loc. cit.,* suntque demoliendae mansiones constructae in viculo intermedio, et claudendum est ambulacrum, quod a tecto monasterii imminet, eique praedominatur, ut in *Assisien.* 11. Iunii 1655. Nicol. *loc. cit. n. 2.,* non obstante qualibet appellatione vel recursu, ut in *Conversanen.* 8. Augusti 1653. Nicol. *loc. cit.*

47. Iuxta Constitutiones Pontificias soli Episcopo competit ius impertiendae facultatis, ut quis in monasterium ingredi valeat in casibus a iure constitutis: cumque agatur de actu iurisdictionali, sequitur primo, ut quamvis Episcopus consecratus nondum fuerit, et tantummodo sit electus et confirmatus, huiusmodi tamen veniam impertiri valeat; deinde quod Vicarius Capitularis, episcopali Sede vacante, eamdem potestatem obtineat (De Alexandris *Conf. Mon. cap. 7.* §. *2. q. 2.*). Aliter est de vicario foraneo, ut ex *Pistorien.* 3. Decem. 1602. apud Nicol. *Flosc.* verbo *Clausura n. 18.* Idem dicendum est de Vicario Generali, cui non sufficit generalis sui muneris facultas, sed requiritur, ut ab Episcopo speciale mandatum obtinuerit pro huiusmodi venia impertienda; ita enim a S. Cong. declaratum fuisse testis est

Suarez *De religione tit. 4. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 11.* penes de Alexandris *loc. cit.*

48. Hanc vero licentiam *in scriptis* dari debere, et *modo speciali,* eruitur ex verbis Conc. Trid., ubi habetur: *licentia in scriptis obtenta,* ex *Cap. Periculoso*, ubi additur: *nisi speciali licentia* et S. Congr. apud Pignat. *tom. 6. Cons. 85. num. 156.* Quousque minime revocetur, sufficit pro medicis aliisque operariis, ut mox explicabitur *n. 56.* et *57.*

49. Licentia ingrediendi in monasterium ut sit valida, oportet, ut adsit causa necessitatis: qui tamen sint in specie casus necessitatis, determinari nequit. Namque, veluti S. Congregatio Episc. et Regul. scribebat Episcopo Regien. apud Pignat. *loc. cit. n. 173.,* norma certa praeberi nequit ad casus determinandos, qui dici possunt necessarii, ut in monasteria ingredi liceat; quippe tempus et locus mutari solet, variatque casuum natura iuxta peculiares circumstantias. Itaque opus est, ut Praelatus pro sua prudentia dignoscat, et mature consideret ea, quae considerari occurrunt, ac subinde pro sua conscientia diiudicet, quid magis in Domino expedire visum fuerit. Ita nimirum aiebat S. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Regien.* apud Pignatellum *loc. cit.*

50. Illud tamen certum et indubitatum est, opus esse, ut necessitas intercedat ex parte monasterii, minime vero ex parte externorum in monasterium ingredi volentium. Gloss. *ad cit. Cap. Periculoso de Stat. Reg. in 6.* et S. C. in *Ravennaten.* 9. Sept. 1611. apud Pignat. *tom. 6. Cons. 85. num. 114.* Unde non licet Episcopis licentiam concedere vel permittere mulieribus, ut securitatis gratia recludantur apud monasteria monialium ex causa litium matrimonialium, vel adulteriorum, aut dissensionum inter viros et uxores. Imo ingredientes etiam ex tali causa, et cum eiusmodi permissione, vel licentia incidere in excommunicationem a Concilio statutam, tradit ex S. C. in *Salamantina* Diana *part. III. tract. 2. rel. 130.* apud Pignat. *loc. cit. n. 114.,* quam licentiam S. C. raro et cum difficultate concedit. Pro casibus tamen repentinis propriae ac verae necessitatis Ordinarii ac Legati solent in antecessum facultates impetrare pro certo numero casuum, ut nempe ingressum permittere queant, ceu in dicta *Ravennaten.* Pignat. *loc. cit.,* neque talis licentia concedi potest ad effectum collocandi in monasterio virginum aliquam mulierem,

ne revertatur ad vomitum, in *Mediolanen.* 18. Aug. 1588. Pignat. *loc. cit.*, neque ad discendam (1) aliquam artem, puta serici, vel texturae, nisi cum conversa perita non poterit reperiri, in *Mediolanen.* 11. Mart. 1586. ac alibi apud Pignat. *loc. cit. n. 115.* Neque regulariter causa conficiendi panem, *Ravennaten.* 15. Iulii et 19. Aug. 1603. Pignatel. *l. c.*, neque aquam inferendi gratia ingredientium et egredientium mulierum continua conversatio permittenda est, sed intus accommodentur cisternae in *Alatren.* 3. Maii 1603. Pignat. *l. c.*, multo minus causa videndi comoedias, vel repraesentationes recitatas a monialibus, neque de licentia Ordinarii, in *Anconitana* 4. Sept. 1627. Pignat. *loc. cit.* Qui plura desiderat, adeat Pignatellum *tom. 6. Cons. 85.*, ac *tom. 8. Cons. 47.*, ubi aliae multae declarationes congeruntur; item et Nicol. *Flosc.* verbo *Clausura.*

51. Possunt Episcopi visitationis causa ingredi monasterium, itemque altera quacumque necessitatis causa, ex. gr. inspiciendi officinas, cellas, aedificium construendum aut restaurandum: si enim hanc ipsi possunt facultatem facere, multo magis eadem uti possunt et ipsi; veluti omnes doctores fatentur, et quicumque per se videt.

52. At nequeunt illuc ingredi, ut moniales particulares examinent, vel ut Abbatissae electioni praesint; hos enim actus ex cratibus exsequi possunt, ut docet S. Congregatio in *Syracusana* 16. Octobris 1600., adeoque aliter agendo in poenas incidunt a iure constitutas, prout tradit de Alexandris *loc. cit.* §. *4. q. 2.*, qui cum Lantusca *Theat. Reg.* verbo *Clausura Mon. n. 1.* excipit casum, quo Praelati prudenter iudicent, non posse electionem peragi ipsis non ingredientibus ob inquietudinem monialium, et suspicionem, ne vota subornentur, vel ob alias iustas gravesque causas.

53. S. C. apud Barbosam *De Iur. eccl. lib. 1. cap. 44. n. 171.* et de Alexandris *loc. cit.* decrevit Superiores monialium non posse monasterium sibi subiectum intrare, ut novitiis habitum tradant, ut eas ad professionem admittant, ut Abbatissas consecrent, aut monialibus solemniter velum impertiant. Sanchez exinde deducit,

---

(1) De Alexandris hanc eamdem resolutionem affert; at loco verbi *discendam* legit *docendam*; etiam Nicolius eam resolutionem *Clausura* n. 24. referens legit *docendam*.

Episcopo nefas esse, monasterium ingredi ad Sacramentum Confirmationis (1) conferendum, nisi mortis periculum immineat.

54. Quot numero viros Episcopus secum pro comitatu ducere possit intra claustra, non est definitum. Greg. XIII. in sua Constit. *Dubiis* personas Episcopum *comitantes* generatim paucos esse debere praescribit : *a paucis iisque senioribus ac religiosis viris comitati.*

55. Praeter Episcopos neque Emos S. R. E. Cardinales, neque a latere Nuntios, aut Internuntios, aut aliqua quacumque dignitate ecclesiastica vel munere insignitos in monasterii claustra sese intromittere posse disertis verbis edixit Bened. XIV. Constit. *Salutare.*

56. Quod pertinet ad medicos, aliasque personas extraneas, quarum ingressus in monasteria monialium necessarius est ad peragenda sui muneris officia, prae oculis habenda est in primis epistola Episcopo Parmensi a S. Congr. perscripta die 20. Novemb. 1584., relata a Pignat. *loc. cit. n. 149.*, quam fideliter latine reddimus ita : « Hic in alma Urbe (ita S. C.) et in omni » alio loco, ubi recta monialium monasteriorum disciplina serva» tur, redigi solet personarum notula, quae monasterio necessariae » sunt, veluti pistores, fabri murarii et lignarii et ferrarii, baiuli » in certis casibus, praeter medicum, chirurgum, et barbitonso» rem (2), quibus semel pro semper licentia traditur, donec non » revocetur, ut nempe in monasterium ingredi possint ad exer» cenda munera suae professionis propria, adhibita cautione, ut » eligantur viri probati tam aetate quam bonis moribus : itaque » Amplitudo Tua sic sese gerere debet in monasteriis suae dioece» seos, prohibitione addita, ne aliae personae ingrediantur, prae» ter eas, quae necessariae sunt ; nam ita praescriptum et im» peratum est in multis locis. »

57. Sed in hac re non videtur certa ac constans adesse regula : nam S. Cong. alias edixit medicis, chirurgis, aliisque operariis dari debere licentias ad tempus, non in perpetuum ; *In-*

---

(1) Et quidem recte : nam « Chrisma ministrari potest ad fenestrellam Communionis ; unde propterea non datur licentia egressus et ingressus » : S. C. Episc. et Regul. in *Neapolitana* 6. Iun. 1601. Nicol. *Flosc.* verbo *Clausura* n. 49.

(2) Notari debet, barbitonsorum eo tempore munus fuisse, ut infirmis sanguinem minuerent, quod modo chirurgi praestare solent. Itaque retinendum est, ad hunc unice finem barbitonsores in monasteria ingredi permissos fuisse.

*teramn.* 9. Septembris 1586. apud Nicol. *loc. cit. n. 26.;* alias eadem S. C. huiusmodi licentias singulis trimestribus renovari debere edixit 27. Mart. 1588. et in *Placentina* 6. Iun. 1614. apud de Alexandris *loc. cit.* §. *5. q. 1.*

58. Efficiendum est, ut huiusmodi personae in monasterio non adsint neque ante solis ortum, neque post eius occasum, excepto medico et confessario in casibus gravissimae necessitatis, S. Cong. Episc. et Regul. in decretis generalibus sub Greg. XIII. latis, apud Pign. *loc. cit. n. 102.*

59. Huiusmodi personis vetitum est alias personas in sui locum delegare, dummodo ex iis non sint, quae iam ab Episcopo ingrediendi licentia instructae fuerint. Sac. Congreg. Episc. et Regul. *loc. cit. n. 107.*

60. Medici, aliique operarii iuramentum praestare debent coram Ordinario, vel eius Vicario, sese, nonnisi in casu necessitatis ingressuros esse in claustra monasterii, neque aliud opus, quam quod suum exposcit officium, ibidem suscepturos, et, prout decet probum et christianum virum, sui ministerii partibus esse functuros, S. Congr. apud Pign. *loc. cit. n. 109.:* et *n. 112.,* ubi legitur ipsa iuramenti formula, mutatis mutandis, a qualibet ex dictis personis elicienda.

61. Hinc licentia tam manuscripta, quam typis impressa pro ingressu debet concedi ministris et servientibus necessariis, pro illis solis servitiis, quibus non possunt supplere conversae, et quo brevius ac parcius fieri poterit cum renovatione trimestri; *Placentina 6. Iun. 1614.* apud Nicol. *loc. cit. n. 14.*

62. In monasteriis e civitate remotis debet Ordinarius personam ecclesiasticam delegare ad concedendas huiusmodi licentias: quas ipse tamen in principio anni recognoscet. S. Congr. *Papien.* 5. Februarii 1607. Nicol. *loc. cit. n. 19.*

63. Licentiae ingrediendi in monasteria monialium non debent admitti, nisi ipsae moniales capitulariter secretisque suffragiis consentiant; *Mediolanen.* 20. Septem. 1604. Sufficit tamen maioris partis consensio ex *Cap. 1.* De his, quae fiunt. Ferraris verbo *Moniales art. 3. n. 56.* et Urbanus VIII. Constit. *Sacrosanctum.*

64. Medicus monialium non debet esse minor quinquaginta annis, ubi medicorum penuria non adest. S. Congr. Episc. et Regul. in *Ferrarien.* 7. Martii 1617. et *Ianuen.* 14. Iun. 1625. apud Ferraris verbo *Medicus num. 12.*

65. Medici et chirurgi ordinarii habeant necesse est licentiam generalem ingrediendi clausuram etiam de nocte in casu urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis, S. C. Episc. et Regul. in *Ferrarien.* 2. Iul. 1599. et 13. Iul. 1605. Ferrar. *loc. cit. n. 13.* Itaque reprobatur Episcopi edictum prohibens, ne confessarius, medicus, vel barbitonsores ordinarii, possint ingredi de nocte pro quolibet casu absque licentia speciali. *Ferrarien.* 10. Feb. 1593. Nicol. *loc. cit. n. 35.* Associandi tamen sunt, et continua assistentia prosequendi non solum cum ad infirmam se conferunt, sed etiam quamdiu cum eadem morantur. Sac. Congreg. Episc. et Regul. in *Parmen.* 26. Martii 1601. Ferrar. *loc. cit. num. 14.*

66. Medico extraordinario uti permitti non debet monialibus, nisi in gravi necessitate; eadem S. C. *Bononien.* 8. Iul. 1588., *Ferrarien.* 6. Aug. 1601, *Ianuen.* 14. Dec. 1605., *Mediol.* 25. Maii 1621., et quando ordinarius medicus non invenit remedium, eadem S. C. in *Ianuen.* 13. Martii 1525., vel quando est impeditus, eadem S. Congr. in *Portugall.* 15. Mart. 1646. Ferrar. *loc. cit. n. 15. 16. 17.*

67. Nulli plane moniali fas est suo uti medico peculiari, sed utatur eo, quo monasterium ordinarie uti solet, S. Congr. in *Bononien.* 6. Iul. 1588. apud Crisp. *Vis. Past. P. II.* §. *42. n. 52.*, excepto casu gravis infirmitatis, *Catacen.* 15. Feb. 1595. Crisp. *loc. cit.*

68. Procurator, vel syndicus non debet habere licentiam ingrediendi. *Lycien.* 15. Mart. 1595., item 4. Ian. 1610. *Tarent.* 26. Novemb. *sine anno* apud Nicol. *loc. cit. n. 20.*

69. Iisdem neque ingredi permissum est cum sacerdote ingrediente ad ministranda Sacramenta, *Senogallien.* 26. Iunii 1603. apud Nicol. *loc. cit.*, neque cum aliis Superioribus intrantibus in casibus necessariis, quin obstet contraria consuetudo, quae sublata fuit per Constit. Greg. XIII., quae incipit *Dubiis Ariminen.* 10. Ianuar. 1617. apud Nicol. *loc. cit.*

70. Factor, si non patiatur exceptiones, habitare poterit in cubiculo intra collocutorium, sed extra clausuram, *Navarien.* 5. Decembris 1600., *Ianuen.* 15. Martii 1606. apud Nicol. *loc. cit. num. 21.* Poterit etiam ingredi, prout moris est, ad apte locanda dolia, recondendum vinum, et alia necessaria ministeria exercenda. *Perusin.* 9. Oct. 1618. apud Nicol. *loc. cit.*

71. Vecturalibus etiam, sive mulionibus danda licentia generalis, *Fulginaten.* 21. Iul. 1593., non tamen ad inferendas et efferendas olivas, *Assisien.* 22. Feb. 1630. Nicol. *loc. cit. num. 26.*, siquidem ex olivis extra monasterium oleum exprimi debet in appositis molendis, quod subinde in monasterium importetur.

72. Dari potest licentia notario et testibus ingrediendi clausuram, cum aliqua mulier saecularis, quae ibi degit, decumbit in lecto, velitque facere testamentum, vel aliam dispositionem de suis bonis, *Catacen.* 15. Febr. 1595. apud Nicol. *loc. cit. n. 28.*

73. Quicumque infantes cuiusvis sexus vel aetatis in clausuram introducit, censuras non effugit violatae clausurae, *Tudertin.* 6. Aprilis 1579., *Neapol.* 22. Martii 1580., *Comen.* 16. Martii 1593., *Taurinen.* 10. Iunii 1650. apud Nicol. *loc. cit. n. 29.*

74. Tolerandum non est, quod puellae, licet parvulae, ingrediantur et exeant ad libitum, ut legere, vel acu pingere addiscant. *Pistorien.* 24. Febr. 1579. Et Abbatissa, quae hoc permittit, privatur officio, voceque passiva, *S. Severin.* 8. Mart. 1595. apud Nicol. *l. c. n. 30.*

Quin imo s. m. Pius VII. Episcopo Aesino die 4. Augusti 1800. scribi mandavit, ne omnino permitteret, ut viri laici sive cantum sive sonitum in monasteriis edocerent, nec sanctimoniales, nec alias feminas saeculares inibi commorantes, neque intra clausuram neque ad crates: insuper indultum magistro capellae pro una educanda instituenda obtentum revocavit. Vid. Reg. S. C. *ad eum annum.*

75. De confessariis monialium s. m. Alex. VII. Constit. *Felici,* (quam dabimus in volumine III. sub num. 55.) §. 5. haec statuit: « Ad haec confessor sanctimonialium tam ordinarius, quam ex» traordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad Sa» cramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis » ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degen» tibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec » unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et » maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua » confessorem videre et ab ipso videri semper possit. »

76. Itaque confessarii monialium ingredi nequeunt clausuram ad sepeliendas moniales, vel pro exsequiis. Sic declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Reatina* 10. Martii 1577., quae sic se habet: « Non licet confessario ingredi

» monasterium sub praetextu sepulturae tradendi cadaver ali- » cuius monialis, aut officia funeralia peragendi, sed hoc offi- » cium, si intra clausuram sepelienda est, ab aliis monialibus, » vel a duobus operariis ab Ordinario approbandis peragatur. » Idem in una *Dominican.* 30. Iun. 1582., *Ulissiponen.* 11. Augusti 1610. Idipsum confirmatum fuit recentissime in *Pistorien. et Praten. Super nonnul. dub. mon.* 2. Mart. 1855. *ad 1.* Et si accedat consuetudo, ut confessarius occasione funerum monasterium intret, consuetudo tolerari non debet *nisi de licentia Ordinarii in singulis casibus*, prout additum est in dicta *Pistorien. et Praten.* Quod autem huiusmodi consuetudo corruptela potius existimanda sit, adeoque non probanda, fuse ostendit Ferraris verbo *Moniales art. 5. n. 52. ac 53.* Hinc confessarius sine licentia Episcopi clausuram ingressus incidit in poenas violatae clausurae, S. C. Episc. et Regul. *Bonon.* 20. Aug. 1599. Ferraris *loc. cit.*

77. Confessarius monialium clausuram ingressus ad administranda Sacramenta recta via, et absque diverticulo eat redeatque, nec in alia monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria. S. C. Episc. et Regul. 13. Sept. 1583. apud Barbosam *Sum. Ap. dec. v. Conf. Mon. n. 2.*, Ferraris *loc. cit. n. 54.*

78. Cum aliqua monialis laborat in extremis, conceditur confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope monasterium (1), ut interveniente necessitate illico praesto esse valeat vocatus. S. Congr. Episc. et Regul. 22. Dec. 1592. apud Pignat. *Tom. 6. Consult. 85. n. 233.*

79. Confessario monialis infirmae confessionem audiente cellae ianua aperta remaneat, et ambae comitatrices ad eiusdem cellae ianuam morentur, ita ut confessarius et infirma ab eis commode cerni possint. S. C. Episc. et Regul. 13. Sept. 1583. Ferraris *loc. cit. n. 56.*, idque consentaneum est verbis encyclicae Innoc. XI. 21. Mart. 1682. Ferraris *loc. cit.*, ubi distantia inter confessarium et

(1) Cum in quadam dioecesi consuetudo inolevisset, ut confessarii tam saeculares, quam regulares in clausura pernoctarent occasione, qua infirmis adsistere deberent, et Ordinarius ex hac eadem declaratione a Ferrario allata anceps haereret, et alioquin, consuetudinis exstirpatio difficillima videretur, S. C. in comitiis generalibus diei 29. Maii 1846. hac de re consulta controversiam propositam definire noluit, sed Emo S. Congr. Praefecto mandavit, ut per suas privatas literas Ordinario rescriberet, *ut abusum toleraret.*

comitatrices ea praefigitur, qua confessio audiri nequeat. Hoc vero praescribitur sub gravibus poenis contra Abbatissam etiam privationis vocis activae et passivae.

80. Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt in clausuram ingredi. S. Congr. Episc. et Regul. 13. Septembris 1583., Ferraris *loc. cit. n. 57.*

81. Confessarius non potest ingredi clausuram praetextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios. S. Congr. *ibidem,* Ferraris *loc. cit. num. 59.*

82. Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum cellas monialium aut alia loca aqua benedicta in die sabbati sancti, aut quolibet alio tempore, S. C. Episc. et Regul. 4. Sept. 1596. Ferraris *loc. cit. n. 60.* Et novissime in memorata *Pistorien. et Praten. ad 1.* Si tamen adsit consuetudo et accedat Episcopi licentia singulis vicibus, tolerari potest eo modo, qui dictus est de exsequiis monialium.

83. Confessario licitum non est clausuram intrare ad exorcizandam monialem energumenam, S. Congr. Episc. et Regul. 1. Iulii 1606., Ferraris *loc. cit. n. 61.*

84. Confessarii non possunt in clausuram pedem inferre, ut inibi Missam celebrent, S. C. Episc. et Regul. in *Lancianen. et Pistor.* 16. Iulii 1683., *Mantuana* 13. Iunii 1591., *Bononien.* 2. Ianuarii 1601. Ferraris *loc. cit. n. 62.*

85. An autem ingredi possint, ut ex ea particulam SSm̃i Sacramenti asportent, disputant theologi; sed sanior sententia videtur, quod possint: neque enim decet, ut ea mulierum, etiam sacrarum, manibus attrectetur. Vide Ferraris *loc. cit. n. 63.,* de Alexandris *Cap. 7. §. 6. qu. 7.*

86. Confessarius monialium etiam regularis non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per monasterium non vagetur, sed, expleto ministerio, statim exeat: S. Congr. Episc. et Regul. *Comen.* 7. Mart. 1609. Ferraris *loc. cit. n. 62.* Confessarius debet ingredi clausuram cum cotta et stola, et non aliter, S. Congr. Episc. et Regul. *Lucen.* 29. Mart. 1589., 22. Decemb. 1602. Ferraris *loc. cit.,* S. C. Episc. et Regul. in *Tranen.* mense Ian. 1714. (ex *lib. mon. illius anni*). Et hoc per quamcumque necessariam causam ingrediatur, S. C. Episc. et Regul. *Caietana* 29. Ian. 1627. Ferraris *loc. cit.* Congruit epistola encyclica Innoc. XI. 4. Febr. 1678. In *Fossanen.*

*Confessarii* mense Febr. 1734. *(ex lib. mon. illius anni),* relinquitur prudenti Episcopi arbitrio providere, prout melius expediat, circa consuetudinem inolitam, ut, si in longum protrahatur agonia alicuius monialis, capellanus, vel etiam tertius sacerdos succedat confessario ordinario, qui moribundae in agone luctanti adsistat.

87. S. Congr. die 13. Sept. 1582. et Non. Maii 1590. edixit, quod *confessarii monialium nullo modo possint comedere, refici, aut cibum sumere in eorum monasterio.* Et novissime in allata *Pistorien. et Praten.* 2. Mart. 1855. *ad 2. dub.* his verbis conceptum: « An occasione benedicendi cellas, aut exercendi aliquam » functionem sui ministerii propriam in clausura (confessarius » monialium) possit sumere potionem calidam (vulgo *caffè*) vel » aliam refectionem, quae sibi offeratur? » S. Congr. rescripsit: « Negative, nisi ex causa longioris morae, et ex necessitate. » Et SSmus D. N. resolutionem approbavit.

88. Imperatores et imperatrices, reges et reginas, eorumque filios in monasteriorum claustra ingredi absque excommunicationis incursu censet communior doctorum pars. Ferraris verbo *Moniales art. 3. n. 53.* Non item principes aç principissas, duces et ducissas, Ferraris *loc. cit. n. 54.*

89. Neque fundatores aut fundatrices monasteriorum in claustra absque licentia Apostolica ingredi posse cum communi doctorum sententia tenuit S. Congreg. Episc. et Regul. 17. Augusti 1629. apud Nicol. verbo *Fundator.:* « S. Congr..... censuit, » fundatores monasteriorum monialium non posse earumdem clau» suram ingredi, nec a monialibus recipi, nisi in literis Aposto» licis erectionis expresse caveatur. » Videndus Ferraris *loc. cit. n. 55.* Quae disciplina hodiedum etiam viget, ut pluribus exemplis probari posset. Verum peculiariter consuli poterit causa *Mutinen.,* quae in huius exitu paragraphi *(num. 117.)* tota referetur.

90. Si moniales famularum ope ac servitio indigeant, quod a conversis praestari non possit, tunc de licentia S. C. Episc. et Regul. possunt adsciscere feminas, quae sibi necessarium servitium praebeant; sed servanda est Constit. Bened. XIV. incip. *Per binas,* cuius verba superius attulimus.

91. Idem dicendum est de puellis, quae in monasterium educationis gratia recipiuntur ad normam modo allegatae Constitutionis. S. C. Episc. et Regul. in concedendis licentiis pro educan-

darum ingressu conditiones adiicit in pagella, quam typis editam ad eam finem tradere solet. Huiusce pagellae exemplar dabimus in volumine III. sub num. 56.

92. De hac materia puellarum educationem respiciente fuse docteque agit Ferraris verbo *Moniales art. 1. n. 1. et seq.*

93. In praesentibus civilis societatis conditionibus saepissime S. C. Episc. et Regul. rogatur, ut sinat moniales puellarum instructioni dare operam in scholis externis sed monasterio coniunctis. Circa hunc articulum non erit abs re referre Rescriptum, quod eadem S. Congr. edidit die 18. Iul. 1834. pro Cisterciensibus Placentiae, eo magis, quod hisce in casibus norma ex eo desumi solet: idque huius tenoris est: « S. C. pariter annuit, ut » loca separata a clausura erigantur pro illarum (puellarum) in- » stitutione atque educatione, in quibus magistrae deputentur, ut » iisdem dent operam sub immediata obedientia Ordinarii, et de- » pendentia Superiorissae, cui, aut uni vel alteri ex monialibus ab » eadem designandis sit facultas concedendi veniam egrediendi » a clausura tempore necessario, cum dispensatione horarum » canonicarum, ut iisdem scholis invigilent easque dirigant. »

94. Ad hoc de monialium clausura argumentum pertinet interdictio, ne quis ad moniales accessum et collocutionem sine legitima causa habere praesumat. Alexander III. edixit in *Conc. Later. III. Can. 11.*, et legitur in *Tit. De vit. et hon. cler. cap. 8.*: « Monasteria sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta » ac rationabili causa frequentare praesumpserit, per Episcopum » arceatur, et, si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur » immunis. Si laici, excommunicationi subdantur, et a coetu fi- » delium fiant penitus alieni. »

95. Ad normam huiusce decreti posse Episcopum imponere censuras, aliasque poenas contra clericos et laicos monialium monasteria frequentantes, et cum eis colloquentes, declararunt etiam S. C. Conc. *Viterb.* 26. Iun. 1627. et S. C. Episc. et Regul. *Urbinaten.* 10. Maii 1663. ac *Civitat. Castell.* 16. Ianuarii et 10. Iulii 1699. Ferraris verbo *Moniales art. 4. n. 4.*

96. Parentibus, fratribus, et sororibus monialium licet eorum filias, et respective sorores moniales alloqui sine licentia Episcopi, diebus tamen non prohibitis, id est Adventus et Quadragesimae, ex decretis relatis a Ferraris verbo *Moniales art. 4. n. 8. et seq.* Idem dic de eorum consanguineis in primo et secundo gradu, excepto

casu, in quo obstet constitutio monasterii, vel speciale decretum Episcopi, ut patet ex aliis decretis allatis a Ferraris *loc. cit. n. 11.*

97. Hac in re prae oculis habenda est Constit. Bened. XIV. incip. *Gravissimo* diei 3. Octobr. 1749. ad Episcopos ditionis Pontificiae directa, in qua ille Pontifex antiqua decreta innovari oportere animadvertit, ac non solum Regularibus exemptis, et gubernatoribus, sed et Episcopis aliarum dioecesecon prohibitum esse accessum ad moniales sine Episcopi loci venia commemorat; nam, ut idem ait, Ordinarius in monasteriis non exemptis ordinaria, in exemptis potestate delegata utitur ad clausuram in monasteriis suae dioecesis custodiendam. Quae profecto decreta item innovat atque confirmat: cum vero ceteroquin ab Episcopi coercitione et auctoritate personae memoratae sint immunes, idcirco si quis illorum hanc Pontificis praescriptionem et Synodales sanctiones infringere praesumpserit, mandat, se vel S. C. Episc. et Regul. fieri certiorem, ut episcopalis auctoritas rite asseratur vindiceturque. Constitutionem *Gravissimo* integram dabimus in volumine III. sub num. 57.

98. Accessus et item collocutio cum monialibus speciali ratione Regularibus etiam cum monialibus Praelato regulari subiectis prohibetur a Summis Pontificibus, nempe Sixto et Paulo IV. et Urbano VIII., ac nominatim a Clemente IX., ut ex sequenti S. C. Episc. et Regul. decreto diei 11. Maii 1669. per eumdem approbato eruitur; ibi siquidem, mentione facta falsarum quarumdam opinionum, quae damnantur, et reiiciuntur, declaratur et statuitur: « Regulares cuiuscumque Ordinis, Militiae, Societatis, Con» gregationis et Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret » habenda, qui ad monasteria monialium, quamvis ab Ordinarii iu» risdictione quomodolibet exempta, et etiam ipsis Regularibus » subiecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima fa» cultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum » temporis spatium cum monialibus, aut aliis intra clausuram de» gentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, pri» vationis vocis activae et passivae, aliisque contra Regulares acce» dentes sine licentia ad monasteria monialium statutis poenis posse » ab Ordinario, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, coerceri. Et » die 7. Iunii eiusdem anni facta relatione SS. D. N., Sanctitas Sua » praesentem declarationem approbavit, ac typis dari servarique » mandavit. » (de Alexandris *loc. cit. cap. 7. §. 10. qu. 3.*).

99. Et die 26. Nov. 1672. S. C. respondit, nullam quantumvis honestam et rationabilem causam eximere a culpa gravi Regulares accedentes ad moniales sine Episcopi licentia, ut iisdem verbis tradit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. IX. cap. 15. n. 7.*, ac die 21. Maii 1678., ut idem subdit Pontifex, iisdem poenis affici dixit Regulares, qui post habitam ad monachas concionem, de quibuscumque rebus cum iis loquuntur, nisi specialem quoad hoc facultatem ab Episcopo ante obtinuerint.

100. Qui super hac re plura desiderat, adeat Ferraris verbo *Moniales art. 4.* per totum, ubi fuse docteque, allatis Pontificum et sacrorum canonum sanctionibus, hanc materiam evolvit et exornat.

101. Ex Constit. S. Pii V. incipien. *Decori et honestati*, quam dabimus in volumine III. sub num. 50., potestatem habent Episcopi impertiendi monialibus licentiam exeundi ob causam magni incendii, leprae et epidemiae, ubi nimirum de causae necessitate ab ipsis cognitum fuerit; quo in casu licentiae in scriptis dari debent. De Alexandris *loc. cit. cap. 7. §. 9. qu. 2. in fin.* una cum aliis doctoribus tribus hisce causis alias tres accenset, nempe imminens bellum, fluminis inundationem, et aedificiorum ruinam. Et sane; harum trium causarum ratio eadem aliquando plane est, ac sunt incendium, lepra et epidemia, ut nimirum si a monasterio non exeatur, vita ipsa in discrimen vocetur.

102. Laudatus de Alexandris consuli etiam potest *loc. cit. qu. 1.*, quando, quibusve datis circumstantiis, adiunctis et conditionibus tres recensitae a S. Pio V. causae locum habeant. Sed insuper consulendus est Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 12. n. 28.*, ubi circa lepram discrimen ponit inter eam, quae contagium infert, et aliam, quae non infert; ita ut prima canonicam exeundi causam praebeat, minime vero altera. Item de peste agit eodem loco *n. 31.*, ubi animadvertit pestem non intelligi eam, quae in civitate saeviat; tunc enim melius consultum est, si a civibus secretae magis magisque moniales in claustro se teneant; sed eam intelligi, quae monasterii personas iam aggressa fuerit, uti S. Congr. Conc. die 20. Septembris 1720., eodem teste Pontifice, Archiepiscopo Bononiensi significavit. Hoc autem in secundo casu idem Pontifex Episcopos monet, ut caute se gerant; et priusquam egrediendi potestatem concedant, plures proponit vias ac rationes, quas experiri possunt, ut monialium

salutem in tuto ponant, quin a monasterio easdem exire permittant.

103. Bened. XIV. *loc. cit. num. 27. et 29.* casus insuper expendit, quibus aliqua monialis in particulari ob morbum (puta phtisis, insaniae, scorbuti) in ea conditione versetur, ut vel ad aeris temperiem immutandam, vel ad balnea, aut ad aquam aliquam salubrem eo ipso momento temporis, quo erumpit e fonte, potandam ex monasterio ad alium locum pergere debeat, si valetudinem recuperare voluerit. Quibus quidem in casibus, aliisque similibus extra dubitationem esse tradit, ab Episcopis exeundi facultatem concedi non posse, sed Apostolicam Sedem ope S. C. Episc. et Regul. esse adeundam. Nihilominus rectissimas aptissimasque tradit regulas, quas nosse et sequi plurimum expedit Episcopis; ab his enim S. Congreg. de rerum veritate, eorumque sententia sese edoceri mandat, vel facultatem in forma *commissaria* iisdem elargitur; ex quo fit, ut ab ipsis disquiri debeat, an vera sint exposita, et circumstantiae peculiares concurrant, quae iustam et canonicam indulto tribuendo causam praebeant. Iamvero hisce de causis haud raro Episcopi, praesertim qui timidae conscientiae sunt, sollicitos et anxios esse se sentiunt, nec quod agant, certo sciunt. Itaque Summus Pontifex facem quodammodo praesefert, quae lucem ad obscuritates omnes et dubia depellenda suppeditat.

Rescripti formulas, quibus causa balneorum, vel aeris mutandi gratia a S. C. Episc. et Regul. hisce temporibus exeundi facultas concedi solet, prae oculis habere neque minus gratum neque inutile arbitramur.

Quare hic exscribitur

*Rescripti formula pro facultate exeundi causa balneorum.*

« Ex audientia etc. Sanctitas Sua, audita relatione Episcopi etc., » benigne annuit ac propterea mandavit eidem committi, ut » veris existentibus narratis, et constito sibi per iuratam medi- » corum fidem de vera oratricis necessitate, deque eius determi- » nata voluntate utendi praesenti indulto, petitam facultatem » tempore balneorum tantum pro suo arbitrio et conscientia con- » cedat; praescriptis debitis cautelis, ne quod inconveniens oria- » tur. Romae etc. »

Exhibetur deinde

*Rescripti formula pro facultate exeundi aeris mutandi gratia, vel alterius cuiuslibet infirmitatis curandae.*

« Ex audientia etc. Sanctitas Sua, audita relatione Episcopi etc., » benigne annuit, ac propterea mandavit eidem committi, ut, veris » existentibus narratis, et constito sibi per iuratam medicorum » fidem, de veritate etc. deque eius determinata voluntate utendi » hoc indulto, facultatem egrediendi et manendi extra claustra » ad sex menses tantum, si tamdiu necessitas perduraverit, pro- » viso prius pro decenti eiusdem custodia, pro suo arbitrio et » conscientia concedat; ita tamen, ut cum associatione et assi- » stentia consanguineorum et affinium, aut alicuius honestae ma- » tronae aliisque debitis cautelis semper incedat, domo et alibi » vitam religiosam ducat, et a virorum frequentia semotam, prout » Deo sacratas virgines decet, servatis in reliquis omnibus, quae » per sacros canones, S. Conc. Trid., et Apostolicas Constitutiones » circa huiusmodi monialium egressum praescripta sunt sub poenis » contra violantes clausuram impositis in casu contraventionis » omnino incurrendis. »

104. Non pauci doctores opinantur, monialem, una accedente Episcopi venia posse transire de uno ad aliud monasterium, sive ut ibidem Abbatissae munus exerceat, sive ut novi monasterii fundationi praesideat, aut ob alias similes causas. At vero huiusmodi opinio adversatur sententiae doctorum maioris nominis, qualis est Fagnan. *ad Cap.* Recolentes *de stat. mon. n. 51.* et Bened. XIV. *loc. cit. lib. IX. cap. 15. n. 8.*, et, quod maius est, opponitur decreto s. m. Pauli V. edito a S. Congr. Episc. et Regul. die 22. Dec. 1617., ut habetur penes Nicolium *Flosc.* verbo *Monialis n. 19.* Translatio. « Moniales quacumque occasione trans- » ferri non possunt amplius de monasterio ad monasterium, sine » licentia Sedis Apostolicae toties quoties obtinenda, neque oc- » casione prioratus, vel alterius officii, quibuscumque non ob- » stantibus. » Cum de fundatione novelli monasterii in *Sorana Erect. Mon.* 21. Iun. 1851. penes S. C. Episc. et Regul. ageretur, cumque cuiusdam monialis Neapolitanae egressus ad opus fundationis dirigendae necessarius visus fuisset, a S. Congr. licentia implorata fuit; quoniam vero alias ob causas erectionis venia

dilata fuit, licentia circa egressum non habuit locum. Nihilominus ea, quae attulimus, Apostolicae Sedis hac in re adeundae necessitatem etiam in praesens manifesto demonstrant.

105. Bened. XIV. *loc. cit.* alium etiam expendit casum, an monialem ob morum pravitatem absque Sedis Apostolicae placito transferre Episcopo liceat; et, generatim loquendo, negativam cum Card. de Lugo sententiam tuetur; sed simul eiusdem Cardinalis limitationem affert opinantis, « licitum esse ad huiusmodi » translationem procedere propter evidens periculum scandali et » perversionis aliarum monialium; hunc etenim casum vere putat » aequipollentem esse morbo epidemiae in Bulla S. Pii V. ex- » presso. » Accedit, quod Bonifac. VIII. in *Cap. Periculoso* scandalum (tametsi ibi agatur de scandalo, quod a morbo proficiscitur) causam legitimam egressus concedendi nominatim innuit.

106. Non desunt, qui putent, potestatem exeundi a clausura ab Episcopis concedi posse conversis ad eum finem, ut eleemosynas in necessariam monialium alimoniam quaeritent et colligant, modo serventur ea, quae praecipit S. Pius V. Constit. *Circa pastoralis*. Quae tamen sententia indiget explicatione. S. Pius V. nominatim agens de Tertiariis, quae ex eleemosynis vivunt, bonis fructiferis destitutae, duo sibi proposuit, primo ut precariam ac praesentaneam providentiam earumdem sacrarum virginum monasteriis afferret, ac dein ut legem statueret stabilem atque perpetuam, quae in futurum semper omnino servaretur. Ad primum quod attinet, aut in monasterio aliquae conversae reperiebantur, quae solemnibus votis adstrictae non essent, et tum istis tantummodo munus eleemosynas corrogandi ab Episcopis debebat iniungi; aut tales non aderant, ac tum adhiberi poterant conversae etiam professae, quae tamen essent « aetatis annorum » quadraginta, et in domibus contiguis, extra tamen monasterium » degant, et non ingrediantur clausuram, nisi in casibus ab ea- » rum constitutionibus permissis, et de earum domibus exire non » possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia » Ordinarii, vel earum Superiorum. » Quod vero pertinet ad alterum futura tempora respiciens, sic statuit: « Et de cetero nullae » aliae conversae professae recipi amplius possint etiam de con- » sensu suorum Superiorum vel Praelatorum. Quod si adversus » hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio » nulla, irrita et inanis erit. »

107. Ex his patet, potestatem Episcopi eo coercitam fuisse, ut precario, ac de praesenti tempore copiam exeundi facere posset, minime vero in futurum, idque tam graviter vetabatur, ut si conversae ad vota solemnia admitterentur contra eiusdem dispositionem, receptio nulla esset ac irrita. Hanc disciplinam sartam tectamque omni tempore servavit S. Congr., ac nominatim Episcopo Spoletano die 14. Iulii 1584. (apud Pignat. *tom. 6. Constit. 85. n. 146.*) significavit, non recedendum a deliberatione eatenus capta, ne professae ad eleemosynas colligendas extra monasterium emittantur. Nihilominus si res ad eum sit adducta locum, ut, si secus fiat, moniales fame pereant, S. C. consuevit veniam huiusmodi largiri aliquibus, quae sint aetatis maturae et formae haud ita periculosae. Ceterum subdebatur, ne amplius novitiis recipiendis fiat locus, itaque sensim monasterium exstinguatur. Id ipsum provisum fuit in una *Bononien.* 13. Nov. 1603.

108. Hic locus est referendi causam *Ianuen. Clausurae* novissime penes S. C. Episc. et Regul. discussam. Pia quaedam femina in unam domum religiosam plures feminas collegerat, quae regulam S. Benedicti complexae fuerant: duplex erat sororum species, una choristarum, altera commissarum, seu forensium. S. Congr. earum precibus adhaerens, ad votorum solemnium professionem domum illam religiosam admiserat. In constitutionibus, quarum approbatio expetebatur, sancitum fuerat, ut commissae, seu forenses tametsi ad opera manuum, quae monialibus conficienda a civibus tradebantur, accipienda vel reportanda a clausura exire pro earum munere deberent, nihilominus eaedem ipsae non secus ac aliae choristae votorum solemnitate illigarentur; at S. C. hanc dispositionem nullatenus confirmare voluit, ac, votis solemnibus de medio sublatis, eam rem emendavit, subrogando actum oblationis a commissis emittendum, ac insuper extra clausuram eas vitam degere praescripsit.

109. Nihilominus commissae ad vota solemnia admissae sunt; et sanctimoniales pluries instantissimis precibus a S. C. et a Summo Pontifice recta via eam emendationem revocari contenderunt; at frustra semper. Tandem in comitiis generalibus diei 8. Iulii 1853. iuxta petitionis capita in supplici ultimo libello exposita duo dubia concinnata sunt: « 1. An et quomodo (non » obstantibus praecedentibus resolutionibus, ac firma remanente » prohibitione facta commissis et forensibus, de quibus agitur ad

» formam constitutionum a S. Sede approbatarum, ne professio-
» nem solemnem emittant) supplicandum sit SSmo, ut permittere
» dignetur ad tempus, ut eaedem et actuales conversae externae
» possint immorari intra clausuram, et inde exire ad conquirenda
» opera manuum in casu? – Et quatenus Negative, – 2. An sal-
» tem supplicandum sit SSmo, ut dignetur concedere, ut actuales
» conversae externae, etiamsi professionem emiserint, in loco ex-
» terno remaneant, et ut futurae conversae seu forenses possint
» recipi, et in clausura remanere tempore probationis, et casu
» infirmitatis, vel senectutis praevia licentia Ordinarii? » S. Congr. ad primum respondit: Negative in omnibus. « Ad secundum quoad
» primam partem, nempe relate ad conversas iam professas sup-
» plicandum SSmo pro dispensatione ad cautelam (1); relate
» vero ad secundam partem affirmative quoad probandas; in re-
» liquis negative. »

110. Hactenus sparsim de poenis, quae contra violatores clausurae monialium sancitae sunt, aliqua attingere debuimus: nunc breviter ordine in unum omnia colligemus. Praelati saeculares in monasteria se inferentes extra casus necessitatis pro prima vice interdictum ab ingressu in ecclesiam; pro secunda suspensionem a Pontificalibus et a divinis; pro tertia vice excommunicationem contrahunt ex apertis verbis Constit. Gregor. XIII. diei 23. Decembris 1581. Praelati regulares excommunicationem incurrunt una cum privatione officii ac ministerii ex verbis eiusdem Constitutionis. At vero ex Constit. Alexandri VII. incipien. *Felici* praeter excommunicationem et privationem ipso facto incurrendam, puniuntur insuper poena inhabilitatis ad illa officia vel alia in posterum obtinenda, necnon vocis activae ac passivae privatione: insuper ab Episcopo loci tamquam Sedis Apostolicae Delegato corrigi ac puniri possunt.

111. Externae personae sine licentia in scriptis, vel cum licentia, vi, dolo, aut falsa causa impetrata in clausuram ingredientes, sive praetextu licentiarum, quae revocatae fuerint, sive sine ullo praetextu, in excommunicationem Papae reservatam incidunt ex Concilio Tridentino, Constit. Gregor. XIII. *Ubi gratiae*

(1) Cum huiusmodi professio admissa fuisset contra S. Congregationis mentem, et expressam S. Pii V. dispositionem, professio nulla et irrita dici debuisse videtur: eaque de causa forsitan S. C. dispensationem ad cautelam tribui censuit.

et ex *stylo Curiae*, necnon praxi S. Poenitentiariae; de Alexandris *loc. cit.* §. *11. q. 2.*, qui insuper in confirmationem affert. S. C. Episc. et Regul. declarationem in *Comen.* 15. Sept. 1578. et *Mediolanen.* 19. Maii 1579. Et qui licentiam habet ingrediendi pro uno servitio, si posthac pro alio intraverit, in poenas praedictas incurrit. (S. C. Episc. et Regul. 6. Augusti 1601., 14. Iunii 1630. de Alex. *loc. cit.*). Puella vero, vel vidua, quae temere ingreditur ad suscipiendum habitum, et Abbatissa recipiens incidunt in censuras, et Abbatissa debet graviter puniri, illa vero expelli, nec amplius admitti sine speciali licentia S. Congr. (8. Novemb. 1601., 5. Feb. 1649. de Alex. *loc. cit.*). Si tamen fuerit ingressa ad malum finem, postquam exivit, absolvitur cum poenitentia salutari (20. Novemb. 1654. Vide de Alex. *loc. cit. q. 2.*).

112. Moniales, seu alii extraneum introducentes, vel ingredi permittentes sine legitima licentia, incurrunt in excommunicationem, privationem dignitatum, et inhabilitatem ad huiusmodi, si id faciant ex praetextu licentiarum revocatarum ex Constit. Greg. XIII. *Ubi gratiae* et Pauli V. Constit. *Monialium.*

113. Sanctimoniales illicite a monasterio exeuntes in excommunicationem incidunt Papae reservatam praeter privationem dignitatum et officiorum, ac inhabilitatem ad illa obtinenda ex Constit. S. Pii V. incipien. *Decori*, eamdemque poenam iuxta ipsam Constitutionem contrahunt, qui easdem comitantur, ac receptant, itemque egressarum Praesidentes et Superiores illicitam iisdem licentiam impertientes.

114. A qua excommunicatione, si publica sit, solus Pontifex absolvit; si vero occulta, tametsi doctores inter se discrepent, sententia rectior ea videtur, quae partem tuetur affirmativam ad normam Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 6. de Refor.*, ubi Episcopi ab omnibus censuris occultis absolvere permittuntur. Regulares vero absolutionem concedere possunt vi privilegiorum, quae Regularibus concessa sunt. Vide Ferraris verbo *Moniales art. 3. n. 20. 21. 22. et seq.* Absolutio a poenis contra Praelatos sive saeculares sive regulares illicite in monasteria ingredientes non est reservata Summo Pontifici, neque ex Constitutionibus, quas supra citavimus.

Circa poenas contra clausurae violatores consulendus est etiam *de Amoeno lib. 3. tit. 4.* §. *8. Claus. viol. n. 66. et seq.*

115. De poenis, quae sancitae sunt contra eos, qui sine legitima causa ad moniales accedunt et cum iis colloquuntur, tam si clerici et laici sint, quam Regulares, superius indicatum est, tum cum prohibitionem huiusmodi exposuimus et explicavimus.

116. Ultimo loco duas ponimus causas in S. C. Episc. et Regul. agitatas, quarum cognitio in re, de qua agitur, non sine utilitate forsitan est. Prima est *Mutinen.*, altera *Patavina.*

117. *Mutinensis* haec erat facti species: « Usque a saeculo XVII. » quaedam piae mulieres, profitentes tertium S. Dominici Ordi- » nem, in civitate Mutinae se in unum collegerant, ut iuven- » tutem instituerent. Non multis abhinc annis, favorem praebente » serenissimo Mutinae Duce, a Sancta Sede petierunt, ut sub » eadem, quam semper sectatae fuerant, S. Augustini regula ad » vota solemnia admitterentur. Ad hanc itaque rem constitutio- » nes exhibuerunt, et Summus Pontifex specialem Congregatio- » nem delegavit, quae dubio: « An constitutiones, de quibus » agitur, ab Apostolica Sede approbari mereantur? » rescripsit: « Affirmative et ad mentem. »

118. Quae mens antequam exponatur, sciendum est, quodam Constitutionum loco ita sancitum fuisse: « Clausura itaque ob- » servabitur iuxta terminos expressos Concilii Tridentini tam pro » monialibus, quam pro saecularibus, idest nihil derogari poterit » hisce praescriptionibus absque absoluta licentia Praelati, aut » alterius personae, quae ad hoc ab eo delegabitur, quo in casu » haec persona deberet esse confessarius, ad quem spectabit con- » cedere licentias introducendi operarios, et alias personas ne- » cessarias pro quocumque servitio, quo indiget monasterium. » Igitur S. Congreg. respondit: « et mens est quod approbantur so- » lae meraeque constitutiones cum sequentibus emendationibus. » Ipsa itaque, nempe clausura, observabitur iuxta terminos ex- » pressos Conc. Trid. et Constitutionum Apostolicarum. Licentia » pro introducendis operariis et aliis personis, ut aliquod ser- » vitium, quo reapse monasterium indigeat, ad Episcopum per- » tinebit. »

Deleri itidem iussit illa: *et exsequi aliquas scenicas recitationes ac repraesentationes.*

119. « At huiusmodi limitationes non arriserunt monialibus, » quippe quae verebantur, ne cives a puellis in educationem » tradendis deterrerentur. Hinc, suspensa Apostolici Rescripti ex-

» secutione, Episcopus earum nomine expostulavit facultatem » ingrediendi:

1. » Pro educandarum genitoribus, vel iis, qui genitorum agunt » vices, eveniente casu gravis educandae alicuius infirmitatis.

2. » Pro aliquibus sacerdotibus, et aliis paucis personis occa- » sione recitationum scenicarum, aliarumque functionum (uti sunt » scholastica experimenta et praemiorum distributiones).

3. » Pro puellis in scholas externas pro uno anno, etiamsi » scholam frequentare desiverint.

4. » Pro genitoribus puellarum in scholas externas, vel pro » iis, qui genitorum agunt vices, semel saltem decurrente tem- » pore, in quo puellae admissae fuerunt.

5. » Pro duabus feminis servitium praebentibus, quae scholis » externis addictae sint.

» Ad haec accedebat facultas, qua canonico Camuri, Instituti » fundatori, ad vitam liceret varias eiusdem domos visitare ad » eum nempe finem, ut in domibus tam erectis, quam erigendis » illud sanctitatis studium confirmare posset, quod iam infundere » potuerat. »

120. Itaque in Congr. generali diei 18. Dec. 1840., quae sequuntur, dubia resolvenda Emis Patribus exhibita sunt, circa quae nonnulla praemittebantur, nimirum:

« Ad primum dubium, quod attinet ad normam iuris com- » munis, non licet Ordinario ingressum in clausuram papalem » exteris impertiri, *nisi in casibus necessariis, et servatis aliis de* » *iure servandis, et non aliter omnino*, ut ait Bened. XIV. in » Constit. *Salutare*, et dixerant alii Pontifices.

» Ad secundum: difficillime S. C. facultates impertitur in » perpetuum et generatim, praesertim circa clausuram; eas po- » tius tribuit ad tempus determinatum, et ad preces alicuius » certae personae, vel monasterii, vel ipsius Ordinarii.

» Ad tertium, in quo Episcopi postulata comprehenduntur, » circa primum *Roder. in Collec. priv. tom. 2. art. II.* citat » quamdam resolutionem S. C. Episc. et Regul., qua declaratur, » consanguineis non posse Episcopum ingressum concedere in » casu gravis infirmitatis, qua premitur monialis, etiamsi adsit » mortis periculum. Nihilominus nuperrime sanctimonialibus Sa- » lesianis Patavii impertitum fuerat hoc Rescriptum: *De speciali* » *gratia arbitrio Episcopi ad triennium pro facultate permittendi,*

» *praevio consensu monialium, ingressum dumtaxat matribus educandarum in casu verae infirmitatis illarum. Episcopus autem hac facultate caute et sobrie utatur, super quo eius conscientia onerata remaneat.* Difficilius vero huiusmodi licentia masculis conceditur, vel ipsi parentes sint, vel tutores. Illud autem in casu considerandum erat, quod forte huius licentiae denegatio puellarum instituendarum numerum tenuaret, dum ceteroquin in casu mortis proximae ex resolutione S. C. a *Tamburini de Iur. abb. disp. 1. q. 2. num. 1.* relata notario ac septem testibus pro ultimo elogio conficiendo ingressus non est negandus.

» Secundum postulatum maiorem involvebat difficultatem, quandoquidem nulla aderat necessitatis lex.

» Tertium vero ac quartum nihil impedimenti offerebat; nam agebatur de scholis externis, et aequa aderat causa.

» Quintum discussione aliqua dignum erat; nam S. C. non solet monialium famulabus ingressum concedere, nisi cum obligatione clausurae observandae. Praeterea Bened. XIV. in Constit. *Post binas* declarat – admissionem receptionemque quarumcumque feminarum sive puellarum educandarum, sive famularum in monasterio quacumque ex causa, sine legitima, authenticaque eiusdem Apostolicae Sedis licentia toties quoties opus fuerit impetranda, fieri non debere. – Sed observabatur; quod sanctimoniales, de quibus loquimur, antea, licet votis simplicibus obstrictae, minus rigidae clausurae subiacuissent; si insuper educandatus in loco a monasterio secreto situs esset, et via recta ad eum accessus pateret, aliquam indulgentiam posse adhiberi.

121. » Hisce animadversis, en dubia, quae proponebantur:

1. » An et quae declarationes faciendae sint circa constitutiones monialium S. Dominici urbis Mutinen. relate ad clausuram? Et quatenus negative,

2. » An et quomodo Ordinariis monasteriorum earumdem monialium tam erectis, quam erigendis concedendum sit, ut derogare possint strictae clausurae in casibus illis, quos ipsi pro sua conscientia necessarias agnoverint, vel plane utiles iuxta id, quod ferebat usus practicus constitutionum, quarum approbatio a Sede Apostolica exorata est? Et quatenus negative,

3. » An et quomodo concedendae sint facultates pro quinque casibus (superius expositis).

4. » An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi pro » ingressu in clausuram favore canonici Camuri eiusdem Instituti » fundatoris? »

5. An admittendae sint duae feminae servientes scholis extenis addictae?

« Iamvero propositis dubiis Emi Patres, prout sequitur, rescri- » pserunt: *Ad primum et secundum, providebitur in tertio. Ad ter- » tium, ad primam affirmative, ad secundam negative. Ad tertium » et quartum affirmative; ad quintum, arbitrio Episcopi iuxta Con- » stitutiones Apostolicas, nempe ut admitti possint in monasterium » ad instar famularum cum permissione accedendi ad scholas exter- » nas, quin ulterius egredi valeant, durante earum munere, dum- » modo tamen sint coelibes, et nullum detrimentum status oeconomicus » patiatur. Ad quintum arbitrio Ordinariorum bis vel ter in anno.* » Et facta de praemissis relatione ad SSmum D. N. Grego- » rium XVI. in audientia habita die 31. Dec. 1840. Sanctitas Sua » resolutionem S. C. approbavit, ita tamen, ut huiusmodi indultum » ad quinquennium dumtaxat perduret, et Ordinarius hisce fa- » cultatibus sobrie et caute utatur, et quando agitur de ingressu » in monasterium, monialium consensus capitulariter et per secreta » suffragia praestandus accedat. »

122. Altera causa, quam modo adpromisimus, est quaedam *Patavina*, quae in folio *Mutinen.* proposita fuit, utpote huic multum adsimilis, ut patebit.

Salesianae Patavii sanctimoniales, cum a S. Sede obtinuissent, ut solemnium votorum professionem emittere valerent, Papalis clausurae obligatione ad formam Constitutionum Apostolicarum obstrictae remanserunt. Inde vero factum est, ut nedum patres, ac tutores, sed nec et matres in monasterium inferre pedem possent, ut suas filias vel pupillas educationi traditas invisere valerent. Itaque periculum erat maximum, ne vel patres uxoribus orbati, aut pupillare tribunal nobiles puellas iisdem sanctimonialibus non committerent educandas summo cum earum et publico detrimento.

Itaque ad sacram Congreg. Episc. et Regul. confugium habuerunt; et primo obtinuerunt indultum pro solis matribus in casu gravis infirmitatis, quod superius in Mutinensi exscriptum est. Quod cum earum votis non integre responderet, ad S. Cong. iterum supplicem libellum exhibuerunt. Hinc post dubia quinque

causae Mutinensis iam super exscripta sextum quoque dubium additum est: « An et quomodo annuendum sit precibus mo- » nialium a S. Francisco Salesio civitatis Patavii pro ingressu in » clausuram pro genitoribus vel in defectu parentum pro tutoribus » puellarum utroque parente orbatarum eveniente casu infir- » mitatis educandarum? »

S. Congreg. respondit: « Affirmative ut in *Mutinen.* » Rescriptum vero ita conceptum fuit: « Arbitrio Episcopi pro fa- » cultate permittendi, praevio consensu monialium capitulariter, » ingressum personis, de quibus in precibus iuxta petita, in casu » gravis infirmitatis educandarum, ita ut recto tramite, et comi- » tantibus duabus senioribus etc. »

« III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui » consilio, aut auxilio Sacrae Congregationis indigeant. »

Summarium. 123. Quid veniat nomine abusus. De nonnullis speciatim abusibus agendum assumitur. – 124. Abusus est consuetudo vitae privatae, quem evellere Summi Pontifices, et SS. Dominus Noster omni tempore studuere. – 125. Quomodo obstaculum, quod persaepe livella obiiciunt, superari possit. – 126. Obstaculum ex tenuitate redituum, et monialium repugnantia quomodo Bened. XIV. tolli posse suadeat. – 127. Abusus est, ut aliquo in festo a monialibus in particulari sumptus perferantur, vel si nomine monasterii fiant, nimium sint immodici. – 128. 129. S. Congr. Episc. et Regul. encyclicae hac de re literae pro Italia et insulis adiacentibus. – 130. Abusus est, ut novitiarum dos non restituatur, si professionem nolint, vel nequeant emittere. – 131. Abusus est, ut in ecclesia monialium exteriori parochiae erectae adsint. – 132. Abusus est, ut in exponendo Sanctissimo Sacramento prius monialibus in interiori choro, postea populo publice benedictio impertiatur. – 133. In monialium ecclesiis sodalitia laica institui non debent. – 134. Confessario cum participatione Praelati Ordinarii, non directori, competit monialibus licentiam dare, ut se communicent diebus a regula non praescriptis. Pro retentione clavis tabernaculi standum est decreto Sacrae Congr. Episc. et Regul. – 135. Viri neque ad crates, neque ad fores monasterii educandas docere debent musicam. – 136. Regulares non possunt esse cappellani monialium, nisi certis cautelis adhibitis. Onera Missarum Regularibus iniuncta a testatoribus alibi transferri debent. – 137. Cadavera sepeliri nequeunt in ecclesiis monialium, neque etiam sepulchra construi. – 138. Moniales pro collocutorio uti nequeunt confessionario, neque rota, aut cratibus ecclesiae. – 139. Neque possunt

dormire associatae. – 140. Neque musice canere etiam in ecclesiis interioribus. – 141. Abusus non est, quod moniales officia propria dioecesis loci non recitent, exceptis aliquibus casibus. Abusus non est quod prius professa praecedat prius receptam. – 142. Qui plura minutatim cupiat, adeat Ferrarium et Crispinum necnon Pignatellium.

123. Sub hac paragrapho cadit quidquid a sacris canonibus, Apostolicis Constitutionibus, Concilio Tridentino, sacrorum canonum interpretibus et universa Ecclesiae disciplina absonum et abnorme deprehenditur; id enim omne simul ac in usum ex actibus repetitis paulatim deductum fuerit, generatim abusus nomine venit. Abusus, ut plurimum, inveterata consuetudine innituntur: si quando igitur Episcopus eisdem evellendis manum velit apponere, etiamsi aliquando levibus de rebus agatur, non raro magnas in difficultates impingit. Cum enim aegerrime quisquis habitudines iamdiu susceptas exuere paratus sit, omni ratione, cunctisque viribus ita resistit ac repugnat Episcopi voluntati, ut hic in suis ad S. C. de statu dioeceseos relationibus Apostolicam auctoritatem implorare cogatur. Hinc est, quod Bened. XIII. in hac suae instructionis paragrapho, ultro ac sponte consilium et auxilium S. Congregationis exhibere non omittit. Quapropter huius argumenti tractationem omnino neglectam abire sinendum non est. Ceterum ea latissime patet, atque adeo tantum extenditur, quantum universa circa moniales sacrarum sanctionum ratio; namque, uti modo innuimus, id omne, quod contra legem invaluit, abusus appellatur. Ut igitur haec eadem materia numeris omnibus absolvi posset, universa pene canonica res circa moniales explicanda foret, quod fieri nequit. Nihilo secius, quae sint sacrorum canonum iura, aliaque ecclesiasticae disciplinae capita ex aliqua parte iam explicavimus, et plura in hac paragrapho explicaturi erimus; cetera, quibus in hac nostra elucubratione locus non fieret, penes ius commune et sacrorum canonum interpretes, qui consuetudinum quoque vim ac limitationes expendunt, communiter in promptu sunt. Rem hic tantummodo neque a nostro instituto alienam, neque lectori ingratam facturos nos esse arbitramur, si occasionem inde arripimus de particularibus quibusdam abusibus disceptandi, qui vel graviores vel frequentiores existunt, eo praesertim consilio, ut ex huiusmodi exemplis aliqua in similibus casibus norma desumi queat.

124. In primis abusus est in monasteriis consuetudo vitae privatae; namque adversatur evangelicae perfectioni, Concilio Trident., Apostolicis Constitutionibus, et Ecclesiae disciplinae, quae omnia in monasteriis vitam communem uti monasticae observantiae fundamentum posuerunt (Bened. XIV. *de Syn dioec. lib. XIII. cap. 12. num. 18.*). Itaque sacri canones numquam destiterunt insistere, ut, ubi eadem non exstaret, opportune restitueretur. Fagn. *Cap.* Monachi *n. 69. de st. Reg.* Praesertim vero hisce temporibus, quo SSmus D. N. omne studium ad restaurandam ubique regularem disciplinam impense contulit, S. C. Episc. et Regul. curam hanc restituendae in monialium coenobiis vitae communis magis magisque excitat et urget. Nec frustra: nam experientia compertum est, non paucos Episcopos, quemadmodum ex eorum relationibus colligitur, id assecutos esse, ut suae dioecesis monasteria, in quibus vita privata erat in usu, ex magna parte alacriter vitae communis rationem resumerent. Ex his, quae diximus, satis apparet, loqui nos de monasteriis proprie dictis, minime vero de illis piis mulierum Institutis, quocumque nomine veniant, ubi vota solemnia non emittuntur, et peculiaribus suis constitutionibus utuntur.

125. Non infrequenter quidem hac in re Episcopi magnos in scopulos illidunt, qui profecto caute prudenterque superandi sunt. In primis occurrunt *livella* ut vocant, seu praestationes, quae monialibus in peculiari obveniunt ex propriis familiis, aliisque quibuslibet sive ex testamenti, seu donationis titulo pensitationibus, quae fortasse alicui moniali debentur. Sed enim, si accurate serventur ea, quae super hac re ad sartum tectumque servandum paupertatis votum, simulque aequitatem sequendam sancita sunt, non erit difficile hoc impedimentum declinare. S. C. Conc. anno 1586. responsum praebens postulatis cuiusdam in Indiis Episcopi (*Lib. 4. decret. pag. 114. a tergo* penes Bened. XIV. *loc. cit. n. 20.*) hanc addit definitionem: « An monia-» niales privatim possint habere aliquos reditus pecuniarum, sive » aliquos census relictos et legatos ab aliquibus consanguineis, » vel aliis personis pro earum subventione? » Sacra etc. respondit: « Non posse, sed omnia ad manus Abbatissae deferri opor-» tere, quae in primis illius monialis necessitatibus debeat pro-» videre. » Item in *Vallisolitana* 1601. (*lib. 10. decret. pag. 11. a tergo*) S. Cong. respondit: « Regularibus, sive viris, sive mu-

» lieribus non licere quidpiam proprium possidere, sed quidquid » acquisiverint, et ex donatione vel eleemosyna a parentibus, vel » aliunde obtinuerint, recta ad manus Superioris esse deferen- » dum, qui prius prospicere debebit necessitatibus illius, cuius » opera, vel contemplatione partum fuerit, et reliquum in totius » monasterii usum convertere. » Qui de livellis plura desiderat, Ferrarium verbo *Moniales art. 2. a num. 65. ad sequent.* nequaquam adire praegravetur.

126. Aliud obstaculum gravioris momenti offenditur ex rei oeconomicae angustiis; aliquando enim monasterii reditus pares non sunt sustinendis omnibus impensis, quae ad servandam communis vitae rationem necessaria sunt. Alterum etiam obvium saepenumero fit impedimentum ex monialium, praesertim aetate provectarum, repugnantia. Itaque Bened. XIV. *loc. cit. n. 21.* antequam manus vitae communi instituendae adhibeatur, rem diligenter pertentari monet, et ut « in primis (ita ipse) annuus » monasterii census supputetur, ut compertum fiat, an necessa- » riis omnibus eiusdem expensis sufficiat; deinde ne minis atque » terroribus, sed hortationibus et spiritualibus exercitiis revocen- » tur moniales ad exoptatam collapsae disciplinae instaurationem: » audiantur prius omnes et singulae, non quasi ipsarum in id » colligantur suffragia, vel consensus exquiratur, sed ut earum- » dem exploretur animus, et deprehendatur, an, et quae huius- » modi reformationi libenter acquiescant, aut contra obluctentur, » et quo in numero recenseantur illae, quae aetate aut auctoritate » graviores habentur. Id omne colligitur ex pluribus responsis » a duabus Congregationibus Episc. et Regul. atque Concilii » datis ad postulata Episcoporum, qui ab ipsis consilium opem- » que implorarunt, ut propositum, quod meditati fuerant, inve- » hendae in monasteria suarum dioeceseon vitae communis, ad » optatos exitus possent perducere. » Post haec addit Pontifex, quod si ex instaurata illico vita communi maiora praetimeantur incommoda, in praesenti supersedere satius sit: at nihil Episcopus debet intentatum relinquere, et nunquam cogitationes et curas dimittere, ut, remotis obstaculis, quamprimum quod modo effici nequit, ad effectum feliciter, oblata opportunitate, perducatur.

127. Alius abusus est, ut moniales in peculiari sumptus, qui ad aliquem diem festum celebrandum, vel qualibet alia occasione

fiunt, de suo aere ipsae sustineant; vel etiam ut isti sumptus, tametsi a monasterio peracti, ita profusi atque ingentes existant, ut oeconomica domus religiosae res non parum detrimenti patiatur. Quod pertinet ad Italiam et insulas adiacentes, non semel S. C, Episc. et Regul., auctorantibus Pontificibus, hanc in rem encyclicas literas locorum Ordinariis perscripsit. Iuvat hic eas afferre, quas die 26. Ian. 1742., sedente Bened. XIV., repetivit: « Quam» vis iam alias et praesertim die 28. Iulii anni 1708., haec » S. Congregatio ordinaverit, ut expensae occasione festorum » officiorumque, quae a sanctimonialibus fiunt, ex reditibus mo» nasteriorum desumerentur, nihilominus ad Sanctissimum D. N. » pervenit, in multis conventibus eas a singularibus monialibus » ex propriis earum facultatibus fieri. Quoniam vero ex tali agendi » ratione multa eaque gravia provenire possunt inconvenientia, » uti sunt distractiones in orationibus divinisque officiis, occasio » cum saecularibus nimis frequenter tractandi et alia quaecum» que regularum inobservantia, sollicitudo pecuniae acquirendae » cum periculo contrariandi voto paupertatis, necnon proprios » gravandi consanguineos, qui, ne gravibus iisque iteratis sub» iaceant sumptibus, puellas alias, licet ad vitam monasticam » vocatas, in monasterio collocare interdum recusant; Sanctitas » Sua, quae indefesso zelo Apostolico assidue id agit, ut totius » christianitatis bonum spirituale promoveat, cuique singulari » curae est, ut sacrae virgines, Iesu Christi gregis nobilissima pars, » magis magisque in via perfectionis proficiant, ordinavit, ut statuta » circa hanc materiam alias facta innoventur eorumque urgeatur » exsecutio. Quapropter necesse erit, ut Excellentia Tua sub formali » sanctae obedientiae praecepto omnibus Abbatissis, Priorissis, » vicariis, camerariis, sacristanis aliisque earum officialibus in» terdicat, ne festorum officiorumve occasione ullas expensas » faciant, neve quidquam doni, licet parvi valoris, monialibus, » aut novitiis aut etiam ipsarum superioribus etsi regularibus, » confessariis, deputatis, factoribus aliisque officialibus, aut de» nique ecclesiae vel sacristiae impertiant; sed quilibet sumptus » in supradictis occasionibus ex ipsorum monasteriorum proven» tibus faciendus erit. Quae ne nimium aggraventur, tam prio» rissis, quam deputatis, syndicis atque oeconomis uniuscuius» que monasterii iniunges, ut, singulorum statu considerato, pro » expensis supra memoratis ratam aliquam summam determi-

» nent, quae a Te examinanda et approbanda erit, ut propria, » conveniens parque sit reditibus. Porro si quod esset mona- » sterium tam tenuibus dotatum proventibus, ut, quamvis quae- » libet moderatio observetur, hoc onus sustinere nequiret, Excel- » lentia Tua praecipiet, ut, quidquid monialibus opus erit pro » expensis necessariis, iis subministretur de deposito proveniente » ex censibus et pensionibus, et quod supererit, pro determinatis » istis expensis adhibeatur, sicuti per alias literas encyclicas » diei 25. febr. 1709. declaratum fuit.

128. » Ut vero quod hic praecipitur perpetuo observetur, » expresse praecipies, ut, quoties novae Abbatissae electio fiat, » in capitulo, quae praesentes literae continent, legantur. In- » super declaratur in votis esse Sanctitatis Suae, ut a quolibet » monasterio, etsi exempto, privilegiato, privilegiatissimo et spe- » ciali digno mentione, etiam S. Sedi vel domibus Oblatarum » immediate subiecto, licet ad clausuram non obligato, totum » hoc ita inviolabiliter observetur, ut in casu violationis poena » privationis officii vocisque activae ac passivae ipso facto in- » curratur ad arbitrium S. Congregationis duratura.

129. » Tuae ergo pastoralis sollicitudinis erit, curare, ut quid- » quid praecipitur, exacte observetur, neque graviter feres, quid » in posterum actum fuerit, significare. Maximas Tibi a Deo » exopto prosperitates. – Romae, 26. Ian. 1742. – Uti frater » demus Card. Firrao – C. Archiep. Damiat., Secr. »

130. Abusus est, quod novitiarum dos non restituatur a monasterio, si novitia professionem nolit vel nequeat emittere. Nam Episcopus Eugubinus S. Cong. Conc. exposuit, ex antiquissimo usu in monasterio monialium Capucinarum eleemosynas dotales non restitui, etsi puellae professionem noluerint emittere, vel intra annum probationis obierint; itaque supplicavit pro sua instructione morem maiorum sequens, ut sibi declararetur, an id permittere posset ex causa dicti antiquissimi usus? S. C. respondit, non posse, etiamsi adsit immemorabilis consuetudo. Vide Zambon. *Coll. decret.* verbo *Monast. art. 5. num. 10. tom. 4. pag. 445.*

131. Abusus est, ut in ecclesia exteriori monialium parochiae erectae adsint; cum enim in eadem praeter alia matrimoniorum publicationes, conciones, synodalia decreta de stupris, commercioque coniugum evulgari debeant, quisque videt, haec

omnia cum studio virginitatis, quam ipsae cautissime tueri debent, nullo modo posse convenire; itaque S. C. Episc. et Regul. separationem ecclesiae parochialis ab ecclesia monialium peragi praescripsit in *Pisana* 25. Maii 1619. Caute tamen procedant Episcopi; nam si paroecia monasterii fundatione foret anterior, ita ut ex assensu parochi monialibus ecclesiae usus praescriptus fuisset, tum contradicente parocho, S. Congr. translationem paroeciae non impertiret, ut evenit in *Ianuen. Transl. par.* 29. Ian. 1724. apud S. C. Conc., et novissime penes S. Cong. Episc. et Regul. in *Alatrina Transl. et un. paroc.*, in qua, acriter partibus depugnantibus, eadem primo translationi favere visa est die 13. Martii 1840., at proposita iterum causa die 12. Martii 1841. rescripsit: « Dilata et ad mentem: mens est, quod praefinito ho» rario pro functionibus utriusque peragendis, et monito oppor» tune parocho et confessario monialium, ne quid minus congrue » eveniat, curet Episcopus, ne scandala oriantur. » In hanc eamdem sententiam S. C. C. Episcopo cuidam rescripsit in responsione, quam de relato ecclesiae statu eidem praebuit.

132. Abusus etiam est, ut in externis monialium ecclesiis, quando, exposito SSmae Eucharistiae Sacramento, benedictio danda est, prius monialibus in interiori choro, ac deinde populo in ecclesia publice adstanti impertiatur; nam S. R. C. sequens decretum Urbis et Orbis edidit die 11. Dec. 1773: « Ad aures S. R. » Congregationis delatum est, in nonnullis monialium publicis » ecclesiis tum extra, tum quandoque intra almam hanc Urbem » existentibus sensim irrepsisse abusum, ut SSmo Eucharistiae » Sacramento in earumdem monialium ecclesiis fidelium venera» tioni exposito, antequam illius fiat depositio, et confluenti po» pulo cum illo benedictionem sacerdos de more concedat, idem » sacerdos primum ac separatim benedicat monialibus in interiori » earumdem choro, sive oratorio post altare, vel alibi genuflexis, » et deinde populo in publica ecclesia adstanti: S. eadem C. ad » hanc reprehensibilem, et a sacris ritibus et Ecclesiae praxi » deviam consuetudinem radicitus convellendam praesenti generali » decreto districte prohibet illam in posterum observari, etiamsi » diuturno et immemorabili tempore ac usu convaluerit: ac prae» cepit, ut sacerdos sacram illam exercens functionem in qui» busvis ecclesiis monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint » Ordinis et Instituti, omissa speciali ac separata monialium be-

» nedictione, unicam tantum cum eodem SS. Sacramento bene-
» dictionem interessenti populo impertiatur. Die 11. Dec. 1773. »

133. In ecclesiis monialium sodalitia laicorum non debent institui, nam S. C. Episc. et Regul. in *Tirasonen.* 9. Nov. 1595. ita rescripsit: « Non placet S. Congregationi, ut in monasteriis
» monialium sub quovis titulo instituantur confraternitates laico-
» rum, ad tollenda quamplurima, quae exinde oriri possunt, in-
» commoda: imo praecipit, ut erectae tollantur, secus transfe-
» rantur. » Crisp. *Visit. Past. Par. II.* §. *42. num. 17.*

134. Monasterii directori minime (neque Superiorissae) bene vero confessario, (ipsique soli) competit dare licentiam sanctimoniali, ut sacram Eucharistiam sumat diebus, quibus eamdem sumere praescriptum non est. Pro retentione clavis parvae fenestrae, per quam S. Eucharistia dispensatur, servandum est decretum S. C. Episc. et Regul. diei 15. Septemb. 1617., quo demandatum fuit, ut duae adessent claves eiusdem parvae fenestrae, una interior, et alia exterior, utque clavis ianuae interioris semper retineretur ab Abbatissa, et clavis ianuae exterioris a confessario, et quod parva fenestra non aperiatur, nisi occasione sumendae Eucharistiae vel dandi habitum seu velum alicui novitiae aut consecrationem alicui moniali, aut Confirmationem alicui personae in monasterio degenti. Nam in *Ianuen.* (in cuius folio refertur illius decreti tenor super utroque articulo) duo proposita sunt dubia in S. C. C. die 14. Apr. 1725. per hasce formulas: « 1. An, et cuius de licentia Eucharistiam re-
» cipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies
» statutos a constitutionibus, vel a consuetudine monasterii, ut
» in illis omnes moniales communicent? 2. Quomodo se gerere
» debeat Superiosissa monasterii circa retentionem clavis parvae
» fenestrae, per quam sumitur a monialibus Eucharistia? Ad 1.: De
» licentia confessarii ordinarii, et non directorum, praevia parti-
» cipatione Praelati ordinarii. Ad 2.: Servandum esse decretum
» S. C. Episc. et Regul. 15. Sept. 1617. » (*pag. 130. et 148. tom. 3. Resol. S. C. Conc.*).

135. Nefas est, quod viri sive ad crates, sive ad fores monasterii musicam tam vocalem, quam instrumentalem sanctimoniales aut educandas edoceant: et si forte aliter fiat, Ordinarii in monasteriis omnibus sive sibi subiectis, sive exemptis hunc abusum de medio tollere debent. S. Cong. Episc. et Regul. in

*Neapol.* 8. Nov. 1604., *Mutinen.* 25. Apr. 1606. apud Crisp. *loc. cit. num. 63.* Tantummodo haec res permitti potest ad tempus, donec videlicet aliquae ex monialibus musicen ita addiscant, ut alias hanc artem edocere calleant, adhibita tamen cautione, ut magister maturae sit aetatis, et moribus integris instructus. S. Cong. Episc. et Regul. in *Parmen.* 25. Apr. 1513. Crisp. *loc. cit. num. 64.*

136. Abusus est, quod Regulares inserviant pro capellanis in monialium ecclesiis: id enim non permittitur nisi in casu magnae penuriae sacerdotum saecularium, et tunc Religiosus deputandus de consensu sui Superioris debet esse aetate ac moribus gravis, nec tractare nec loqui potest cum monialibus; S. C. Episc. et Regul. in *Sulmonen.* 27. Apr. 1604., *Parmen.* 14. Iul. 1607. apud Ferraris verbo *Moniales art. 6. numero 15.* Quod si Religiosus iste extra coenobium hac de causa habitare deberet, insuper Apostolica ad hoc venia necessario indigeret. Unde si Regularibus ab aliquo testatore reperiatur iniunctum onus celebrandi in monialium ecclesiis, tale onus potest, imo debet transferri ad eorum ecclesiam vel alibi, prout laudando S. C. Episc. et Regul. rescripsit Patriarchae Veneto 15. Iul. et 8. Aug. 1592. apud Monac. *Formul. Leg. tit. 11. form. 23. n. 2.*, Ferraris *l. c. n. 16.* Si tamen onus Missarum iniunctum fuisset in monialium commodum, tum consultius videtur, si Regulares idem onus sacerdotibus saecularibus adimplendum committant.

137. Abusus est, quod Educandae ac Postulantes, non electa sepultura, demortuae tumulentur in ecclesia monialium. *Mediolan. funer.* 1. Dec. 1856. S. C. Episc. et Regul.

Abusus est, quod in monialium ecclesiis sepeliantur cadavera saecularium absque licentia S. C., et simul monialium ipsarum. Sic pluries decrevit S. Congr. Episc. et Regul. et nominatim in *Camerinen.* 6. Mart. 1713. ponente Emo Corsini, quin aliquid obstet contraria consuetudo. Vide Ferraris *loc. cit. n. 19.*, ubi multas alias etiam in id declarationes allegat. Licentia S. Congreg. requiritur etiam pro construendo sepulchro in monialium ecclesia; S. Congr. Episc. et Regul. in *Ferrarien.* 13. Iul. 1604. Et concedi solet personis benemeritis, vel cum competenti eleemosyna; S. Cong. Episc. et Regul. *Messanen.* 6. Aug. 1713. ponente Emo Corsini. Et tunc officium facit parochus usque ad

portam ecclesiae et non ultra; S. C. Episc. et Regul. *Observantium.* 5. Iun. 1615. Ferraris. *loc. cit. n. 22.*

138. Abusus est, quod moniales utantur confessionario pro collocutorio; sic expresse S. C. Episc. et Regul. de mandato Clementis XI. *Ep. encyc.* 30. Octobr. 1706., item quod eumdem in usum utantur fenestrella Communionis, eadem *Ep. encycl.;* item nec uti possunt rota vel cratibus in ecclesia existentibus. S. C. Episc. et Regul. in *Eugubina.* 22. Sept. 1651. Vide Ferraris *loc. cit. n. 28. et 29.* necnon *n. 39. et 40.*

139. Abusus est, quod moniales dormiant associatae; S. C. Episc. et Regul. 21. Maii 1615. Ferraris *loc. cit. n. 57.*

140. Abusus est, quod in ecclesiis etiam interioribus moniales canant musicam lingua vernacula, quantumvis cantiunculae et verba spiritualia sint: id proinde Episcopus potest prohibere, sicuti potest in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis, non obstante quacumque contraria consuetudine, ut censuit S. C. Rit. in *Hispalen.* 3. Sept. 1695. et 24. Novemb. 1696. Emo Colloredo referente in respons. ad 4.; quia cantus huiusmodi est contra ritum Ecclesiae. Ferraris *l. c. n. 63.*

141. Non est abusus, quod moniales aliqua officia dioecesum, in quibus inveniuntur, recitare non debeant. Nam apud Gardell. statuitur, quod « Moniales locorum Ordinariis subiectae non tenen» tur recitare officia particularia dioecesum, tenentur tamen re» citare de patrono principali loci, et de titulari ecclesiae cathe» dralis, necnon de eiusdem ecclesiae dedicatione, non vero de » eorumdem festorum octavis, nisi id specialiter ipsis indultum » fuerit ex vi concessionis Apostolicae, vel propriae constitutionis » ab Apostolica Sede approbatae. 22. Aug. 1744., *Ianuen.;* item » 20. Nov. 1683. in *Lauden. ad 6.* »

142. Item non est abusus quod prius professa praecedat prius receptam, nam penes Gardell. legitur: « Prius professam, licet » postea receptam, praecedere debere prius receptae censuit ea» dem S. C. Rit. 11. Novemb. 1641. *Nullius Altaemurae.* »

Si quis minutatim multa cognoscere cupiat, quae abusum redolent circa regularem sacrarum virginum disciplinam, ac praesertim clausurae sive materialis sive formalis custodiam, adeat Ferraris. *loc. cit.* et Crispin. *Vis. Past. P. II.* §. *42.*, necnon Pignat. *Tom. 6. Cons. 85.*

« IV. An praeter ordinarium confessorem, alius extraordina-
» rius ab ipso bis, aut ter in anno fuerit oblatus. »

Summarium. 143. Unus confessarius pro quolibet monasterio eligi debet. – 144. Hic agitur solummodo de confessariis monasteriorum non exemptorum. – 145. Deputatio confessariorum distinguenda est ab eorum approbatione. In monasteriis non exemptis utraque competit Episcopo. – 146. Nonnulli autumant sustineri consuetudinem, ut moniales possint eligere confessarium, dummodo sit ex approbatis ab Episcopo, salvo iure Episcopi eum confirmandi. – 147. S. C. Episc. et Regul. statutum comprobavit, ex quo Superiorissa confessarium et directorem Episcopo proponebat. – 148. Confessarii munus in monasteriis atque etiam in conservatoriis ultra triennium non durat. Sed Patres Dominicani et Cassinenses non ultra biennium. – 149. Confessarius provisorius in ordinarium eligi potest. – 150. Confessarius ordinarius ex dispensatione confirmatus iterum ac tertio nominari non potest. – 151. Confessarius ordinarius et extraordinarius debet esse 40 annos natus. – 152. 153. 154. Confessarii et capellani monialium possunt in earum ecclesiis celebrare Missas iuxta earumdem ritum, sed cum Missali Romano et de Communi. Idem dicendum de iis, qui ex debito ibidem celebrant. Quid de confluentibus ex devotione ad earum ecclesias. – 155. 156. 157. Vicarii Generales confessarii monialium esse nequeunt; neque etiam parochi et canonici, si eorum ministerio notabile detrimentum obveniat; neque Regulares, excepto casu penuriae confessariorum. Quando confessarii clausuram ingredi possint. – 158. Eorum habitatio monasterio vicina, non contigua esse debet. – 159. Confessiones ex sede confessionali in ecclesia exteriori excipere debent. – 160. Confessarii congruam pensionem iuxta loci morem, nequaquam alia munera accipere possunt. – 161. Confessariorum pro conservatoriis deputatorum iurisdictio restringitur ad solas feminas ibi commorantes et hospites. Quae iurisdictio non cessat, etsi confessiones ipsi extra conservatorium excipiant. – 162. Exspirato triennio incurrit suspensionem, si earumdem confessiones excipiat, etiamsi agatur de conservatoriis. – 163. Circa confessarios extraordinarios Constit. Bened. XIV. recolenda est. – 164. S. C. Conc. in *Mazarien.* declaravit, Episcopum benedictionem Apostolicam impertiendi in articulo mortis facultate praeditum, circa moniales non teneri eam committere confessario ordinario, sed ei licere ad eam impertiendam monasterium ingredi; et comitandum esse a confessario, et uno probo sacerdote per Episcopum eligendo; Episcopum et confessarium tum ordinarium, tum extraordinarium, servatis servandis, posse ingredi monasterium, quando arcessantur ab aliqua moniali infirma, quae ex devotione confiteri velit; examen facultatum concedendi habitum Re-

ligionis mulieribus collegialiter non viventibus, pertinere ad Sedem Apostolicam; examen conditionum quoad mulieres vestiendas, et licentiam vestiendi pertinere ad Ordinarium, et conditiones vestiendarum esse expressas in generalibus decretis alias editis, et haec decreta esse omnino servanda. An confessarii ordinarii, durante deputatione confessarii extraordinarii, ad monasteria possint accedere. An ipsum facere possint confessarii extraordinarii, exspirata deputatione, sive ii sint Regulares, sive saeculares. Affertur resolutio ex oraculo ipsius Benedicti XIV elicita.

143. Ad observantiam regularem in religiosis sacrarum virginum domibus conservandam, pietatem fovendam, ac mutuam charitatem firmandam, nihil magis conducere posse videtur, quam sacri illius administri opera et consilium, qui earumdem confessionibus excipiendis, atque animis moderandis praepositus est. Cum enim singulae sanctimoniales cunctas vitae suae actiones ad normam consiliorum, quae ex eiusdem ore acceperint, conformare debeant, si idem ille sacerdos prudentiae, discretionis, pietatis, aliarumque virtutum laude exornetur, metuendum non est, ne disciplinae vigor elangueat, tepescat pietas, ac discordia animorumque perturbatio dominetur. Itaque Summi Pontifices, quos nulla unquam fugit disciplinae ecclesiasticae pars, in hoc impensissime elaborarunt, tum ut *consultissima illa* (ut verbis utar Bened. XIV. in exordio Constit. *Pastoralis curae*) *et veteris disciplinae auctoritate roborata lex* sancte religioseque custodiretur, *qua generaliter statutum esse cognoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat,* tum ut nulla cura et solertia praetermitteretur, quo huiusce ministerii munus in virum cadat, in quo *aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen* minime deficiant; *quas quidem dotes* (ait idem Pontifex in memorata Constit. §. *Iamvero*) *in eo, qui ad huiusmodi munus adhibeatur, necessarias esse omnes fatentur.*

144. Mirum itaque non est, quod Benedictus XIII. de rebus, quae ad moniales pertinent, rationem ab Episcopis exquirens, peculiariter de confessario sive ordinario, sive extraordinario S. Congregationem Concilii certiorem fieri praecepit. De quo dum ea, quae in praesenti Ecclesiae disciplina sancita sunt, pro nostro instituto exponere nos accingimus, praemonere debemus, in hac paragrapho ea dumtaxat nos attingere, quae ad monaste-

riorum Episcopo subditorum confessarios pertinent; namque de confessariis, qui monasteriis exemptis praeficiuntur, iuxta ordinem, quem sequimur Benedictinae Instructionis in paragrapho huius capitis septima, erit disceptandi locus.

145. Nemo nescit, confessarii deputationem, seu electionem separatam ac distinctam esse ab approbatione, de qua agunt Tridentini Patres *Sess. 23. cap. 15. de Reform.*, quamque necesse est, sacerdotes sive saeculares, sive regulares ab habente potestatem episcopalem aut quasi-episcopalem obtineant, ut Poenitentiae Sacramentum valide exercere valeant. Sed si agatur de monasteriis Episcopo subiectis, utraque Episcopo competit; neque enim communitates monialium confessarium eligendi et deputandi potestatem habent; ita S. Congr. Episc. et Regul. in *Lauretana* 20. Sept. 1588. *Tusculana* 25. Oct. 1601., *Regien.* 4. Sept. 1602., *Vallisolitana* 26. Octobr. sine anno apud Ferraris verbo *Moniales art. 5. n. 1.*

146. Quaeri potest, an ex consuetudine, vel lege fundationis ius eligendi confessarium ad monialium communitatem pertinere queat, veluti asserit tueturque Zipaeus *Constit. can. lib. 3. tit. de reg. Constit. 3. n. 7.* Ad consuetudinem quod attinet, auctor Add. ad Ferraris verbo *Approbatio art. 3. in fin.* scribit, disputatum fuisse in S. C. Episc. et Regul.: « An moniales (ita ille) » ex consuetudine eligere in confessarium valeant aliquem de » approbatis ab Episcopo, fierique ab ipsis haec electio possit » absque interventu Episcopi vel alterius ab ipso destinandi, et » demum teneatur Episcopus confessarium ab iis electum confirmare; resolutumque fuit, posse moniales vigore consuetudinis » eligere in confessarium aliquem ex approbatis ab Episcopo, modo » tamen approbatus ille sit pro monialibus; et electionem fieri » posse ab iis absque Archiepiscopi vel eius deputati interventu, » et teneri Episcopum confessarium electum confirmare, quatenus » non adsit legitima causa non confirmandi. » Consulatur *Brundusina* Ianuarii 1754. et Februarii 1755. *ad 1. 2. et 3. dubium*, quae per extensum afferetur infra ad *num. 183.*

147. Ad secundam partem quod attinet, novissime S. C. Episc. et Regul. in approbandis constitutionibus Instituti Brixiensis *Ancillarum charitatis, constit. cap. 26.* §. *3.* die 22. Dec. 1850., hanc dispositionem suo calculo comprobavit: « Superiorissa pro » sollicitudine, quam de communitate gerere debet, Ordinarium

» exorabit, ut sive spiritualem directorem sive confessarium de» putet illum virum, quem, auditis consiliariis, eidem proponet, » quatenus eum aptum ipse iudicaverit. » Item in constitutionibus Instituti nuncupati a *Sanctissimo Corde Iesu* Bergomen. anno 1847. approbatis, et per Apostolicas Literas a SSmo D. N. die 13. Nov. eiusdem anni, incipien. *Cum maxima,* confirmatis, permissum *fuit (pag. 189. earumdem constitutionum Romae typ. Prop. Fid. 1847.)* ut Superiorissa confessarium ordinarium et extraordinarium cum dependentia Ordinarii nominare posset.

148. Confessarii monialium in suo munere uno tantum triennio perdurant, quo elapso, non possunt amplius per aliud tempus audire confessiones in eodem monasterio absque venia S. C. Episc. et Regul., in *Veronen.* 15. Febr. 1593., *Neapolitana* 26. Nov. 1602., non obstante contraria consuetudine, et *Mechlinien.* 10. Martii 1634.; aliter declarantur suspensi ab excipiendis confessionibus; S. Congr. Episc. et Regul. *Comen.* 4. Martii 1591. *Ragusina* 2. Oct. 1626. et 27. Martii 1647. et saepe alibi apud Ferraris verbo *Moniales art. 5. n. 19.* Confessarii vero Dominicani et Cassinenses non possunt durare in huiusmodi officio audiendi confessiones monialium, nisi per biennium ex eorum constitutionibus; S. C. 17. Novembr. 1645., 8. Iunii 1647. Ferraris *loc. cit. n. 20. et seq.,* Pignat. *tom. 6. Constit. 85. n. 238.*

149. Si tamen ageretur de electione minime ordinaria, sed tantum provisoria, qua videlicet aliquis confessarius in supplementum confessarii ordinarii adsciscerétur, qui forte vita interim functus fuisset, aut alia quacumque de causa usque ad triennii finem officium suum obire non potuisset, tum communior doctorum sententia docet, confessarium provisorium in ordinarium eligi deputarique posse. Vide Ferraris *loc. cit. n. 22.* et de Alexandris *Conf. mon. cap. 6. §. 6. qu. 3. et alios.*

150. Aliter vero sentiunt communiter doctores de confessario, qui ope dispensationis post primum triennium alterum suscipere permissus est. Hic enimvero tertium triennium prosequi prohibetur, et argumentum desumitur ab Abbatissa, de qua declaravit S. Congreg. deputata ab Innoc. XII. pro causis Congregationis Cassinensis 26. Februarii 1694. in responsione ad 5., non posse eamdem absque Apostolica venia tertio triennio illud ministerium retinere, postquam videlicet in primo triennio ordinario modo, et in altero ope dispensationis Abbatissae munus obiverit. Vide

Ferraris *loc. cit. num. 23.* et plenius *in Add. ex alien. man. ibidem n. 2. et seq.*

151. Pro confessariis monialium, quamvis de iure communi satis sit aetas ad sacerdotium requisita, ut patet de parochis, qui statim ac ad sacerdotium ascenderunt, grandiore aetate non expectata, suarum ovium utriusque sexus confessiones excipiunt, nihilominus S. Congreg. Episc. et Regul. in una *Venetiarum* 2. Maii 1617. et 6. Iunii 1620. statuit, confessores monialium debere esse in aetate supra quadraginta annos; quod pro confessoribus Ord. Min. de Observantia statuunt etiam eorum peculiaria statuta, quae audiunt *Sambucana*. Idque etiam pro confessariis extraordinariis observandum esse suadet Constitutio specialis pro Reformatis apposite sancita a S. C. Conc. in *Consentina* 26. Novembr. 1680. *(lib. 39. decret. pag. 340.)*. Et iuxta encyclicam diei 3. Martii 1703. de mandato SSmi Ordinariis Italiae et insularum adiacentium conscriptam, monialium confessarii debent esse provecti, prudentes, zelo flagrantes, et vita exemplari conspicui. Ferraris *loc. cit. num. 49.*

152. Confessarii et capellani monialium possunt celebrare Missas Sanctorum, de quibus ipsae recitant officium. Namque penes Gardellinium leguntur eae, quae sequuntur, declarationes *num. 3588. Venetiarum.* « Ex parte monialium Ordin. Capucinarum civitatis Venetiarum humiliter S. C. R. supplicatum fuit » pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. » An sacerdos capellanus monialium Capucinarum ab ipsis » institutus, et ad earum commodum celebrans posset celebrare » Missam iuxta ritum officii earumdem Capucinarum?

2. » An sacerdotes confluentes ad earumdem monialium ecclesias devotionis gratia possint celebrare Missas de Beatis non » canonizatis ipsarum monasteriis concessas?

3. » Et quatenus negative ad 2., quae Missa, et quo colore » illa die in ecclesiis praedictarum monialium a sacerdotibus confluentibus celebranda sit?

» Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

» Ad 1. Affirmative, dummodo tamen celebret in ecclesia » praedictarum monialium, et utatur Missali Romano.

» Ad 2. Negative, inconsulta S. C.

» Ad 3. Missam celebrandam esse a confluentibus de die, et » se conformare debere proprio officio, quatenus color paramen-

» torum ecclesiae monialium, in qua celebratur festum, sit idem, » nec disconveniat. Secus vero alibi celebrandum. Et ita decla- » ravit die 11. Iunii 1701. »

Haec declaratio data fuit etiam circa Dominicanas in *Corduben.* die 20. Septembr. 1806. *ad dub. 2. et 13.* et habetur apud Gardellinium praelaudatum, licet Missa de Sancto, de quo moniales officium recitant, sit inferioris ritus Sancti, de quo capellanus privatim ad tenorem calendarii dioecesani officium recitat.

153. Quod privilegium extenditur etiam ad omnes, qui ex debito tenentur celebrare in ecclesiis earumdem monialium. In *Tarvisina* diei 11. Febr. 1702. *ad 3. dub.* apud Gardell. Hinc iidem capellani nequeunt legere Missam de Requiem, si in iis fiat duplex de non praecepto, vel de aliquo Sancto Ordinis, ad *4. dub.*

154. Apud eumdem Gardellinium sequens decretum generale legitur huius tenoris: « Supplicantibus frequenter S. R. C. ple- » risque variorum Ordinum monialibus, ut confessario et capel- » lanis earumdem servitio addictis facultatem celebrandi Missam » Sanctorum, de quibus praedictae moniales officium recitant, » benigne impertiri dignaretur, S. eadem Congr. ad occurrendum » his et similibus instantiis praesenti decreto generali declarat: » Licere imposterum tum confessario, tum capellanis tantum qua- » rumcumque monialium servitio addictis, Missas Sanctorum, de » quibus ipsae recitant officium, celebrare, sed cum Missali Ro- » mano, et de Communi, non vero Missas proprias eorumdem » Sanctorum variis Ordinibus a S. C. concessas. Et ita decrevit, » et servari mandavit die 20. Nov. 1717.

» Factaque deinde per me Secretarium de praedictis SSmo » D. N. relatione, S. S. benigne annuit et praefatam S. C. reso- » lutionem confirmavit die 1. Dec. 1717. »

Item apud eumdem Gardellinium sub num. 4468. *Conimbricen.* ad hoc dubium 3.: « An capellani, qui in ecclesia praedicta (mo- » nialium Ord. S. Francisci SSmi Sacramenti de Laurizal) iuxta » ritum monialium quotidie Missam celebrant, possint officium » monialium recitare? S. C. respondit: – Negative. – Et ita de- » claravit atque servare mandavit die 21. Martii 1795. »

155. Vicarii Generales munus confessarii monialium obire nequeunt, quia moniales de ipsis non confiderent; S. C. Episc. et Regul. *Sorana* 23. Iulii 1581., *Matinen.* 3. Febr. 1597. apud

Ferraris *loc. cit. n. 24.* Neque parochi, si exinde cura animarum notabile detrimentum pateretur; eadem S. Congr. in *Venetiarum* 26. Iulii 1524., *Parmen.* 7. Martii 1652., *Taurinen.* 2. Augusti eiusdem anni, apud Ferraris *loc. cit. n. 25.*, ac recentius in *Rossanen.* 7. Iulii 1780. – S. C. Episc. et Regul. noluit omnino parocho copiam facere, ut confessarii monialium munus susciperet; neque Minores Conventuales, quibus id prohibitum fuit a S. Pio V. eadem S. C. *Ordonen.* 30. Iulii 1599., *Neapolitana* 20. Martii 1621. Ferraris *loc. cit. n. 26.* Et generaliter Regulares non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium Ordinario subiectarum; S. Cong. Episc. et Regul. *Pistorien.* 16. Maii 1653. (Ferraris *loc. cit. n. 27.*). Eadem tamen S. C. Episc. et Regul. accedente penuria confessorum saecularium, veniam non denegat, ut huic muneri etiam Regulares praefici queant, veluti colligitur ex duabus epistolis ab eadem S. Congr. Patriarchae Veneto missis, una 11. Maii 1618., altera die 7. Iulii 1620., de quibus mentionem facit Tamburinus apud Ferraris *loc. cit. num. 29. in fin.*

156. Item quod supra dictum est de parochis, qui non possunt confessarii munus perferre, si exinde notabile animarum cura detrimentum capiat, idem dicendum de canonicis, ac praesertim de poenitentiario, si ea de causa chorale servitium negligi contingeret. Consule Ferrarium *loc. cit. n. 30. ac 31*, ubi ad rem plures S. Congr. Episc. et Regul. declarationes in confirmationem allegat. Adde quae idem subiicit sub *n. 84.*, ubi duas epistolas Vicario Alexandrino a S. Congr. Episc. et Regul. die 22. Maii 1755. et die 13. Iunii eiusdem anni datas exscribit, quibus mandat, ut Regulares a munere confessarii monialium, sine strepitu tamen, amoveantur, atque, in defectu sacerdotum saecularium, qui huic muneri sint idonei, accedente venia S. Congr. non solum Regularibus, sed et canonicis ac parochis onus, de quo loquimur, assumere liceat, dummodo tamen eidem oneri, unaque et muneri canonicali vel parochiali satisfacere commode queant.

157. Ad canonicos quod attinet, firma remanente doctrina, quam exposuimus, S. Congr. Concilii aliquando toleravit usum, ut Episcopi iisdem canonicis confessarii monialium munus committant; cum enim Episcopus quidam in sua relatione obiter renuntiasset, canonicum cathedralis confessarii monialium partem obire, ac proinde ageretur de inculcanda observantia declaratio-

num S. C. Episc. et Regul., hac in re editarum, Emus Card. Praefectus, audito oraculo Summi Pontificis, ab omni observatione supersedendum esse mandavit.

Quando liceat confessario ingredi monasterii clausuram, quaeque cautiones adhibendae sint, in §. 2. huius capitis sub n.75-88. fuse iam commonstravimus.

158. Licet habitatio confessarii monasterio vicina esse debeat, minime tamen eidem coniunctam et contiguam esse fas est; quin imo non solum per parietes, sed etiam per tecta disiunctam esse oportet. S. C. Episc. et Regul. in *Ariminen.* 21. Ian. 1566., item 19. Aug. 1578., 2. Ian. 1579., et alibi apud Ferraris *loc. cit. num. 68.* et id perspicue sancivit Alexand. VII. Constit. *Felici,* quam exhibebimus in volumine III. sub num. 55.

159. Confessarii monialium confessiones excipere debent ex sede confessionali, eaque non quidem in sacristia aut alio occulto loco sita esse debet, sed in ipsa ecclesia exteriori, ut habetur ex declaratione S. C. Conc. in *Camerinen.* 29. Nov. 1605. his verbis: « Confessionalia ex sacristiis et aliis locis occultis » removeri debent, et collocari in ecclesiis exterioribus monia- » lium. » Et in *Faventina* 7. Martii 1617. his verbis: « Confes- » sionalia monialium in exterioribus ecclesiis omnino collocentur, » et si illae in hoc renitentes fuerint, interdici debent. » Idem alias S. Congr. Conc. declaravit, ut notat Ferraris *loc. cit. n. 69.*

160. Confessario monialium certa annua pensio constituenda est, quae iuxta morem et qualitatem regionis illius victui sufficiat, eademque pensio conventui, in quo degit confessarius, si Regularis sit, persolvatur. Ceterum Ordinarii locorum interdicant sub aliquibus poenis (non tamen censurarum) non solum monialibus, ne ultra mercedem illam aliquid communiter, vel privatim eidem confessario, vel aliis quibuscumque Fratribus attribuant, sed etiam iisdem Fratribus, ne quid a monialibus etiam sponte oblatum aut donatum recipiant, S. C. Episc. et Regul. sub die 29. Nov. 1605. Quare confessarius non debet a monialibus victum dietim, nec utensilia, vel lineam supellectilem accipere, sed tantum annuam provisionem; S. Congr. Episc. et Regul. *Bononien.* 19. Iunii 1601., *Ianuen.* 28. Iunii 1603., *Recanaten.* 19. Apr. 1613. Quae merces non excedat iulios duos pro quolibet die; S. C. *Neapolit.* 27. Sept. 1652., apud Ferraris *loc. cit. n. 70.* Hanc doctrinam limitationem hodie pati posse ob aucta rerum pretia quisque videt.

161. Circa confessarios Institutorum muliebrium, vulgo conservatoria, attendenda est sequens resolutio in *Tridentina Super confessariis mulierum, quae in asceteriis morantur* (vulgo *conservatorî*).

1. « An abstrahendo a facultatibus confessariis huiusmodi » conservatoriis deputatis forte concessis, iurisdictio illorum ex- » tendatur ad quascumque feminas, licet solius confessionis causa » ad conservatorii confessionale accedentes; vel an restringatur » ad solas feminas in conservatoriis commorantes et ad hospites?

2. » An horum confessariorum iurisdictio in feminas conser- » vatorio, pro quo illi sunt destinati, adscriptas valeat, dum illae » eis confitentur extra conservatorium?

3. » An confessarii ordinarii conservatoriorum et monasterio- » rum singulis trienniis mutandi sint, etsi feminae in conserva- » toriis degentes, cum non sint stabilitate loci impeditae, iden- » tidem praesertim sorores charitatis hospitalibus inservientes » passim de una domo et loco in alium locum et domum trans- » ferantur? »

Die 29. Ian. 1847. S. C. Episc. et Regul. respondit:

« Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

» Ad 2. Affirmative, dummodo conservatorio remaneant ad- » scriptae.

» Ad 3. Affirmative, et S. C. concedit actuali Episcopo facul- » tatem confirmandi confessarium semel aut bis tantum pro sua » prudentia, servatis tamen servandis. »

162. Quod confessarii monasteriorum mutandi sint quolibet triennio sub poena suspensionis definivit S. C. Episc. et Regul. in *Comen.* 4. Martii 1591., *Ragus.* 2. Oct. 1626., 17. Martii 1647., quemadmodum vidimus paulo superius *(n.148.)*. Huiusmodi dispositionem accommodavit etiam confessariis conservatoriorum S. C. Episc. et Regul. 18. Martii 1649. Idipsum pariter resolvit in *Lucen.* 25. Iunii 1655.

163. Quod pertinet ad confessarios extraordinarios, cum consultissima adsit Constitutio Benedicti XIV. incipien. *Pastoralis curae* diei 5. Augusti 1748., in qua ille Pontifex non solum quaestiones omnes in hoc rerum genere antea subortas sua auctoritate amputavit, sed etiam providas certasque normas praestituit, quibus ceterae controversiae, quae suboriri imposterum forsitan possint, declarari ac definiri queunt, hinc satis habemus, integram

eam dare in volumine III. sub num. 32., ac ne hic repetamus ea, quae ibidem sancita sunt, eo lectorem remittendum censemus.

Post editam Constit. *Pastoralis curae* in causa *Bononien. Declar.* Constit. Bened. XIV. *Pastoralis curae* ea, quae sequuntur dubia, proposita sunt idiomate italico, ita latine conversa: « 1. An non » obstante nova Constitutione Sanctitatis Suae promulgata super » deputatione confessariorum extraordinariorum pro monialibus, » confessarius ordinarius possit licite exercere ministerium suum » etiam tum, cum actu inest confessarius extraordinarius? 2. An » confessarius extraordinarius, generalis, vel particularis, finito » tempore suae deputationis, remaneat exclusus ab omni accessu » ad monasterium, et, quatenus subsistat haec prohibitio, an haec » comprehendat solummodo extraordinarios confessarios regula- » res, an etiam presbyteros saeculares? Sanctitas Sua in audientia » Archiepiscopo Damasceno, Secretario S. C. Episc. et Regul., re- » spondere dignata est hisce, quae sequuntur verbis, nempe: » Ad 1. Esse mentem expressam Sanctitatis Suae, ut non debeat » confessarius ordinarius suum ministerium exercere, neque ad » monasterium accedere toto eo tempore, quo durat deputatio » extraordinarii generalis. Ad 2. Confessarium extraordinarium » regularem, finito suae deputationis munere, non posse amplius » accedere ad monasterium sine licentia necessaria, quandoqui- » dem obnoxius exstat prohibitioni ac poenis statutis contra Re- » gulares, non secus ac alii Regulares. Declarat autem Sanctitas » Sua, quod haec prohibitio non comprehendit presbyteros sae- » culares, quodque hi possunt, etiam exspirato tempore muneris » confessarii extraordinarii, accedere, ut antea, ad monasteria, » siquidem hac in parte nova Constitutio nihil innovavit circa » presbyteros saeculares. Mense Ianuarii 1749. » (Ex *lib. Reg. illius anni*).

164. Circa monialium confessarios recolenda est causa *Mazarien.* penes S. C. Conc. agitata, in qua sequentia dubia proponebantur:

1. « An Episcopus habens facultatem dandi benedictionem » Apostolicam constitutis in articulo mortis teneatur quoad monia- » les eam committere earum confessario ordinario, vel potius sit » in eius facultate aliquando ingredi monasterium, ut eis det bene- » dictionem. Et quatenus affirmative quoad secundam partem;

2. » An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat?

3. » An Episcopus et confessarii, sive ordinarius, sive ex-» traordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limita-» tione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro » sua devotione vult confessionem explere?

4. » Quaenam sint conditiones requisitae, ut Regulares ha-» bentes facultatem dandi habitum suae Religionis mulieribus, » non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, et » an examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum? »

Emi Patres die 10. Maii 1727. rescripserunt:

« Ad 1. Negative quoad primam partem; et ad secundam » affirmative, et ad D. Secretarium cum Emo Secretario Brevium.

» Ad 2. Debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confes-» sario monialium et uno probo sacerdote per eum eligendo.

» Ad 3. Uniantur decreta (1).

» Ad 4. Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad » Sedem Apostolicam, examen conditionum quoad mulieres ve-» stiendas et licentiam vestiendi pertinere ad Ordinarium, et » conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus » alias editis, et haec decreta esse omnino servanda. »

Notandum est, quod, reproposito tertio dubio die 5. Iulii eiusdem anni, responsum fuit: « Affirmative, servatis servandis. » Super quo legatur discursus R. P. D. Secretarii S. C. Conc. nempe Lambertini, postea Bened. XIV., qui prostat in *Thesauro Resol. tom. 4. pag. 89.*

« V. An dictorum monasteriorum reditus fideliter administren-» tur, et monialium dotes fuerint persolutae, et quomodo ero-» gatae. »

### Art. I. De administratione redituum ad monasteria pertinentium.

Summarium. 165. Quam recte Bened. XIII. de monasteriorum reditibus S. Congreg. referri voluerit. – 166. Oeconomicum monasteriorum regimen ab Episcopo pendet. Hinc S. C. Episc. et Regul. haud facile solet approbare monasteria subiecta etiam Regularibus; quin monasteriorum exemptionem relaxat, si incommoda inde oriantur. Et in huiusmodi monasteriorum redintegratione privilegia exemptionis non restituit. – 167. Quod confirmatur nupera declaratione *Nicien.*, ubi exemptionem

(1) Vide Nicol. *Floscul.* verbo *Clausura n. 23. et seq.*; vide insuper paulo inferius.

nonnisi ex gravissimis causis concessit. – 168. Confirmatur item ex causis *Civitatis Castelli,* ubi plane reiecit petitionem Capituli contendentis, ius esse canonicis poenitentiario et camerario interveniendi in monasterii directione. – 169. Episcopus autem non impeditur constituere consilium spectabilium virorum, praesertim de clero. Id confirmatur exemplo S. Caroli. – 170. Necnon ordinationum S. C. Visitationis. – 171. Contractus et instrumenta in monasteriis exemptis cum consensu privativo Abbatis, seu eius delegati absque interventu protectorum et curatorum celebrari debent. – 172. Vetitum est, ne monasteria a laicis pendeant. – 173. Recta administratio postulat, ut exitus non excedat introitum. – 174. Numerus monialium praefigendus est. Si qua ultra numerum recipiatur, non ideo professio est nulla. – 175. Numerus monialium debet esse duodecim. – 176. 177. Quae summa requiratur pro sustentatione cuiusque monialis. – 178. In monasterii reditibus lucra monialium non sunt computanda. – 179. In monasteriis, ubi numerus non est praefinitus, puellas recipere vetitum est. – 180. Numerus semel praefinitus non est variandus sine Episcopi venia. – 181. Monialis super numerum non potest admitti absque venia S. Congr. Episc. et Regul. Quas conditiones eadem apponat in huiusmodi Rescriptis. Loca monialium intra numerum promitti nequeunt ante mortem earumdem. – 182. Cetera de recta monialium administratione communia sunt cum quorumlibet aliorum locorum administratione. S. C. Conc. in *Panormitana* resolvit electionem officialium administrantium bona monialium ad Ordinarium pertinere. S. C. Episc. et Regul. in *Surrentina* perscripsit Episcopo, ne permitteret, ut officiales bonorum durarent ultra triennium, immo interdum saepius immutaret. – 183. S. C. Episc. et Regul. in *Brundusina* declaravit, electionem confessarii ordinarii et extraordinarii[1], attenta consuetudine immemorabili, spectare ad moniales, dummodo eligant aliquem ex approbatis ab Ordinario; eamdem faciendam esse a monialibus per secreta suffragia absque interventu Archiepiscopi, vel eius deputati; Archiepiscopum confessarios electos teneri confirmare, si causa legitima non obstet; item ad moniales pertinere electionem procuratorum, seu administratorum redituum ad triennium; eamdem faciendam esse per secreta suffragia absque interventu Archiepiscopi vel eius deputati; nec electos posse reprobari absque legitima causa; in casu electionis personae laicae accedere debere fideiiussionem personae ecclesiasticae; pro reelectione servandas esse constitutiones; Archiepiscopum, durante triennio, posse eos amovere iusta causa intercedente; super electione ratiocinatoris et eius qualitatibus servandas esse constitutiones; pro introductione olei, vini, aliorumque generum servandum solitum, et adhibendas necessarias cautelas; contra moniales retinentes portam apertam et alloquentes extraneos posse Ordinarium procedere, exclusa poena

censurae ipso facto incurrenda; idem dicendum de occultantibus mobilia exsecutioni vel arresto obnoxia; in contractuum stipulatione procedendum esse prout de iure.

165. Ut virgines Deo sacrae, quarum vita abscondita est cum Christo, procul a negotiis et curis libere coelesti sponso vacare valeant, illud necesse est, ut religiosae domus, ubi degunt, non solum congruo censu ditatae sint, sed earum reditus ita fideliter administrentur, ut ex his commode sustentari queant. Sed enimvero eaedem sacrae virgines negotiis, quae cuiuslibet administrationis propria sunt, sedulam accuratamque, prouti necessitas exigit, operam navare impediuntur. Itaque Summi Pontifices, cum omnium locorum piorum, tum praecipue religiosarum feminei sexus domorum tutelam ac vigilantiam Episcopis, quorum iurisdictioni subiectae sunt, saluberrimis omni tempore editis Constitutionibus enixe commendarunt. Cum igitur Episcopi de universo regimine suo episcopali rationem S. Congr. Conc. reddituri forent, iure meritoque Benedictus XIII. in sua, de qua agimus, Instructione specialiter de hoc articulo ab iisdem referri praescripsit.

166. In primis ex plena, quam Episcopi obtinent, in monasteria non exempta (de quibus duntaxat in hac paragrapho loquimur) auctoritate et iurisdictione illud sequitur, quod praeter Summum Pontificem et S. Congregationes, quae agunt nomine Pontificis, nullam aliam personam in potestate parem vel superiorem habeant, quae eorum hac in re libertati impedimentum obiicere posset. Si enim plena Episcopi non potiantur auctoritate, illud profecto fieret, (quod reapse non infrequenter accidisse constat), ut iidem tempestive et efficaciter incommodis ac malis, quae saepenumero subnascuntur, pro sua prudentia consulere praepediantur. Quocirca S. C. Episc. et Regul. in approbanda fundatione monasteriorum muliebrium difficillime permittit, ut, quamquam de Regularibus agatur, eorum subiectioni obnoxia sint; quin imo consensum fundationi, ut plurimum, dare renuit, nisi ea conditione, ut Episcopo plane subiecta sint, idque punctim de Regularibus observat Monacellus auctor rerum ad S. C. Episc. et Regul. pertinentium peritissimus, quippe qui per quatuordecim annos eiusdem officialis fuit *(Formul. Leg. tit. IV. form. 19. n. 21.* et *num. 24. ac 25.)*, ubi in confirmationem adducit *Pampilonen.* 20. Febr. 1699. et *Ulyssiponen.* mense Maii 1699. Praeterea si aliquod

ex eo, quod moniales Regularium subiectionem subeunt, incommodum oriatur, delato simplici recursu et querela mali regiminis, S. C. non dubitavit monasteria ab exemptione relaxare, eaque Episcopi iurisdictioni restituere; ut in *Malacitana* 21. Martii 1697., *Ianuen.* 24. Ian. et 13. Martii 1698., *Vicen. in Hispan.* 18. Februarii 1701. ab eodem Monacello relatis *loc. cit. n. 22.* Item si quod monasterium Regularibus obnoxium fuerit exstinctum, et iterum redintegrari contingat, redintegrationi annuit S. C. addita conditione, ut immediatae Episcopi iurisdictioni subiaceat; *Salernitana* 13. Febr. 1692., quam refert idem auctor. *loc. cit. n. 23.*

167. Hanc disciplinam S. C. Episc. et Regul. sequuta est in *Nicien. Erect. nov. mon.* 3. Sept. 1852. Cum enim quoddam monialium monasterium erigendum esset, et una cum eiusdem erigendi venia a S. C. peteretur, ut Religiosis Ordinis Carmelitarum excalceatorum moderatoribus ex lege fundationis subiiceretur, Emi Patres difficultatem in hac ipsa subiectione nacti sunt, adeoque datis ad Episcopum literis idipsum declarare mandarunt. Quoniam vero Episcopus in sua responsione suum consensum potius, quam dissensum significabat, ac insuper eiusmodi conditio in fundationis instrumento veluti substantialis apposita fuerat, atque rebus omnibus et circumstantiis inspectis, eodem Episcopo attestante, nullum incommodum ac periculum praetimebatur, Emi Patres in altera causae propositione dici 21. Ian. 1854. tandem permiserunt, ut monasterium erigendum Superioribus Carmelitis obnoxium esset. Cumque sacrae res in ea regione iam tum tristi conditione versarentur, caverunt iidem Emi Patres, ut vota simplicia in eodem tantummodo nuncuparentur.

168. Omnimodam hanc Episcoporum auctoritatem ab omni vinculo immunem nuperrime asseruit vindicavitque S. C. Episc. et Regul. etiam in *Civitatis Castelli Super iure interven.* 10. Iunii 1859. Cum enim Capitulum cathedrale contenderet, canonicis poenitentiario et camerario ius esse interveniendi in directione ac regimine monasterii Salesianarum iuxta mentem a fundatore in suo testamento panditam, et sanctimoniales exciperent, non amplius fundatori integrum fuisse, memoratos canonicos in monasterii moderandi partem advocare, postquam in fundationis instrumento, quod vivens celebravit, hanc ipse conditionem non apposuerat, S. Congr. concinnato de more dubio, auditis utrimque partibus, sua iura per suum defensorem acriter defendentibus,

Capituli petitionem plane reiecit, et ita monasterium omni ex parte iuxta sacros canones in Episcopi subiectione relictum est.

169. Nihil tamen impedit, quominus Episcopus consilium constituat spectabilium de clero et civitate virorum, qui intra facultatum limites ab eo praefinitos, et normas ab eodem praescriptas tutelam et curam suscipiant oeconomicae monasteriorum rei eorumque administrationis. Ita nimirum sese gessit S. Carolus Borromaeus, ut ex *Actis Eccl. Med. P. VIII. pag. 1270.* demonstrat formula deputationis per haec verba: « Cum ex S. Congr. » Conc. Trid. praescripto inter cetera sollicitudini atque curae » Episcoporum commissa monialium regimen etiam in tempora- » libus summopere commendetur; nos aliis gravioribus curis im- » plicati tam nostra, quam Concilii praedicti, et provincialium » decretorum auctoritate aliquos nobiles viros aetate graves, pie- » tate integritateque insignes deligere censuimus, qui protectioni, » curae, et defensioni rerum temporalium monasterii monia- » lium N. N. ad praescriptum supradictorum decretorum praees- » sent, de vestra probitate confisi vos omnes et singulos, et » vestrum quemque ad praemissam dictarum sanctimonialium » protectionem, curam ac defensionem, aliasque ipsarum neces- » sarias, quoad temporalia, provisiones eligimus et constituimus » ac deputamus etc. » Videsis folium in causa *Mediolanen.* diei 21. Maii 1736. apud S. Congr. Concilii §. *At.*

170. Item in ordinationibus generalibus, quae a S. Congr. Visitationis ex mandato Summi Pontificis prodiere anno 1626., quaeque a sanctimonialibus monasteriorum Almae Urbis observandae mandabantur (Vide Miscell. Casanatensis Bibliothecae ad Minervae fol. vol. 179.), §. *16.* statutum fuit, « ut pro recto re- » gimine rerum temporalium ad monasteria pertinentium con- » gregatio constituatur spectabilium ex ecclesiastico et saeculari » statu virorum, quorum consilio quidquid necessarium visum » fuerit, provideatur. » Harum subinde ordinationum exsecutio Eminentissimo Cardinali in Urbe Vicario a Summo Pontifice committitur, et ad effectum quam citius adduci praescribitur.

171. Circa hoc argumentum non parum facere posse videtur sequens resolutio, quae quamvis pro Regulari monasterii Superiore edita Episcopo fortius applicari posse videtur. In dicta *Mediolanen.* igitur hoc dubium proponebatur primo loco: « An prote- » ctores seu curatores ven. monasterii et monialium S. Radegundae

» civitatis Mediolanen. Ord. S. Benedicti Cassinen. intervenire va-
» leant, et praestare eorum consensum in stipulatione cuiuscumque
» contractus, sive instrumenti faciendi a dictis monialibus cumu-
» lative cum P. Abbate ven. mon. S. Simpliciani illarum Supe-
» riore ; sive potius dicti contractus et instrumenta celebrari ac
» stipulari debeant cum consensu et interventu privativo dicti
» P. Abbatis, vel ipsius delegati absque licentia et interventu
» dictorum protectorum? » Emi Patres die 2. Iunii 1736. rescri-
bendum censuere: « Negative quoad primam partem, et affirma-
» tive quoad secundam. »

172. Itaque vetitum est, ne monasteria monialium a saecu-
laribus dependeant, ut S. C. Episc. et Regul. cuidam Episcopo
scribebat suis literis 14. Sept. 1828., praesertim in faciendis alie-
nationibus, prouti eadem alteri significabat literis 30. Martii 1830.
*(Reg. S. C. ad eos annos).*

173. Praecipuum et maximum rectae administrationis funda-
mentum in eo situm est, ut acceptum non superet expensum,
utque clarius vulgari sermone loquar, ne exitus excedat introitum.
Huc spectat ante omnia lex in sacrarum virginum monasteriis,
quae ceteroquin locum habet ac propria est quibuslibet commu-
nitatibus, ut talis monialium numerus in iisdem domibus reci-
piatur alaturque, qualem oeconomicae eiusdem monasterii vires
ferre valeant. Itaque Summi Pontifices nulla alia in re magis
enixe et continenter elaborarunt, quam ut in unoquoque mona-
sterio ille praefigatur monialium numerus, qui ex reditibus, vel
consuetis eleemosynis commode sustentari queat. Ita Bonif. VIII.
in *Cap.* Periculoso *in 6.* a Tridentinis Patribus *Sess. 25. cap. 3.
de Regul.* innovato. Ita S. Pius V. Constit. *Circa,* Gregorius XIII.
Constit. *Deo sacris,* Clemens VIII. Constit. *Nullus,* Paulus V.
Constit. *Sanctissimus;* necnon recentiores Pontifices, et constans
ac perpetua adhuc vigens S. C. Episc. et Regul. disciplina.

174. Numerus praefiniendus est et servandus, etiamsi omnes
moniales consentirent, ut aliqua recipiatur supra numerum, so-
luta duplici eleemosyna (S. Congr. Episc. et Regul. *Cremonen.* 12.
Iulii 1604. apud Ferraris verbo *Moniales art. 2. n. 4.*). Quamvis
autem, spectato antiquo iure in *Cap.* Periculoso *in 6.* receptio et
professio monialis ultra numerum in monasteriis non mendican-
tium nulla et irrita foret, nihilominus idem ius veluti abrogatum
censetur contraria consuetudine, cum compertum sit, plures saepe

ultra numerum admitti, nec unquam nostris temporibus auditum sit professionis validitatem in controversiam vocari; et reapse huiusmodi professionem nec esse nullam censuit S. Congr. Conc. teste Fagnano *Lib. 3. decret. cap.* Non amplius *de Instit. n. 32.* Ferraris verbo *Moniales art. 2. n. 5.*

175. Numerus monialium debet esse saltem duodecim. (S. C. Episc. et Regul. *Camerinen.* 18. Dec. 1600. et 22. Iulii 1601. apud Ferraris *loc. cit. n. 6.*), confirmatur etiam decreto S. C. Conc. *de celebr. Miss.* et Constit. Innocentii XII. incip. *Nuper.* Nec numerus monialium debet esse maior numero cellarum (S. Congr. Episc. et Regul. *Vicentina* 30. Iulii 1627. apud Ferraris *loc. cit. n. 7.*). In praefixione numeri distingui debent separatim, quot debeant esse moniales velatae, quot conversae, et quot aliae personae externae monasterii reditibus sustentandae (S. C. Episc. et Regul. *Placentina* 6. Nov. 1695., *Comen.* 23. Iulii 1602. et alibi Ferraris *loc. cit. n. 9.*). Numerus conversarum ita computatur, ut una pro septem quibuslibet monialibus praefiniatur; sed choralium numerus dimetiri solet secundum monasterii proventus (S. Congr. Episc. et Regul. *Camerinen.* 21. Febr. 1620. Ferraris *loc. cit. n. 9.*).

176. Reditus, ut plurimum, requiruntur triceni aurei pro qualibet (S. C. Episc. et Regul. *Ariminen.* 26. Martii 1602., *Aquen.* 17. Septemb. eiusdem anni); in quibusdam locis quinquageni (eadem S. Congr. in *Neapolit.* 19. Iulii 1601.); in aliis viceni quini (eadem S. Congr. *Perusina* 12. Martii 1602. ac 27. Ian. 1607. Ferraris *loc. cit. n. 10.*).

177. Super haec adnotanda sunt quae in consultatione ad *Soran. Erect. monast.* 20. Iunii 1851., iterumque ad *Pinnen. et Atrien. Super red. mon.* 29. Aug. 1581. penes S. Congr. Episc. et Regul. tradebantur: « Hisce temporibus, quibus pro vita sustenta» tanda maiores requiruntur impensae, hisce regulis (quas hic » modo attulimus) amplius inhaereri nequit. Tum cum anno 1851., » Pontificio regimine redintegrato, de monasteriis dotandis actum » est, dotatio, quae quinquaginta quatuor scutata monetae Ro» manae repraesentaret, singulis monialibus assignata fuit. In » *Lucana Sup. Can. Erect.* diei 28. Aprilis 1843. reditus admissus » est in ea summa, quae scutatis quadraginta novem in sin» gulis responderet. In *Mandelen. Erect. mon.* diei 30. Aug. 1844. » S. Congr. satis non habuit summam scut. 40 in singulas, sed » voluit, ut pius donator ita reditum augeret, ut singulis scu-

» tata quinquaginta duo obtingerent. In *Ferrarien. Erect.* 10. » Maii 1844. S. Congr. praescripsit, ut alius pius donator sortem » daret scutatorum quatuordecim millium. » In hac *Ferrarien.* insuper illud requirebatur, ut monialium numerus non minus quam duodecim admitteretur, adeoque reditus pro singulis scutata quinquaginta quatuor et amplius aequabant, adsignato nempe fructu scutatorum quinque pro quolibet centenario.

178. Lucra monialium non sunt computanda in monasterii reditibus, etsi ponantur in communi (S. C. Episc. et Regul. in *Burg. S. Sepulchri* 26. Novemb. 1602., *Aquilana* 12. Ian. 1604. Ferraris *loc. cit. n. 11.*). Ubi exitus est maior introitu, reducitur numerus ad proportionem, addita prohibitione, ne interim recipiantur ad habitum, nisi cum licentia S. Congr. Episc. et Regul. (*Panormitana* 29. Ian. 1601., *Perusina* 5. Febr. 1602. et alibi); idque consentaneum est praescriptioni a Gregor. XIII. in Constit. *Deo sacris* sancitae (Ferraris *loc. cit. n. 12.*).

179. In monasteriis, ubi monialium numerus non est praefixus, vetitum est ad vestitionem et professionem puellas recipere; (S. Congr. Episc. et Regul. *Tricarien.* 3. Febr. 1602., *Reatina* 6. Augusti eiusdem anni, 16. Martii 1604., et alibi penes Ferraris *loc. cit. n. 13.*).

180. Numerus semel praefixus non potest augeri ab Ordinario sine venia S. Congregationis (eadem S. Cong. in *Brundusina* 12. Mart. 1602., in *Lauretana* 27. Iulii 1604., et 23. Iulii 1649. Ferraris *l.c. num. 14.*); neque sub praetextu augmenti redituum (*Decret. de cel. Miss.* Ferraris *loc. cit.* et Innocentius XII. in Constit. *Nuper*), quae venia non conceditur, nisi reditus ita sint adaucti, ut quotannis ultra triginta annuos aureos aliquid adhuc reliquum sit. (Eadem S. Congr. *Regien.* 29. Nov. 1605. Ferraris *loc. cit.*).

181. Monialis supra numerum non potest admitti sine venia S. C. Episc. et Regul. (6. Febr. 1610. Ferraris *loc. cit. n. 15.* et Greg. XIII. Constit. *Deo sacris.*). De moniali supra numerum sic admissa attendendum est decretum S. C. Episc. et Regul. 6. Septemb. 1604. relatum a Fagnano *Lib. 3. Dec. in Cap.* Non amplius, *de Instit. num. 48 et 49.* necnon a Ferraris *loc. cit. n. 16.* S. Congregatio Episc. et Regul. generali decreto statuit et declaravit, « moniales, quae supra numerum in quolibet mo- » nasterio constitutum recipiantur, in locum monialium decedeu-

» tium intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento » esse, quin aliae in locum earumdem ex numero demortuarum » recipi eo modo valeant, quo in singulis monasteriis moniales » intra numerum possunt admitti; quin imo easdem sic supra » numerum receptas supernumerarias semper quoad hoc rema- » nere, etiamsi in ceteris ab aliis nihil differant, sed illis in » omnibus pares et aequales iuxta cuiusque monasterii institu- » tum esse debeant. »

Loca monialium intra numerum decedentium non possunt concedi aut promitti cuiquam puellae ante vacationem, sub poena privationis vocis activae et passivae, aliisque arbitrio S. Congr. infligendis contra Superiores et Superiorissas talia loca vacatura concedentes aut promittentes. Sic decrevit S. Congr. Episc. et Regul. apud Fagnan. *loc. cit. n. 43. et seq.*, Tamburin. de *Iure Abbat. disp. 5. q. 7. n. 8.*, ubi per extensum huiusmodi decretum affertur (Ferraris *l. c. n. 17.*).

182. Haec de fideli redituum monasteriorum administratione praelibasse sufficiat: nam cetera, quae ad hoc argumenti caput referri possunt, utique conveniunt cuicumque administrationi sive profanae, sive sacrae, ceteroquin in capite septimo, ubi de locis piis agitur, multa attingere occurret, quae rectam locorum piorum administrationem respiciunt, adeoque monasteriis monialium communia sunt. Consuli possunt, quae a Crisp. *de Vis. past. part. II.* §. *42. n. 122., ad 124.* suggeruntur; item a *n. 132. ad 155.*, ubi inter alia indicantur viae, quae ab Episcopis iniri possunt, ut pauperibus monialium asceteriis succurri queat. Ex hoc auctore *loc. cit. n. 152.* duas, quae sequuntur, coronidis loco, declarationes exscribimus, quas ex manuscripto Nicolii sese excerpsisse testatur: prima est *Panormitana* diei 21. Febr. 1660., in qua penes S. Conc. quaerebatur: « An » electio officialium administrantium bona temporalia sanctimo- » nialium Ordinario loci subiectarum ad ipsum Ordinarium spe- » ctet? » S. Cong. respondit: « Affirmative ». Altera est *Surrentina* diei 12. Maii 1617., in qua S. C. Episc. et Regul. Archiepiscopo Surrentino rescribebat: « ne permitteret, ut officiales » super bonis temporalibus sanctimonialium perdurent ultra tres » annos; imo interdum etiam saepius eosdem immutet. »

183. Addimus aliam causam per nos depromptam ex regesto monialium anni 1755. ad diem 11. Aprilis: « In causa

» Brundusina vertente inter moniales monasteriorum Sanctae Ma-
» riae Angelorum et S. Benedicti civitatis Brundusinae, necnon
» moniales Oppidi Messapicae ex una et promotorem fiscalem
» curiae archiepiscopalis Brundusinae ex altera partibus, propo-
» sita fuerunt infrascripta dubia, videlicet:

1. » An electio confessariorum ordinariorum ad triennium, et
» extraordinariorum spectet libere ad moniales, dummodo ex ap-
» probatis ab ordinario?

» Et quatenus affirmative,

2. » An illa sit facienda per secreta suffragia, per moniales
» in capitulo habendo cum interventu Archiepiscopi, vel alterius
» ab eo deputandi?

» Et quatenus affirmative ad utrumque,

3. » An Archiepiscopus teneatur illos ita electos confirmare
» et approbare?

4. » An ad moniales spectet libera electio procuratorum, seu
» administratorum redituum, et bonorum monialium ad trien-
» nium?

» Et quatenus affirmative,

5. » An eadem electio debeat fieri per secreta suffragia in
» capitulo per moniales habendo cum interventu Archiepiscopi vel
» alterius ab Archiepiscopo deputandi?

6. » An procuratores seu administratores ita electi debeant
» per Archiepiscopum approbari?

7. » An et qui possint eligi in procuratores?

8. » An et quae methodus sit adhibenda pro eorum reele-
» ctione post triennium, et an reelegi et approbari possint, qui
» gestae administrationis rationes adhuc non reddiderint, vel
» reliquatum non persolverint?

9. » An intra triennium licitum sit Archiepiscopo eosdem
» procuratores seu administratores ut supra electos vel reelectos
» ex aliqua causa suspendere vel removere?

10. » An et quomodo debeat procedi ad electionem ratioci-
» natorum, et quinam ad hoc munus sint assumendi?

11. » An pro introductione vini, olei, aliorumque mercium
» in monasterium quoad baiulos servari debeat ordinatio Archie-
» piscopi?

12. » An adversus moniales retinentes apertam portam in-
» terioris clausurae, ibique alloquentes vel comedentes cum lai-

» cis eiusdem vel disparis sexus aut cum ecclesiasticis, indici » valeant censurae ipso facto incurrendae?

13. » An et quibus poenis procedi debeat tam adversus in- » troducentes et occultantes intra septa et clausuram mona- » steriorum mobilia seu merces exsecutioni vel arresto obnoxias, » quam etiam contra moniales id permittentes?

14. » An sine licentia sive decreto Ordinarii moniales inire » valeant contractus, et destinare procuratores ad negotia, seu » ad lites advocatos, exceptis defensoribus destinandis pro contro- » versiis, quae forsan ab eodem Ordinario occurrunt in casu?

» S. C. referente Emo Lantes Ponente, visis videndis, et con- » sideratis considerandis, ad suprascripta dubia sequentem in » modum respondit nempe:

» Ad 1. Affirmative, dummodo sint ex approbatis ad mo- » niales.

» Ad 2. Faciendam esse per secreta suffragia absque inter- » ventu Archiepiscopi, vel eius deputati.

» Ad 3. Affirmative, quatenus non adsit legitima causa non » approbandi.

» Ad 4. Affirmative (1).

» Ad 5. Affirmative ut in secundo.

» Ad 6. Affirmative ut in tertio.

» Ad 7. Serventur constitutiones Archiepiscopi.

» Ad 8. Serventur constitutionès exclusis iis, qui rationem » non reddiderint, et reliquatum non persolverint.

» Ad 9. Affirmative, iusta concurrente causa.

» Ad 10. Servetur solitum.

» Ad 11. Servetur solitum, adhibitis necessariis cautelis.

» Ad 12. Arbitrio et prudentiae Archiepiscopi, non tamen sub » poena censurarum.

» Ad 13. Arbitrio et prudentiae Archiepiscopi.

» Ad 14. Quoad contractus, prout de iure; in reliquis pro- » visum. Romae 25. Ian. 1754.

» Proposita vero iterum eadem causa, referente eodem Emo » Lantes Ponente, eadem S. C. rescripsit: In decisis et amplius;

---

(1) Notandum hic est S. C. ita certe rescripsisse, quia immemorabilis aderat consuetudo, ut haec electio a monialibus perageretur ; secus enim non recedendum est a declarationibus praecedenti articulo allatis in *Panormitana et Surrentina*.

» addito ad 7. dub., ut in casu electionis personae laicae acce-
» dat fideiussio personae ecclesiasticae. Romae 28. Febr. 1755.
» Cumque institum fuerit pro nova audientia, S. Congr., re-
» ferente eodem Emo Lantes, rescripsit: nihil de nova audientia,
» et ad Emum Ponentem ad mentem. Mens autem est, ut Rescripto
» primi dubii addatur: *et iuxta solitum*. Decimo dubio rescri-
» batur: *Serventur constitutiones, ut in septimo, ita tamen, ut,*
» *quatenus procuratores sint personae ecclesiasticae, etiam ratio-*
» *nales sint personae ecclesiasticae*. Romae 11. Apr. 1755. »

### Art. II. De dote monialium.

Summarium. 184. Solutio dotis monasticae simoniam non importat. Datur insuper ad relevandam monasteriorum indigentiam, cui facillime locus aliter fieret. – 185. Vetitum est, ne, praeter dotem, munuscula singulis monialibus donentur. Non est certum, an idcirco incurratur excommunicatio. Licite vero etiam per pactum aliquid recipi potest pro sacristia vel infirmaria. – 186. Velatae sine dote admitti nequeunt, bene vero conversae ob necessitatem. – 187. Dotes solvi debent in pecunia, minime vero in stabilibus, neque relinquendae apud consanguineos, sed deponendae apud virum probum et idoneum. – 188. Romae et in tota ditione Pontificia in aede S. Spiritus, vel Monte Pietatis deponuntur, iuxta chirographum s. mem. Clementis XIII., cuius summa refertur. – 189. Sufficit dare Episcopo nomen depositarii et notarii rogantis. Quin imo notarii exemplar instrumentorum dotalium curiae exhibere tenentur. Depositum dotis debet esse verum et reale. – 190. Peracta professione, depositarius cogi potest ad pecuniam dotalem in commune monasterii depositum, vel Montem Pietatis refundendam. Novitiae professio etiam ultra annum differri potest, si nondum congruam habeat dotem. Potest tamen ad professionem admitti, antequam solvatur dos. – 191. Quanta debeat esse monialium dos. Dotes, sive numerariae, sive supranumerariae iuxta hodiernam disciplinam investiendae sunt. Dotes minui non possunt sine venia S. C. Non solet concedi, ut dos solvatur plurimis terminis. – 192. Supranumerariae duplicatam dotem persolvunt, quae non minor scutatis 400 debet esse; neque moniales possunt aliquid condonare. – 193. Dotes etiam Capuccinarum alienari nequeunt sub poena censurarum, non obstante statuto synodali id permittente. – 194. Quae poenae contrahantur a monialibus et Superioribus alienationem auctorantibus. Dotes in urgentes monasterii necessitates expendi non possunt. Nec etiam in aeris alieni exstinctionem. – 195. S. C. non concedit licentias generales alienandi et expendendi dotes, etiamsi in antecessum consuetudo contraria invaluisset. – 196. In defectu stabilium dotes in censibus col-

locari possunt. – 197. Non solet concedi licentia expendendi, nisi dimidiam supranumerariae dotem, et cum onere reinvestiendi. Aliter censurae contrahuntur, vel aliae poenae. – 198. Abusus est, quod, moniali moriente, tota dos, vel pars restituatur, etiamsi testator aliter statuisset. – 199. Dos pro nupturis in saeculo dari potest nupturis in Domino. – 200. Inter puellas eiusdem loci et advenas nullum discrimen ponendum est, nisi aliter consuetudine inductum sit. – 201. An secunda soror cum multis consobrinis vestiri possit. – 202. Quae servanda sit, cum tertia soror in idem monasterium admittatur. – 203. De livellis adeatur Ferraris et Benedictus XIV. – 204. De quaestione, an dos in casu translationis monialium ad aliud monasterium competat monasterio *a quo* vel *ad quod*, multa disserunt doctores. Pro translatione necesse est venia S. Congr. – 205. S. Congr. in huiusmodi venia concedenda conditiones certas apponit, ac praesertim super dote. – 206. Circa extradotalia S. Congr. rem componit iuxta circumstantiarum varietatem. – 207. Circa dotem inspiciendum est, ex qua causa translatio fiat. – 208. Idem explorandum est circa alimenta egressae suppeditanda. – 209. 210. De factispecie causae *Anagninae*, necnon causae *Baren.* earumque resolutione. – 211. Alimenta non sunt taxanda pro quantitate dotis receptae. – 212. 213. Specialis casus in *Ferrarien.*

184. Secundus huius paragraphi articulus argumentum de monialium dote complectitur, super quo ea, quae cognoscenda sunt, qua possumus, diligentia expediemus. In quaestionem aliquando a doctoribus vocatum est, an solutio dotis, quae in votorum professione a parentibus puellarum peragitur, a simoniae labe immunis sit, necne. Itaque non semel, teste Bened. XIV. *Inst. eccl. 29. n. 28.*, S. C. Conc. consulta est. « Quare (sic idem » Benedictus) ex communiori doctorum sententia S. Cong. re- » spondit, a simonia immunem non esse, si dos pro ingressu in » Ordinem monialium solvatur, sive monasterium exiguos, sive » largos census obtineat: aliter vero si pecunia tribuatur pro ali- » mentis, quae puellae ad habitum receptae suppeditanda sunt, » donec vita fungatur: tunc enim nullam in pactione, seu pe- » cuniae solutione simoniam intercedere, si coenobium in pau- » pertate versetur: non ita tamen, si divitiarum copia redundet.» Hic vero non parum faciunt ea, quae Bened. XIV. ex Fagnan. affert, *de Synod. dioec. lib. XI. cap. 6. num. 2.*: « *Verum* (sunt » verba Fagnani) *S. Congreg. super neg. Episc. et Regul. ani-* » *madvertens, sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio* » *diu sustineri non posse, et propter ingruentes necessitates, et*

» *casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Ponti-*
» *ficibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleemosynae*
» *a monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset*
» *taxatus ad mensuram reddituum monasterii.* Equidem expe-
» rientia (pergit Bened. XIV.) compertum cum sit, opulentissi-
» ma monialium monasteria paulatim ad inopiam vergere, et quae
» paucis ante annis 40 ex. gr. monialibus necessaria ad victum
» large suppeditabant, hodie nihilominus, quamvis interim dotes
» lucrata fuerint, vix sufficientes proventus habere ad eumdem
» numerum alendum, quod qua ratione contingat, plane igno-
» ramus; hinc, ne consuetus Deo sacrarum virginum numerus
» in monasteriis decrescat, et de redituum sufficientia eadem
» monasteria fiant securiora, prudentissime cautum est, ut omnia
» indefinite habeantur pro indigentibus, atque indigentiae nomine
» ab omnibus omnino puellis, Religioni nomen dantibus, prae-
» scriptam dotem percipiant. »

185. An autem a simonia et excommunicatione possit excu-sari consuetudo vigens in aliquibus monialium monasteriis, ut praeter dotem novitiae, quam haec dedit monasterio, dentur etiam singulis monialibus aliquae portiones pecuniae, quas *propinas* vocant, ut v. g. quatuor, vel duo argentea, una candela, unum linteum et huiusmodi, controversia est, quam fuse agit praeter alios doctores Ferraris *l. c. num. 53. et seq.*, ubi contra huiusmodi consuetudinem prohibitionem affert ab Ur-bano IV. *Extrav.* Sane *de simon.* factam, eiusque verba recitat. Insuper decreta subiicit, quae identidem contra hanc corrupte-lam ediderunt Summi Pontifices. Novissimum decretum, quod ex iussu Bened. XIV. anno 1742. prodiit, supra retulimus in pa-ragrapho tertia num. 127–130, ubi de monasteriorum abusibus, nonnulla attigimus. Moniales tamen praeter dotem monachandae possunt etiam per pactum aliquid recipere pro sacristia vel in-firmaria, non autem pro alio titulo; ita nempe declaravit S. C. Episc. et Regul., referente Monacello penes Ferraris verbo *Monia-les art. 2. num. 52.* in *Ulyssiponen.* 5. Novemb. 1616. ex ora-culo Summi Pontificis, his verbis: « SSmus D. N. censuit, elee-
» mosynas, quae per pactum sacristiis et infirmariis monialium
» dari solent, non comprehendi in decreto, quo propinarum so-
» lutio per moniales, dum ad habitum vel professionem admit-
» tuntur, fieri solita interdicitur. »

186. Ut autem ad materiam de dote propius accedamus, in primis dicimus, moniales velatas absque dote admitti non debere iuxta ea, quae cum Bened. XIV. modo monuimus. Conversae vero aliquando sine dote admitti possunt propter necessitatem et indigentiam monasterii (S. C. Episc. et Regul. 20. Martii 1594. Ferraris *loc. cit. n. 18*). Sed praxis est, ut indultum obtineatur.

187. Dotales eleemosynae debent solvi in pecunia, nec potest permitti assignatio bonorum stabilium aut censuum; (S. Congreg. Episc. et Regul. in *Camerinen.* 28. Martii 1588., *Interamnen.* 2. Maii 1614.); secus enim speciali S. Congr. Episc. et Regul. venia opus est, quam in huiusmodi casibus, accedentibus iustis causis, concessit in *Brictinorien.* 30. Maii 1766., et in alia dioecesis N. N. 18. Iulii 1831. Et nullatenus apud monialium consanguineos sunt relinquendae, sed antequam puellae habitum suscipiant, penes mercatorem, aut virum fide dignum et facultatibus idoneum actualiter sunt deponendae (ubi non sunt mensae nummariae, vulgo *banche*), qui ad omne monialium mandatum absque aliqua exceptione sese soluturum spondeat; (eadem S. Congr. *Camerinen.* 15. Mart. 1591., *Neapolitana* 11. Maii 1640., et 20. Ianuarii 1643. Ferraris *loc. cit. n. 18. 19. 20*).

188. Romae ex antiquissimo usu novitiarum dotes in aede sacra S. Spiritus, vel in Monte Pietatis deponuntur. Cumque huiusmodi usus negligi coeptus fuisset, indeque non pauca incommoda orirentur, s. m. Clemens XIII., in suo chirographo ad Emum Urbis Vicarium, dato die 13. Febr. 1759., quod legitur in *Cont. Bull. mag. tom. 1. const. 38. pag. 93.*, veterem disciplinam revocavit praescripsitque, ut in posterum ad habitum religiosum non admitterentur illae, quae prius totam omnino dotem in aede S. Spiritus vel Montis Pietatis non deposuissent. Prohibuit insuper, ne sanctimoniales pro recipiendis novitiis convocarentur, nisi ante ex authentica fide in capitulo legenda de peracto deposito constitisset. Si secus fieret, constituebatur, tum ut Superiorissa suspenderetur, neque ab alio praeterquam a Summo Pontifice rehabilitari posset, tum ut moniales ius amitterent repetendi reliquum dotis ultra id, quod usque eo persolutum fuisset. Haec dispositio per literas encyclicas S. Cong. Episc. et Regul. diei 21. Februar. 1759. extensa fuit ad omnia monasteria Pontificiae ditionis, transmisso allati chirographi exemplari singulis Ordinariis (*Ex lib. Mon. S. C. illius anni.*).

189. Ordinarius legem facere non debet, ut depositum fiat coram ipso, sed sufficit sibi relationem dari de persona depositarii et notarii rogantis; (eadem S. C. in *Vercellen.* 15. Nov. 1606.), etiam in monasteriis, quae Regularibus subiecta (eadem S. Congregatio in *Fulginaten.* 26. Aug. 1650.). Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in cancellaria episcopali (eadem S. C. in *Aquilana* 8. Nov. 1655.). Quin imo cancellarios Episcoporum, si notarii non sunt, instrumenta de monialium dotibus conficere non posse declaravit S. C. C. in celebri causa *Romana et aliarum,* pluries discussa, ac ultimo die 15. Iulii 1848. ad I. dub.; eam nos superius attulimus, cum de cancellariae taxa ageretur. Depositum dotis debet esse effectivum, non autem fictitium, sive confessionatum, ut aiunt, quod saepe fit; alias si depositum, secuta professione, exigi non posset, et pecunia, quae forte realiter non fuit deposita, integraliter monasterio non solveretur, si fictionis conscius esset, Episcopus de proprio teneretur (eadem S. Congr. in *Portugallen.* 6. Iulii 1625., *Brundusin.* 15. Iunii 1616. Ferraris *loc. cit. n. 21. 22. 23.*).

190. Depositarius, peracta professione, compelli debet ad exsolvendam pecuniam in commune depositum monasterii, vel in Montem Pietatis, quamtumvis tunc non adsit occasio emendi stabilia, vel census securos (eadem S. C. *Asculana* 19. Ian. 1630). Monialis novitiae professio potest differri etiam ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit (S. C. 31. Maii 1597.). Potest tamen admitti ad professionem, antequam solvatur dos (eadem S. C. *Nucerin.* 14. Feb. 1635. Ferraris *loc. cit. n. 24. 25. 26.*).

191. Quantitas dotis pro monialibus adamussim praefigi non potest, cum enim in eadem praefigenda respectus haberi debeat expensarum, quae pro cuiuslibet sustentatione necessariae sunt, hinc pendet a variis locorum ac temporum circumstantiis. Cum, restituta Pontificia ditione an. 1815., redintegrarentur monasteria, et congrua dote post bona direpta augerentur, summa scutat. 54 in singulas moniales praestituta fuit. In erectione plurium monasteriorum ultimis annis a S. Congr. sancitum est, pro alenda unaquaque moniali requiri in singulos annos scutata non minus 40, quin imo etiam plus usque ad scut. 60, veluti eruitur ex consultatione causae *Pinnen. et Atrien. Super red. mon.* §. *Rapporto,* 29. Aug. 1751.

Certum autem est, quod eadem dos pro monialibus numerariis non debet esse minor scutatis ducentis monetae Romanae, (S. C. in *Ferent.* 12. Septemb. 1614., *Forolivien.* 1. Sept. 1645.); nisi fundator minorem statuisset (S. C. *Reatina* 3. Apr. 1618.). Quamvis autem iuxta antiquiorem S. Congr. Episc. et Regul. disciplinam haec expendi posset in utilitatem monasterii; (Monac. *Form. Leg. P. II. tit. 12., form. 5. num. 3. in fin.;* itemque S. C. *Ariminen.* 12. Maii 1601., *Ferrarien.* 23. Mart. eiusdem anni), praeterquam in monasteriis nuper erectis, in quibus iam tum cautum erat, ut etiam dotes numerariae investiendae essent (eadem S. Cong. *Capacien.* 23. Iul. 1603.); nihilominus exeunte iam saeculo praeterito ab antiquiori ea disciplina recessum iam fuerat, ac pro firma constantique regula sancitum, ut dotes monasticae, sive eae ad numerarias sive supranumerarias pertinerent, nullo discrimine in fundis tutis ac stabilibus collocarentur. Huius rei fidem facit et confirmationem adiicit S. C. Episc. et Regul. in literis diei 21. Apr. 1780., itemque literis diei 24. Novembr. eiusdem anni, ubi insuper additur: « Haec ratio (alie- » nandi dotes) contraria est regulae ab hac S. Cong. servatae ac » praescriptae, quae vult, ut omnes Religiosarum dotes tam nu- » merariae quam supranumerariae in capitalia convertantur », et additur, ut huiusmodi regula in omnibus monasteriis observetur. Id extenditur etiam ad Capucinas (S. Congr. in *Lauretana* 13. Maii 1603.). Non potest Ordinarius praefigere quantitatem dotis etiam numerariae, ita ut moniales nequeant amplius recipere (S. C. *Bononien.* 8. Novemb. 1604.); etsi ea maior quantitas solvi velit (S. Congr. *Civit. Castellan.* 3. Decemb. 1602., *Aretina* 17. Dec. eiusdem anni). Dotes hodie minui non possunt sine licentia S. Cong., (eadem S. Congr. 1. Decemb. 1645. Ferraris *loc. cit. n. 27. et seq.*). Non conceditur, quod dos monialium solvi possit pluribus terminis, sed deponi debet tota simul (S.C. Episc. et Regul. *Faventina* 13. Apr. 1602., *Messanen.* 6. Decemb. 1617. apud Nicolium *Flosc.* verbo *Dos n. 15.*).

192. Pro monialibus supranumerariis solvitur dos duplicata (eadem S. Cong. *Novarien.* 20. Sept. 1694., *Volaterrana* 22. Aug. 1605.). Dos duplicata significat duplicatam summam eius, quae in receptione monialium intra numerum dari consuevit, ita tamen, ut, ubi summa minor est ducentis scutatis, ibi saltem solvantur 400 et non minus (S. Congr. in *Decreto gen.* 6. Se-

ptemb. 1604.). Nunquam enim potest esse minor scutatis quadringentis monetae Romanae (S. C. *Amerinen.* 8. Aprilis 1603., *Ferentina* 12. Sept. 1614., *Eugubina* 6. Novemb. 1643., *et saepe alibi.*). Nec de dotibus supranumerariis possunt moniales aliquid condonare (S. C. *Reatina* 20. Aprilis 1603. Ferraris *l. c. n. 33. et seq.*).

193. Modo posuimus, investiendas esse dotes tam numerarias quam supranumerarias, easdemque collocari debere in stabilibus. Quod si forte aliter agatur, ac dotes alienentur, censurae *ipso facto* contrahuntur, etiamsi iuxta dispositiones synodales monialium supra numerum dotes expendi possent (S. Cong. Episc. et Regul. literis 2. Martii 1782. et aliis mensis Iunii 1785.).

194. In hisce vero casibus censurae contrahuntur non solum a monialibus, sed etiam a Superioribus, qui dotes alienari expendique permittunt; ita S. C. Episc. et Regul. literis 5. Septemb. 1839. Neque licet, absque dispensatione dotes expendere pro exstinguendo aere alieno: si secus fiat, non evitantur censurae a sacris canonibus inflictae (S. Congr. Episc. et Regul. literis 1. Martii 1840.). Item nec licet easdem dotes expendere in urgentes monasterii necessitates (S. Congr. Episc. et Regul. literis 1. Decembris 1840.).

195. S. C. generales facultates non concedit dotes expendendi, etiamsi in antecessum contraria consuetudo non sine bona fide invaluerit (S. C. *lit.* 1. Sept. 1852.). Porro S. C. antequam in casibus particularibus dotes depositas expendi sinat, exigit, ut antea quibuscumque fieri possit rationibus necessitati occurratur (Lit. 6. Iun. 1855.).

196. Quod si in fundis stabilibus collocari nequeant, his deficientibus, debent investiri in censibus securis (S. C. *Ferrarien.* 13. Novemb. 1601.), vel in defectu censuum in locis Montium urbis non vacabilibus (S. Cong. *Comen.* 13. Iul. 1603., *Pistor.* 12. Iul. 1604.). Si vero cum licentia S. C. assignata fuerint in dotem loca Montium vacabilium, vendi debent, et pretium omnino investiri (S. C. *Camerinen.* 8. Apr. 1603. Ferraris *loc. cit. n. 36. et seq.*).

197. Non solet concedi licentia alienandi totam dotem supranumerariam, neque pro causis urgentissimis, sed tantum dimidium cum onere reinvestiendi (S. C. *Brixien.* 23. Feb. 1603., *Perusina* 13. Ian. sine anno.). Consumentes vel expendentes do-

tes sine licentia, licet in utilitatem monasterii, non solum incurrunt excommunicationem, sed insuper non absolvuntur, nisi cum onere reinvestiendi tantumdem (S. C. *Aretina* 24. Mart. 1597., *Cremonen.* 27. Sept. 1601.), et Abbatissa suspenditur, vel si non est amplius in officio, punitur aliis poenis; depositarii vero, qui illas exsolverunt contra tenorem licentiarum, coguntur ad denuo solvendum (S. Cong. *Mediolanen.* 4. Aug. 1603. Ferraris *loc. cit. n. 43. et seq.*).

198. Abusus est intolerabilis, quod pro qualibet moniali moriente, monasterium teneatur restituere dotem in totum, vel in partem (S. C. *Mutinen.* 11. Iunii 1627.); non obstante, quod testator apposuisset conditionem, quod, moriente legataria sine filiis, dos reverteretur ad haeredes, vel ad aliquem locum pium: nam nihilominus remanet monasterio, quia talis dispositio non extenditur ad hunc casum (*Sulmonen.* 7. Feb. 1653. apud Nicol. *Flosc.* verbo *Dos n. 27.*).

199. Dos relicta pro nupturis in saeculo dari potest pro nupturis in Domino (29. Iun. 1649.; Nicol. *loc. cit. n. 16.*). Idipsum nuperrime Sacer Ordo confirmavit in *Ferrarien. Subs. dot.* 25. Feb. 1842. ad 3.

200. In dotibus recipiendis nullum discrimen ponendum est inter puellas eiusdem oppidi et advenas (S. C. 3. Sept. 1603.); attamen Card. Petra *Tom. 3. ad const. XII. Innoc. IV. n. 52.* tradit, id alicubi ex iusta causa non servari, adeoque in hac re adhaerendum esse consuetudini, sicuti adhaerendum est in exigenda maiori quantitate pro recipienda aliqua moniali, quae aliquo defectu laborat, seu minus apta officiis monasterii, aut quae velit ab ipsis dispensari. Ad hanc sententiam confirmandam allegat Cardinal. Petra alios non levis notae doctores (Ferraris *loc. cit. n. 45.*).

201. Potest ex gratia vestiri monialis intra numerum cum dote ordinaria, non obstante, quod ibi habeat alteram sororem germanam cum multis consobrinis (S. C. Episc. et Regul. *Vercellen.* 14. Maii 1601., *Imolen.* 19. Nov. 1620.), etsi de rigore iustitiae secunda soror deberet solvere dotem duplicatam (eadem S. Cong. *Aretina* 17. Octob. 1603. Ferraris *loc. cit. n. 49.*).

202. De tertia sorore in unum idemque monasterium recipienda, S. C. Episc. et Regul. 27. Aug. 1616. Archiepiscopo rescripsit in *Bracaren.* hisce verbis: « Aut igitur tertia soror in-

» tra praefinitum monialium numerum in monasterium introdu-
» cenda est, aut supra illum; si ut numerata ingredi voluerit,
» eleemosynam dotalem duplicatam monasterio persolvat, suffra-
» gioque tam activo, quam passivo carebit, quousque altera ex
» duabus eius sororibus e vita decesserit; si vero, ut supra de-
» finitum monialium numerum admitti petierit, speciali S. huius
» Congr. licentia opus erit, quae quidem concedi non solet, nisi
» ea conditione, ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam
» dotalem monasterio solvat; nec reliquis eius duabus sororibus
» simul superstitibus activo vel passivo suffragio gaudeat. » (Ferraris *loc. cit. n. 48.*).

203. An vero monialibus livella recipere liceat, et quae cautiones adhibendae, fuse tradit Ferraris *loc. cit. num. 65.* Consuli etiam potest Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. XIII. cap. 12. n. 20.*

204. Cum aliquando contingat, ut una monialis de uno monasterio, in quo professa est, in perpetuum transferatur ad aliud, quaestio acris exoritur, cui monasterio cedat monialis translatae dos, et extradotalia, si forte habeat, an videlicet monasterio *a quo*, seu monasterio *ad quod*, ut communiter dici solet? Quod pertinet ad auctores hac de materia disserentes, sciendum est, eos, ut semper fere fit, in varias abire opiniones, ceu videre est praesertim penes Card. de Luca *Discur. 39. de Reg.*, Monacell. *Form. Leg. Part. II. tit. 13. form. 5. n. 17. et seq.*, Pignatell. *Tom. 1. Cons. 432. et alios*, quos consulere pronum est iis, qui argumenta, quae utrimque afferuntur, penitius cognoscere velint. Nobis satis erit iuxta instituti nostri rationem in medium afferre, quae disciplina sit sacrorum canonum circa huiusmodi articulum. Quod ut exsequi possimus, in primis praeponendum ducimus, quod alibi iam animadvertimus, translationem de uno ad aliud monasterium quacumque demum de causa expetatur, non posse ab Ordinariis concedi, sed necessariam plane esse veniam S. C. Episc. et Regul. iuxta praescriptum Urbani VIII. Constit. *Sacrosanctum.*

205. Iamvero S.C. eo ipso in Rescripto, quo transitum huiusmodi permittit, solet conditiones adiicere, quas necessarias et opportunas ad hoc iudicaverit, inter quas, ut quisque videt, primum obtinet locum dispositio de monialis translatae dote, aliisque bonis extradotalibus, ut quaestiones inter utrumque monasterium evi-

tentur. Itaque omni dubitationi aditus intercluditur, si formae Rescripti a S. Congr. impetrati adhaereatur.

206. At vero obvium videtur illud percontari, quae in praxi sit hoc in rerum genere S. Congr. norma ac disciplina. Quod pertinet ad extradotalia, S. Congr. rem componere solet varie pro varietate circumstantiarum. Et sane; Ferraris *loc. cit. n. 51.* aliquas S. Congr. Episc. et Regul. declarationes adducit, in quibus eadem extradotalia ex omni parte monasterio *a quo* relinqui ac cedi voluit, prout in *Neapolitana* 20. Iulii 1581. et *Carmelit. Discalc.* Augusti 1635., vel ex aliqua parte tantum, ut in *Neapolitana* 13. Augusti 1714. apud Ursaiam *tom. 3. p. II. discept. 1.* §. *22. num. 29.*, ubi cum moniales transferendae livello quinquaginta ducatorum annuorum potirentur, praescripsit ut ducata decem monasterio *a quo* relinquerentur, cetera monasterio *ad quod* cedi deberent. Quod vero ibi Ferrarius addit circa allatas a Monacello declarationes, quibus sancitum est, ut monasterio *a quo* sola dos cederet, cetera bona secum ad monasterium *ad quod* monialis transferenda ferat, monendum est, Monacellum *loc. cit. n. 20.* doctrinam in hunc sensum traditam ab aliquibus doctoribus expromere; at declarationes, quae postmodum *num. 22.* afferuntur, monialium dotem, non extradotalia respiciunt, excepta *Pistorien.* 29. Nov. 1688. et *Hispalen.* 23. Ian. 1699., in quibus bona extra dotem monasterio minime relinqui permisit.

207. Quod pertinet ad dotes, apte scribit Monac. *loc. cit. n. 21.*: « At in hac opinionum varietate, ut iustum iudicium fe» ratur, multum interest videre, quaenam sit transitus causa, quae » ex facti circumstantiis, et aliis prudentialibus motivis, quibus » S. Congr. movetur (cuius rei idoneus testis est ipse Monacellus, » quippe qui per quatuordecim annos officialis fuit eiusdem » S. C. Concilii) ad concedendam licentiam transitus, regulanda erit » bonorum translatio, sicuti bene deducitur ex sequentibus exem» plis. » Quae exempla continent declarationes a Ferrario supra allegatas; inter quas maxima pars favet monasterio priori, cui dos monialis translatae non fuit oblata, ut in alterum transferatur. Itaque idem Monacellus *loc. cit. num. 22. in Add. ex sup.* illud consequi docet, ut dos monasterio in ingressu tradita, irrevocabiliter ab eo acquisita censeatur. Huic sententiae favet etiam disciplina, quam in praesens sequitur S. Cong., ut constat

in *Anagnina Alimentorum* 4. Mart. 1842. et 29. Iul. eiusdem anni, necnon in *Baren. et Tranen. Super dote monast. et alim.* 30. Maii 1856., quas inferius paulo plenius exponemus.

208. Hic tamen alia suboritur controversia, videlicet, si monasterium *a quo* dotem monasterio *ad quod* tradere non tenetur, tenebiturne saltem ad alimenta moniali translatae praestanda? Huiusmodi quaestionem in consultatione ad causam *Ferrarien. Super dot. mon.* diei 23. Sept. 1859. pro eo, quo in S. C. Episc. et Regul. munere fungimur, expendere debuimus, ita enim argumentum, de quo res erat, exigebat. Eam latine redditam hic perlegere non pigeat. « Haec etiam quaestio (ita ibi) a doctori- » bus pertractatur, in qua distinctionem facere necesse est. Aut » monialis e monasterio egreditur ex sua voluntate et animi » levitate, vel egreditur de monasterio iusta de causa, et cum » debitis conditionibus. In primo casu monasterium *a quo* ne » ad alimenta quidem praestanda adstringitur; nam etiamsi mo- » nasterium, dum monialem in professione votorum in suum gre- » mium recepit, obligationem eiusdem alendae suscepisset, atta- » men dici potest, quod, quandocumque eam ad mensam com- » munem cum ceteris sororibus admittere non abnuit, omni sua » obligatione functam satis superque fuisse: nam si exinde mo- » nialis exivit, nec habet unde vivat, sibimetipsi debet id im- » putare. Aliter se res habet in secundo casu; nam monasterium » *a quo*, dum in translationem consensum praebuit, nulla addita » reservatione, implicite, velit nolit, originariam retinet alendae » monialis egressae obligationem. Ita videlicet distinguunt et re- » solvunt doctores, speciatim Pignatellus et de Luca. Neque ad- » versatur disciplina S. Cong. Episc. et Regul. in duabus causis » *Anagnina* et *Baren. ac Tranen.*, in quibus Sacer Ordo retinuit » quidem, monasterium *a quo* dotem monasterio *ad quod* tradere » non teneri, sed una declaravit, monasterium *a quo* ad alimenta » moniali translatae pensitanda teneri. »

209. En *Anagninae* causae species. De moniali res erat, cuius ingenium Religioni et quieti adversum ex processu extraiudiciali elucebat. Ipsa, inconsulta S. Cong., coniecta fuerat in quamdam piam Almae Urbis domum, in qua feminae immorigerae malaeque vitae in poenam includuntur. Postea moniales Anagninae ob causas, quas referre longum esset, consensum praebuerunt eidem alimenta pensitandi pro summa scutatorum quinque in singulos

menses, et monialis ex venia S. Congreg. in saeculo perpetuo manendi facultatem impetraverat. Aliquibus elapsis annis, moniales Anagninae ob difficultates rei oeconomicae implorabant declarationem, qua ab hac pendendi alimenta obligatione solverentur. Itaque duo proposita sunt dubia: « An, et in qua summa, » et a quo tempore alimentaria menstrua praestatio moniali N. N. » debeatur in casu? Et quatenus affirmative, An et quomodo » admittenda sit petitio monialium, ut possint eidem vel ex » toto, vel ex parte dotem restituere, vel persolvere fructus dotis » residuae, detracta summa indebite persoluta; aut debeat di- » cta N. N. iterum in monasterium admitti? » Die 4. Martii 1824. S. Congr. respondit: « Ad primum affirmative pro scutatis tribus » menstruis incip. a mense Ianuarii huius anni, facto verbo cum » SSmo. Ad secundum provisum in primo. » Cumque iterum causa in examen vocata fuisset die 29. Iulii eiusdem anni, concinnato dubio: « An standum in decisis, vel a decisis recedendum sit? » S. C. rescripsit: « Praemisso, quod dos cedere debeat » favore monasterii, in decisis et amplius. »

210. Sequitur species causae *Tranen. et Baren.* - Monialis quaedam Ordinis S. Benedicti, civitatis Barensis coelum suae valetudini ibidem infestum experta, petierat et suffragiis cunctis obtinuerat, ut in monasterium eiusdem Ordinis civitatis Tranensis reciperetur. Interim quaestio exorta est super dote scutatorum quingentorum; Barenses enim moniales sibi retinere posse, Tranenses ad se transferri debere contendebant. S. C., ne monialis interim irreparabile detrimentum pateretur, hoc edidit Rescriptum die 11. Aug. 1854.: « Ex audientia SSmi... audita relatione Archiepiscopi Tranen., benigne annuit, ac propterea mandavit eidem » committi, ut, veris existentibus narratis, accedente consensu » monialium monasterii *ad quod*, capitulariter et per secreta suffragia praestando, pro suo arbitrio et conscientia indulgeat » petitam oratricis admissionem iuxta preces, reservato iure favore eiusdem monasterii *ad quod* pro dote, sive pro alimentis, » prout et quatenus de iure contra monasterium *a quo;* oratrix » vero novitiatus annum repetat, ac suo tempore novam professionem emittat; utaturque praesenti indulto intra annum ab » hac die computandum. » Iuxta hanc reservationem iurium, quibuslibet, quae tentata sunt, conciliationis experimentis in irritum cessis, in acri partium certamine, S. Congregationi dubium pro-

positum fuit: « An et quomodo Barense monasterium obligandum » sit ad restitutionem dotis, seu potius praestationi alimentorum, » et in qua summa, et in cuius favorem in casu? » Porro pater monialis, qui pro aliquo tempore domi paternae monialem suis expensis aluerat, sese indemnem de his fieri debere propugnabat. Itaque S. C. die 30. Maii 1856. rescripsit: « Affirmative pro prae- » statione alimentorum in menstruis ducatis sex a die ingressus » monialis in monasterium Tranen., facta facultate monasterio » Baren. se liberandi ab eadem praestatione per restitutionem » dotis; in reliquis negative (1). »

211. Inutile non erit hic animadvertere, alimenta non esse taxanda iuxta fructum doti persolutae respondentem; nam in *Anagnina* et in hac *Baren. et Tranen.* summa praestationis alimentariae non parum superabat legitimum interusurium dotis ab utraque persolutae.

212. S. C. Episc. et Regul. solet, ut vidimus, in emittendis translationum, de quibus agimus, Rescriptis simul opportunas et necessarias de dote cautiones inire ac statuere. At vero aliquando contingere potest, ut huiusmodi translatio ob aliquam circumstantiam interveniat, quin ulla de dote bonisque extradotalibus praefinitio facta fuerit. Id porro evenit in *Ferrarien. Super dot. mon.*, quam paulo ante nominavimus. Hic erat causae status: Cardinalis Praefectus S. Congreg. ex oraculo vivae vocis Summi Pontificis facultatem obtinuerat permittendi Cardinali Archiepiscopo Ferrariensi, ut quatuor moniales S. Antonii Ordin. S. Benedicti ad novum monasterium S. Theresiae transferret, itemque cautiones super dote ineundas praescriberet: idque Card. Ferrariensi privatis suis literis significaverat Card. Praefectus S. Congregat. Translatio monialium et dotum ad monasterium S. Theresiae locum habuerat: nihil tamen definitum fuerat de proprietate dotum eveniente morte singularum harumce sanctimonialium. Cum igitur una ex hisce monialibus vita functa esset, Ab-

---

(1) Card. Petra *Comment. in Constit. 16. Eugenii IV.* plura tradit de dote et alimentis pro moniali ad aliud monasterium transeunte, et docet (num. 16.): « Si adsit causa iusta et necessaria transeundi, quae occasionata non fuit a mo- » nasterio, hoc non tenetur dotem restituere aut alimenta exhibere, nisi in subsi- » dium, quatenus scilicet monialis non habeat aliunde pro sibi constituenda nova » dote... secus autem dicendum est, si necessitas transeundi occasionaretur ab ipso » monasterio; tunc enim S. C. absolute solet demandare restitutionem dotis. »

batissa monasterii S. Benedicti dotem sibi restitui postulabat; renuente Abbatissa monasterii S. Theresiae, altera suas ad S. C. Episc. et Regul. querelas vertit. Quae, proposito dubio: « An et » quomodo attendendae sint reclamationes Abbatissae S. Antonii » Ordinis S. Benedicti super reversibilitate dotis in casu? » die 23. Sept. 1859. rescripsit: « Placere de concordia, et Emus rem » componat de bono et aequo, facto prius verbo cum SSmo. »

213. Huiusmodi temperamento causam fortasse dedit animadversio, quae in consultatione ponebatur, videlicet, quod translatio extraordinario modo effecta fuerat sine consueto Rescripto, quod sigillo et manu Card. Praefecti et Secretarii communitum esse debet, quodque dos, tametsi, inspecto iure communi, irrevocabiliter monasterio *a quo* cedi debet, adeoque ad monasterium idem ea dos reverti deberet, attamen idem monasterium, eodem communi iure inspecto, non poterat obligationem declinare congrua tribus superstitibus monialibus alimenta praestandi.

« VI. An in monasteriis monialium, quae sunt Praelatis re- » gularibus subiecta, curaverit, ut clausura dictarum sanctimo- » nialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes et » contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia » processerit. »

Summarium. 214. De clausura monialium exemptarum agendum sumitur. – 215. Episcopus ordinariam super clausura monialium sibi subiectarum, delegatam super exemptarum clausura potestatem habet. – 216. De monialibus immediate subiectis id clare patet ex Tridentino et Constit. S. Pii V. – 217. De monialibus alieno Episcopo subiectis idem patet ex declaratione S. Congr. – 218. De monialibus Praelato regulari subiectis patet ex pluribus eiusdem S. Congr. decretis. – 219. Potestas Episcopo et Praelato regulari competens est cumulativa. – 220. Licentia ingrediendi et alloquendi moniales in casibus necessariis ab utrisque concedenda est. – 221. 222. 223. Quid statuerit Constit. *Felici* Alexandri VII. super ingressu Generalis, Provincialis et Visitatorum in clausuram monialium. – 224. Licentia exeundi in casibus necessariis concedi debet in scriptis. – 225. De interdicto accessu et allocutione cum monialibus, itemque de poenis contra violatores clausurae, remissive. – 226. De specie plurium causarum in calce huius paragraphi agitur.

214. In paragrapho secunda huiusce capitis iam animadvertimus, munus et curam invigilandae monasteriorum clausurae

Episcopis demandatum esse, sive moniales episcopali iurisdictioni subiiciantur, sive ab eadem exemptae sint. De primis ibidem egimus; de alteris tametsi aliqua huc illuc, urgente necessitate sermonis, delibaverimus, monuimus, in hac, quam modo exponendam suscipimus, paragrapho appositam elucubrationem nos esse daturos.

215. Moniales, quae ab Episcopi potestate eximuntur, vel immediate Summo Pontifici subsunt, vel alteri Episcopo, vel Praelatis regularibus. Iamvero, utcumque se res habeat, certum est, huiusmodi exemptionem non obstare, quominus clausurae vigilantia etiam Episcopo loci, in quo monasterium situm est, concredita esse et iniuncta putetur. Discrimen, quod inter moniales exemptas et non exemptas interest, in hoc situm est, quod erga non exemptas Episcopus potestatem ordinariam, erga exemptas autem potestatem delegatam exerceat.

216. De monasteriis Summo Pontifici immediate subiectis clara sunt verba S. Pii V. in Constit. *Circa pastoralis* aliarumque sanctionum Pontificiarum, quae in Episcopos clausurae vigilantiam reiiciunt. S. Pius V. iisdem in memorata Constit. §. *8.* diserte mandat, ut in monasteriis, *quae ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicae auctoritate una cum Superioribus eorumdem monasteriorum clausuram... quamprimum poterunt, servari procurent.*

217. De monasteriis, quae sub potestate alieni Episcopi extra locum, ubi monasterium est, fortasse reperiuntur, adest declaratio S. Congreg. Episc. et Regul., quam suis verbis refert Pignat. *tom. 8. Cons. 47. n. 19.* nimirum: « Episcopo Mediola» nen..: Episcopus in monasteriis monialium suae dioecesis alteri » Episcopo subiectis ex Concilio habet ius visitandi quoad clau» suram, et eamdem potestatem quoad alia, quam habet in mo» nasteriis subiectis Regularibus. »

218. De monasteriis, quae Praelato regulari obtemperant, quamvis aliqui doctores antiquiores nodum in scirpo invenire sibi visi fuerint, tot tantaeque sunt Summorum Pontificum declarationes, ut dubitatio stultitiam sapere videatur. Pignat. *tom. 6. Cons. 85. n. 17. et seq.* plures declarationes a S. C. Conc. editas suis verbis refert, quas inter afferre satis sit eam, quam habet *num. 18.*, ubi auctor est, S. C. Conc. pluries censuisse, « licere » Episcopo, quoties opus esse iudicaverit, monasteria monialium

» Regularibus subiectarum quoad clausuram visitare, monialesque » ipsas in his, quae ad clausuram pertinent, alloqui et examini » subiicere sine Regularium interventu, et ipsis inconsultis »; item et aliam, quam eadem S. C. rescripsit Archiepiscopo Mediolanensi, videlicet: « Episcopus visitans clausuram monialium Regularibus » subiectarum potest ipsas examinare in his, quae pertinent ad » clausuram, et potest etiam sermonem habere ad moniales intra » vel extra ad crates, et Sacramenta ministrare, die 23. Mart. 1578., » et 24. Apr. 1579. » De Alex. *loc. cit. cap. 7. §. 1. q. 7.* ex potestate delegata id Episcopis competere, ac insuper hoc ipsum a S. C. Conc. decretum, et a s. m. Clem. IX. die 11. Maii 1669., necnon a s. m. Innoc. XI. confirmatum fuisse tradit.

219. Potestas, quam Episcopi et Praelati regulares in monasteriis exemptis obtinent, ab utrisque pari modo exercetur, sive, ut vulgo dici solet, cumulativa est. Episcopus autem eam independenter a Praelato regulari exercet, ut declaravit S. C. Episc. et Regul. in *Fossanen.* 31. Augusti 1658. apud de Alexand. *loc. cit. q. 8.* Itaque Superior regularis praetendere nequit, ut ipse monasterium visitet una cum Episcopo, vel eiusdem visitationi assistat. (Eadem S. C. in *Fulginaten.* 10. Ian. 1648., de Alexand. *loc. cit.*).

220. Licet aliqui doctores, et aliquoties antiquitus etiam S. C. C. autumaverit, Superioribus regularibus competere ius concedendi licentiam pro ingressu in clausuram, quin Episcopi venia ullatenus esset opus, nihilominus iampridem eadem S. C. firmavit (neque posthac unquam deflexit) decretum, quo statuit die 13. Novemb. 1610., « ut deinceps intra huiusmodi septa ne- » mini ingredi, nec alloqui liceat, nisi licentiae concedendae in » casibus necessariis, qui moniales respiciant, nedum a Supe- » rioribus regularibus dictorum monasteriorum, sed etiam a lo- » corum Ordinariis obtentae fuerint, non obstantibus quibuscum- » que contrariis legibus, statutis et consuetudinibus immemora- » bilibus. » Imo eadem S. Cong. sub die 21. Mart. 1630. Urbano VIII. approbante (verba sunt de Alex. *loc. cit.* §. *2. q. 1.*) statuit et decrevit, « in illis locis, ubi adest consuetudo, ut li- » centiae huiusmodi ab Episcopis tantum concedantur, talem con- » suetudinem esse observandam, et ipsorum Episcoporum tan- » tummodo licentias sufficere etiam privative quoad ipsos Regu- » lares. Idem resolutum fuit in *Auximana* 15. Iulii et *Perusina* » 12. Augusti 1645. » (Apud de Alex. *loc. cit.*).

221. Quibus in casibus Generales, Provinciales et Visitatores possint ingredi monasteria monialium sibi subiectarum, declaravit ac definivit s. m. Alexand. VII. in Constit. incipien. *Felici*, quae cum enucleatim determinet normas, quas eosdem hac in re sequi oporteat, opportunissimum ducimus eam totam sub oculis lectoris ponere, adeoque exhibere in volumine III. sub num. 55.

222. Praestitutum insimul ibidem fuit, quot personas secum ducere possent Praelati regulares in actu visitationis monasteriorum femineorum.

223. Accedunt saluberrimae praescriptiones circa confessariorum ingressum, circa mansionem ab his, necessitate postulante, ibi faciendam, necnon circa eorumdem stabilem habitationem a monasterio seorsim statuendam, et alia huius generis.

224. Licentia exeundi in casibus necessariis, quae datur monialibus exemptis, ab Episcopo loci et a Praelato regulari coniunctim debet in scriptis probari et concedi; nam S. Pius V. Constit. *Decori* ait: « sitque causa haec cognita, probata atque » etiam in scriptis expressa per Superiores et simul per Ordi- » narium. » (de Alexand. *loc. cit.* §. *9. q. 4.*).

225. Quod pertinet ad interdictum, ne Regulares, aliaeve personae sine Episcopi licentia ad monasteria accedant, et cum monialibus colloquantur, superius exposuimus, cum de clausura monialium non exemptarum verba fecimus. Idipsum ibi praestitimus circa poenas contra Praelatos regulares clausuram illegitime frangentes.

226. Praeter ea, quae hic de clausura monialium exemptarum persecuti sumus, consulere iuvabit nonnullas causas a S. C. Conc. diiudicatas, quas dabimus sub num. 243–258 huius capitis, postquam ea, quae administrationem bonorum huiusmodi monasteriorum respiciunt, iuxta nostrum institutum in medium attulerimus: aliqua enim dubia in iis causis proposita ad hanc etiam de bonis administrandis materiam pertinent.

« VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordi- » narii sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam » earum confessiones exceperint. »

Summarium. 227. Deputatio confessarii monialium exemptarum pertinet ad Superiorem regularem. Sed necessaria est approbatio Episcopi. Episcopus potest ex rationabili causa eiusdem amotionem urgere, atque

etiam exsequi. – 228. Confirmatur ex declaratione S. Congr. – 229. Approbatio Episcopi tantae necessitatis est, ut aliter confessiones exceptae nullae sint. – 230. Generales tamen et Provinciales Episcopi approbatione non indigere contendit auctor add. Ferraris. – 231. Approbatio generalis non sufficit, sed requiritur specialis ad hoc: – 232. Et quidem pro certo monasterio. – 233. Valet etiam de Regularibus. – 234. Quin possit suffragari consuetudo immemorialis: – 235. Neque tempus iubilaei. – 236. Confessarius deputatus debet absolute vel reiici, vel admitti per totum triennium. – 237. Moniales, tametsi nullius mortalis culpae sibi consciae, valide non possunt eidem confiteri. – 238. De confessarii regularis habitatione consulatur *Ulixbonen. Occidental.* – 239. De confessario extraordinario remissive.

227. De confessario monialium exemptarum iuxta Benedictinae instructionis vestigia sermonem habituri, iterum praemonemus id quod paragrapho quarta animadvertimus, confessarii deputationem et electionem distinctam esse ab ea approbatione, qua sacerdotes fidelium confessiones excipiendi, eosque rite ab eorum piaculis absolvendi auctoritatem assequuntur. Iamvero ad hanc approbationem quod attinet, indubitatum est, Episcopis tantummodo competere ius eamdem impertiendi etiam confessariis, sive regularibus, sive saecularibus, qui monialium a iurisdictione episcopali exemptarum confessionibus excipiendis praeficiuntur, relicta solum Superioribus earumdem potestate deputandi personam, quae ceteroquin inter eas numeretur, quae ab Episcopo ad confessiones monialium audiendas auctoratae fuerint. Cautum enim est in Constit. *Inscrutabili* Greg. XV., quod « confessores sive regulares, » sive saeculares quomodocumque exempti fuerint, tam ordinarii, » quam extraordinarii ad confessiones monialium etiam Regula- » ribus subiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi » prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approba- » tionem, quae gratis concedatur, obtineant. » Insuper ex eadem Constitutione integrum est Episcopis *ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores amoveant, iisque id facere detrectantibus vel negligentibus*, facultas est Episcopis *eosdem confessarios amovere toties quoties, et quando opus esse iudicaverint.*

228. Circa necessitatem episcopalis approbationis accedit in confirmationem S. Cong. Conc. responsum ad septimum ex dubiis super dicta Constitutione Gregorii XV. exortis, quod ita erat pro-

positum: « An Superiores regulares similiter ante ipsius Consti-
» tutionis publicationem electi seu deputati alia indigeant Episcopi
» approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum
» audiendis? » R. « Superiores regulares electos seu deputatos
» *ante* ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas
» competat audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse
» durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in
» confessionibus audiendis illarum tantum, quae sponte ac proprio
» motu id ab eis petierint; at vero eos, qui *post* Constitutionem
» eligentur, qui quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum
» officiis seu dignitatibus, expleto iam tempore a constitutionibus
» cuiuscumque Ordinis, vel alias legitime praefinito, ad aliud tem-
» pus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confes-
» siones audire, nisi prius a dioecesano Episcopo idonei iudicati
» et approbati fuerint. »

229. Quae approbatio adeo necessaria est, ut confessiones apud dictos Superiores factae nullae atque irritae sint. Nam proposito apud Sacram Cong. Conc. octavo dubio: « An confessiones,
» quas audiunt Superiores electi seu deputati, vel confirmati post
» publicationem et scientiam tenoris Bullae, non obtenta Episcopi
» approbatione, sint nullae atque irritae, necne? », eadem S. C.
» rescripsit: « Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse. »

230. Quamvis autem S. C. Conc. declarasset ab hac necessitate obtinendae approbationis non esse exemptos Generales et Provinciales Ordinum, quibus monasteria subiecta sunt; (vide Ferraris verbo *Approbatio Art. 3. num. 4.*) nihilominus, si standum esset iis, quae disserit auctor *Addit. ad Ferrarium l. c. n. 15.* ex Constit. Bened. XIII. incipien. *Pastoralis officii* §. *8.*, quam idem auctor exscribit *cit. loc.*, praedicti Generales et Provinciales monialium sibi subiectarum confessiones licite ac valide excipere dicendi essent. At hanc limitationem non facile admittendam suadet S. C. in *Lycien. Clausurae* mox afferenda *dub. 13. et 14.*

231. Hisce de Generalibus ac Provincialibus animadversis, ceteris Regularibus ad monialium confessiones excipiendas nequaquam suffragaretur approbatio generalis; nam in Constit. *Superna* Clem. X. sancitur, « et generaliter approbatos ab Epi-
» scopo ad personarum saecularium confessiones audiendas
» nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones mo-
» nialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Epi-

» scopi approbatione. » Idem declaratum fuerat a S. C. Conc. in responsione ad nonum ex memoratis dubiis, quae super declaranda Constitutione *Inscrutabili* proposita fuisse diximus.

232. Quin imo in memorata Constit. *Superna* subiicitur: « et » approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius mona» sterii minime posse audire confessiones monialium alterius mo» nasterii. »

233. Idem de Regularibus invenitur in responsione ad decimum ex memoratis dubiis; ibi enim resolutum legitur: « Regu» larem ad audiendas confessiones monialium unius monasterii » ab Episcopo approbatum minime posse audire confessiones mo» nialium alterius monasterii. » Vide Ferraris verbo *Regulares Art. 2. num. 6. ad 10.*

234. Neque Regulares tueri se possunt consuetudine etiam immemorabili; nam cum Constit. *Inscrutabili* munita sit clausula *sublata,* ac *decreto irritanti,* ex notissimo iuris principio consuetudo quaelibet omnem amittit vim et efficaciam.

235. Confessarii approbatione specifica, ut diximus, destituti monialium confessiones neque tempore iubilaei possunt excipere; prout ex Constit. *Inscrutabili* et *Superna* ratiocinatur Ferraris verbo *Approbatio Art. 3. n. 11.,* ubi insuper argumentum in rem desumit ex quadam S. C. Concilii declaratione anni 1598., quam relatam ait ab Arauxo *Select. tract. 1. qu. 8. sect. 3. n. 15.* – Ferrario adstipulantur etiam alii auctores.

236. Confessarius praesentatus ad excipiendas confessiones monialium Regularibus subiectarum debet vel absolute reiici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius, veluti S. C. Episc. et Regul. in *Catànien.* 4. Maii 1696. praescripsit in epistola, quam suis verbis refert Ferraris. *l. c. n. 13.*

237. Nulla ex monialibus, quae Regularibus subiectae sunt, sentiens sese lethali culpa minime gravatam, potest valide confiteri sacramentaliter cuicumque sacerdoti non approbato ab Ordinario, prout rescripsit S. Congr. Concil. in *Ianuen.* 9. Iunii 1657. Ferraris *loc. cit. num. 14.*

238. Quae vero speciatim de confessario monialium exemptarum sancita sunt ab Alex. VII. in Constit. *Felici,* vide vol. III num. 55., ubi per extensum eamdem afferemus. Insuper addimus declarationem S. C. Conc. in *Ulixbonen. occident.* 17. Sept. 1722., ubi concinnato dubio: « An liceat confessariis regularibus mo-

» nialium iisdem subiectarum habitare in mansionibus sitis in » atriis monasteriorum muro circumvallatis, et quae contigua » sunt monasteriis, et habent portum, quae clauditur in casu? » S. C. rescripsit: « Negative. »

239. De confessario extraordinario monialium exemptarum recolenda sunt, quae supra de confessario extraordinario non exemptarum commonuimus, quod videlicet in celebrata Constit. Bened. XIV. *Pastoralis curae,* quam dabimus in volumine III. sub num. 33. omnigenae aguntur controversiae, quae super hoc rerum genere possunt occurrere.

« VIII. An adhibitis Superioribus regularibus, singulis annis » exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt » bona pertinentia ad haec monialium monasteria Regularibus » subiecta: et an fideliter eorum reditus administrentur, et alia » fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., » quae incipit *Inscrutabili.* »

Summarium. 240. Regulares et saeculares exempti si delinquunt circa degentes intra monasterium, circa clausuram et administrationem bonorum, puniri possunt ab Episcopo. Administratores eorumdem bonorum rationes eidem reddere tenentur. Quin etiam, accedente iusta causa, amoveri possunt, si Superiores regulares id facere detrectent, vel negligant. – 241. Et haec locum habent in omnibus delictis, quin insimul sint notoria et cum scandalo. – 242. De dote monialium exemptarum, remissive. Praelati regulares nihil possunt disponere circa dotes sine licentia Ordinarii. – 243. S. Congr. in *Hyeracen.* declaravit, Episcopum visitare posse monasterium Vallis Viridis circa clausuram; non posse compellere administratores bonorum ad reddendas rationes, non vocatis Superioribus regularibus; non posse inhibere consanguineis in primo et secundo gradu, ne sine sua licentia ad monasterium accedant; item nec mulieribus etiam non consanguineis; bene vero maribus. – 244. Pro ingressu in clausuram Superiores regulares possunt dare licentiam medicis, famulis, aliisque personis necessariis (sed posterius S. Congreg. declaravit, requiri insuper licentiam Ordinarii). Huiusmodi licentias pro una vice posse dari, donec non revocentur (Et posterius S. Congr. declaravit, easdem dandas esse ad tempus limitatum). Episcopum non posse prohibere, ne plusquam duae Missae in ecclesiis monialium celebrentur, praeterquam in festis Titularis; et circa approbationem sacerdotum regularium uti posse iure suo; eumdem interesse posse electioni Abbatissae. – 245. Capellanos ab Episcopo deputandos, confessarios deputandos et approbandos esse; Epi-

scopum prohibere non posse, ut monialis demortuae exsequiae celebrentur; neque ut SS. Titularium festivitas solemniter peragatur; delegatum a Superiore monasterium ingredi posse sine licentia Episcopi, ceteros autem non sine licentia deputati et Episcopi. – 246. Exemptiones monasterio praedicto, quod postea corruerat, competentes non perdidisse idem noviter alibi constitutum; itemque esse locum demoliendae ecclesiae et alio transferendae. – 247. Eadem S. Congr. in *Tiburtina* declaravit, Episcopo licere secum ferre cancellarium in electionibus Abbatissarum exemptarum; sed eumdem cancellarium interesse non posse scrutiniis et electionibus earumdem; nec cancellarium, nec fratres, exceptis Superiore, et scrutatoribus permanere posse in ecclesia. Eadem S. Congr. in *Neapolitana* respondit, in electionibus Abbatissarum exemptarum una cum Vicario Generali interesse non posse notarium archiepiscopalem; et electionem ita peractam contrariam esse Constit. *Inscrutabili*. – 248. Eadem S. C. in *Lycien.* declaravit, Episcopum Lycien. monialium exemptarum clausuram visitaturum ingredi posse cum stola, minime cum pluviali; et excipiendum sine processione, cruce et cantu. Decrevit insuper, Superiorem provincialem semel tantum in anno clausuram interiorem visitare posse iuxta formam Constit. Alexandri VII. Sed Episcopum certiorandum per clausurae custodem; ipsum Provincialem assumere posse in convisitatorem vicarium monialium, aut alium fratrem, servata forma Constit. praedictae; nec impediri posse, quominus personalem monialium visitationem ad crates absolvat; et si faciat alibi, veluti ad confessionale, vel fenestrellam sanctissimae Communionis, incidere in poenas Constit. eiusdem; Priorem et vicarium ordinarium sine Episcopi licentia tum ingredi posse locutorium, cum ita postulet exacta sui officii administratio; vicarium posse ingredi ad visitandas crates, ne moniales cum saecularibus, vel Regularibus clandestine loquantur; Provincialem et vicarium, aut alium religiosum absque Episcopi licentia non posse in confessionario extraordinario sedere, ut monialium confessiones audiant, neque ibidem, vel in confessionario ordinario posse exhortari, et audire monialium confessiones. – 249. Superiorem Regularium posse atrium clausurae omnibus patens ingredi, et puellae vestiendae benedictionem dare; eumdem idipsum facere posse in ingressu vel egressu educandae, vel ancillae; item sine Episcopi licentia locutorio interesse posse, cum a procuratore recitantur computa in libro maiori reportanda; item occasione contractuum activorum, vel passivorum. Absente Superiore, confessarium remanere vicarium monasterii. – 250. In *Ariminen.* resolvit, Episcopum moniales exemptas posse cogere ad subeundam visitationem personalem ad crates; et posse visitare nedum moenia exterius, sed et interius chorum, cellas et similia; et moniales resistentes congruis remediis posse puniri; Episcopum posse ingredi stola indutum; stratum

cum pulvinari eidem praeparandum; confessarium, officiales aliosque ministros in ingressu et egressu teneri eum comitari; Episcopum posse solum cum suis convisitatoribus ingredi monasterium. – 251. Non obstante contraria consuetudine, posse rationum redditionem exigere; sed libros non esse foras asportandos; et computa revidenda esse ad crates; idque solum facere posse, si Superior regularis opportune monitus nec per alium comparuerit. Posse a Superiore regulari vice-confessarium deputari in confessarium extraordinarium; confessarium extraordinarium ab Episcopo approbandum esse qualibet vice. – 252. In *Conversana* declaravit, in monasterio exempto Abbatissae electionem fieri non posse sine praesidentia Episcopi, vel eius deputati; eamdemque aliter factam esse nullam; pro munere Priorissae suffragia libere danda esse iuxta qualitates et merita, non iuxta antianitatem; triennalem commissarium non posse, exacto triennio, in confessarium eligi, sed alium nominandum; claves clausurae monasterii non a sacerdote saeculari, sed a confessario esse retinendas. – 253. Superiorem, seu commissarium non posse etiam ex iusta causa monasterium ingredi, excepto casu visitationis, idque praeterea semel in anno; licentias ingrediendi pro medicis aliisque personis necessariis cumulative cum Episcopo dandas esse; easdemque dandas esse ad tempus limitatum. Item licentias eiusmodi pro saecularibus aliisque cumulative cum Episcopo dari debere; Episcopum posse prohibere sub censuris tum Priori, tum Religiosis, ne sine sua licentia in scriptis moniales alloquantur; at vero non posse prohibere, ne in ecclesia monialium Missam celebrent. – 254. Commissarium ad crates ecclesiae, vel collocutorii concionem ad moniales habere posse, at pro solis monialibus, et clausis ianuis; ordinationes prohibentes per edictum accessum ad collocutoria et crates a solo Episcopo indici debere; Episcopum non posse sub censuris prohibere, ne Priorissa clausurae portam aperiat in accessu consanguineorum et affinium primi et secundi gradus; absolutionem a censuris pro violata clausura spectare ad Episcopum in casibus non reservatis; itemque absolutionem a censuris pro percussionibus gravibus tantum. – 255. Superiorem regularem teneri Episcopum monere de visitationis tempore a se peragendae; Episcopo visitanti stolam deferre licere, ac moniales teneri stratum parare; Episcopum posse, etiam inconsultis Superioribus regularibus, clausuram visitare, onerata eius conscientia; neque teneri horam visitationis absolvendae monialibus significare; et posse interrogare moniales super clausura formali ac materiali; revisionem computorum faciendam esse ab Episcopo coram Superiore regulari; acta pro receptionibus aliisque spectare ad Episcopum; Commissarium velum dare non posse puellis, quae viginti quinque annos non compleverint; facultatem pro alienationibus rerum modici valoris dandam esse ab Episcopo. – 256. In *Ferrarien.* edixit;

non obstante contraria consuetudine, Superioribus regularibus competere iurisdictionem ordinariam; vicarium monasteriorum exemptorum, eoque impedito, confessarium posse intervenire contractuum stipulationi; item rationum redditioni et computorum revisioni. – 257. Archiepiscopum non posse, irrequisito Superiore regulari, exigere rationum redditionem; electionem novorum ministrorum spectare ad Priorissam et moniales cum interventu Superioris regularis, et ad Archiepiscopum spectare patentium expeditionem; dimissionem faciendam esse in manu Priorissae; remotionem faciendam a Priorissa ac monialibus iuxta Bullam *Inscrutabili;* ministrum vigore patentium non posse administrationis actus inire sine procura Priorissae ac monialium; posse moniales, cum interventu Superioris regularis ministro dare facultates sibi bene visas, et alios procuratores constituere ad certa negotia. – 258. Quaecumque instrumenta stipulari debere coram Priorissa ac monialibus capitulariter congregatis cum interventu Superioris regularis; in instrumentis praenominari, et prius subscribi Superiorem, ac postea ministrum; archivium retineri debere intra claustra, non in collocutorio; libros magistrales retineri debere in archivio, et de trimestri in trimestre tradi debere ministro.

240. Post ea, quae late de fideli administratione redituum ad monasteria non exempta pertinentium explicavimus, pauca dicenda supersunt super eodem articulo monasteria a iurisdictione episcopali exempta respiciente. Constit. Gregor. XV. incipien. *Inscrutabili,* cuius praescriptiones observari et custodiri disertis verbis Bened. XIII. in sua instructione praecipit, haec ad rem habet §. 4. et 5.: « Ad haec tam Regulares, quam saeculares » huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, » quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, » aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem mo- » nasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab » Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicae de- » legato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant... » Administrantes bona ad eiusmodi monasteria sanctimonialium, » ut praefertur, etiam Regularibus subiectarum pertinentia, sive » saeculares exstiterint, sive Regulares quomodolibet exempti, » Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis » annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, red- » dere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant; » liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares » admonere, ut eiusmodi... administratores amoveant: iisque

» Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat » Episcopus facultatem praedictos... administratores amovendi » toties quoties et quando opus esse iudicaverit. »

241. Et in dubiis super hac Constitutione declaranda propositis penes S. C. Conc., ad dubium 13.: « An eadem Constitu- » tio, qua parte supponit Episcopi iurisdictioni Regulares delin- » quentes circa personas degentes intra septa monasteriorum » monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem » eorumdem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, » an vero solum in notoriis, et cum scandalo populi? » S. C. respondit: « Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus » delictis, non autem in notoriis tantum, et cum scandalo populi. »

242. Circa dotes puellarum ea recolantur, quae de hac re disseruimus *Art. 5.* huius paragraphi. Praecipue vero ibidem diximus, Ordinarium non posse praescribere, ut depositum fiat coram ipso, sed sufficere, ut sibi de persona notarii et depositarii relatio detur: haec porro dispositio extenditur etiam ad monasteria Regularibus obnoxia (S. Congr. Episc. et Regul. *Fulginaten.* 29. Aug. 1550.). Animadvertendum etiam est, Superiores regulares circa depositionem, solutionem, et erogationem dotis nihil posse disponere sine licentia Ordinarii sub poena privationis vocis activae et passivae, et officiorum (Constit. *Inscrutabili* et S. C. Episc. et Regul. *Derthonen.* 15. Nov. 1652. et saepe alibi, ut habet Ferraris verbo *Moniales Art. 2. n. 26.*).

243. Nunc illas declarationes S. C. Conc. monasteria monialium Regularibus subiecta attingentes, quas superius (num. 226.) adpromisimus, quaeque clausuram et bonorum temporalium administrationem respiciunt, per extensum exhibemus, ut sequitur:

*Hieracen.* Visitationis. Intra dioecesim, et in oppido Castri Veteris adest monasterium monialium B. M. V. Vallis Viridis subiectum iurisdictioni Priorissae Messanen., et pro tali a Sacra Congregatione reputatum anno 1579. in contradictorio iudicio inter dictam Priorissam et tunc temporis Episcopum Hieracensem. Ad visitationem huius monasterii curaverat accedere an. 1690. modernus Episcopus, qua quoad clausuram peracta, volens eam perficere quoad omnes sanctimoniales, fuit impeditus: quare, praesupposita asserta exemptione, utraque parte citata ac informante super infrascriptis dubiis concordatis, Emi Patres benignum responsum praebere rogati sunt:

I. An Episcopus visitare possit dictum monasterium S. Mariae di Val Verde in concernentibus clausuram?

II. An possit administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus monasterii, eosdemque administratores removere, quatenus iidem Superiores interpellati id renuant facere?

III. An possit cuicumque personae etiam in primo et secundo gradu coniunctae inhibere, ne audeat ad monasterium accedere absque ipsius licentia?

IV. An possit inhibere famulis et famulabus coniunctarum personarum, ne ad dictum monasterium accedant absque licentia Episcopi?

244. – V. An medici, chirurgi, aliique ministri necessarii ingredi possint in clausuram cum sola licentia et approbatione delegati, absque licentia vel consensu Episcopi?

VI. An praefata licentia sit ad tempus determinatum, vel iuxta opportunitatem pro unica vice tantum concedenda, et an possit denegari?

VII. An liceat Episcopis inhibere, ne in ecclesia dicti monasterii celebrentur plus quam duae Missae, etiamsi monasterium teneatur aliquod onus explere, exceptis tamen diebus exsequiarum et festivitatis Titularis monasterii, et sacerdotes debeant specialiter ab Episcopo approbari?

VIII. An possit interesse electioni Abbatissae?

245. – IX. An capellani et confessarii sint a Superiore monasterii deputandi et approbandi ab Episcopo?

X. An occurrente obitu alicuius monialis vel educandae, possit Episcopus prohibere, ne in ecclesia monasterii celebrentur exsequiae?

XI. An possit impedire celebrationem solemnem festivitatis Beatorum Petri et Pauli Titularium monasterii?

XII. An in iis, in quibus Episcopus potest procedere iurisdictione delegata, sit locus deputationi Episcopi vicinioris?

XIII. An delegatus a Superiore monasterii possit absque licentia accedere ad dictum monasterium; et an aliis licentiam concedere possit solus, vel unitim cum Episcopo?

Die 26. Iunii 1692. S. Congregatio iuribus ab utraque parte deductis mature perpensis respondit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Quoad primam partem negative; ad secundam affirmative.

Ad III. Censuit, danda esse decreta a S. C. Episc. et Regul. hac de re edita, tenoris sequentis: « Tranen. Ad Archiepiscopum. » S. Congregatio non intendit in edictis generalibus, quae circa » accessum ad monialium collocutoria publicantur, earum coniunctos in primo et secundo gradu comprehendere; quapropter » Excellentia Tua, menti S. Congregationis si stare velit, minime » prohibere poterit, ne ecclesiae Nazareth sacerdotes colloquantur » cum monialibus in primo et secundo gradu ipsis coniunctis, » modo ne id faciant diebus solemnibus temporibusque prohibitis. »

Ad IV. Itidem danda esse decreta S. C. Episc. et Regul. videlicet: « Civitatis Plebis. Moris non est, ut mulieres licentiam » petant ingrediendi monasteria, ubi cum monialibus colloquantur; ad viros autem quod attinet, exceptis patribus fratribusque » tantum, prohibere poteris, ne absque venia a Te petita ingrediantur; fac, ut ita observetur in futurum. Vale. Romae 12. » Ian. 1604. »

Ad V. Danda esse decreta in hac ipsa Hieracen. a S. Congr. Concilii edita anno 1581. ad 3. dub., tenoris sequentis: « III. Item » si nomine clausurae contineatur, ut medici, chirurgi, et aliae » feminae, quae in casu infirmitatis serviunt, famulae ordinariae » et famuli, qui granum, farinam, ligna, aquam aliasque res necessarias portare debent, sartores, muratores, lignarii ac procuratores, possint aut non possint dictum monasterium ingredi;» S. Congr. respondit, licentiam ingrediendi monasterium spectare ad Superiorem regularem (1) ex *cap. 5. Sess. 25. de Regul.*

Ad VI. Danda pariter decreta dictae S. Congr. Episc. et Regul. tenoris infrascripti: Parmen. Ad Episcopum. « Hic Romae et ubi» cumque monialium monasteria in bona habentur cura, catalogus » confici solet earum personarum, ut sunt, praeter medicum, » chirurgum, pistores, muratores, fabri lignarii et ferrarii, famuli » pro certis occasionibus, quibus, quoadusque non revocetur,

---

(1) Hac in re necessarium ducimus lectorem ad ea remittere, quae superius diximus in hac paragrapho *(ad art. 6. n. 220.)*, ubi monuimus aliter in posterum a S. C. Episc. et Regul. sancitum fuisse, neque unquam posthac ab ea sanctione recessum esse.

» semel pro semper conceditur licentia ingrediendi iuxta neces-
» sitatem monasteria, ut, quidquid necesse fuerit, pro suo quis-
» que munere perficiant, ita tamen, ut personae maturae aetatis
» bonorumque eligantur morum. Idem facere debebis in Tuis mo-
» nasteriis simul prohibendo, ne, praeter personas requisitas,
» aliae ingrediantur: sic enim multis in locis praescriptum et
» ordinatum est. 20. Novembris 1584. » (1).

Ad VII. Negative, et quoad approbationem sacerdotum saecularium Episcopum uti debere iure suo.

Ad VIII. Affirmative iuxta formam declarationis post Constit. Gregorianam nempe: – 5. An per eamdem Constit. in illis verbis: « Possit Episcopus una cum Superioribus regularibus quarum-
» cumque Abbatissarum etc. electionibus per se vel per alium
» interesse ac praesidere. » Ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? « S. Congr. censuit, ius confirmandi Ab-
» batissas minime fuisse Episcopis per Constit. attributum. »

Ad IX. Affirmative quoad deputationem, et approbationem confessarii spectare ad Episcopum.

Ad X. et XI. Negative.

Ad XII. Deputandum esse Episcopum Squillacensem arbitrio S. Congr.

Ad XIII. Affirmative quoad delegatum, et quoad alios unitim cum Episcopo (2).

246. In terrae motu, qui anno 1743. accidit, ex hoc B. M. Vallis Viridis monasterio moniales aufugere coactae sunt, aliamque in eadem civitate domum habitare. Cum vero in actu huiusce migrationis privilegia sua retinere circa exemptionem sese velle formaliter professae forent, hinc suis iuribus tuendis tenaciter adhaerentes duobus, quae sequuntur, dubiis occasionem praebuerunt:

I. An exemptiones, quae competebant monasterio diruto Vallis Viridis Castri Veteris ad formam Resolutionum S. C. 1579. 1581.,

---

(1) Notandum est, disciplinam generales huiusmodi licentias concedendi reiectam postero tempore fuisse, et insuper inductum esse, ut ad tempus limitatum concedantur. Ita in *Conversanen. Iurisdictionis* apud S. C. Conc. mox afferenda *ad dub. nonum.*

(2) Vide *lib. 42. decret. pag. 45.*; refertur etiam in *Thesauro Res. an. 1760.* post causas diei 6. Dec. eiusdem anni *pag. 213.*

et 1692. competant eidem monasterio noviter constructo in eadem civitate Castri Veteris?

II. An sit locus demolitioni ecclesiae S. Felicis pro perficienda clausura monasterii, et respective translationi eiusdem ecclesiae in alium locum in casu?

Die 6. Decembr. 1760. S. C. Conc. respondit:

Ad I. Affirmative et amplius.

Ad II. Affirmative, et pro exsecutione ad Emum Praefectum ad mentem.

247. *Tiburtina.* « An in electionibus Abbatissarum in monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia possit » Episcopus secum conducere Cancellarium? »

Et quatenus affirmative,

II. An liceat eidem Cancellario interesse ac assistere scrutiniis ac electionibus Abbatissarum, quae fiunt in monasteriis monialium Ordinis Minorum de Observantia Tiburis?

Et quatenus Negative,

III. An saltem dictus Cancellarius, durante scrutinio, permanere possit intra ecclesiam in casu?

Die 26. Aprilis 1727. S. C. rescripsit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Nec Cancellarium, nec Fratres, exceptis Superiore et scrutatoribus, permanere posse intra ecclesiam.

In huius causae folio §. *Sola* refertur resolutio S. Congr. diei 4. Maii 1675. in *Neapolitana Elect. Abbatissae,* in qua dubia proposita fuerunt:

I. An in electionibus Abbatissarum (monasteriorum exemptorum) una cum Vicario Generali interesse possit etiam notarius archiepiscopalis?

II. An dicta electio facta absque interessentia Vicarii et notarii sit contra Constit. *Inscrutabili* ac propterea nulla?

S. Congregatio adhaerens petitioni Procuratoris Generalis canonicorum regularium, quibus monasterium erat subiectum, respondit: « Negative ad utrumque. »

248. *Lycien. Clausurae.*

I. An Episcopus visitans clausuram monialium Regularibus subiectarum ingredi possit cum pluviali et stola?

II. An Episcopo visitare volenti clausuram dictorum mona-

steriorum moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori, vel interiori sedem cum baldachino, vel solummodo sufficiat illi stratum praeparare in utraque ecclesia?

III. An Episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitare volentem teneantur moniales omnes excipere processionaliter cum cruce et Cantico *Benedictus?*

IV. An Prior Provincialis possit ad formam Constit. Alexand. VII. clausuram interiorem visitare, septa monasteriorum monialium suae curae subiectarum ingrediendo absque ulla licentia Episcopi? Et quatenus affirmative,

V. An Episcopus saltem debeat certiorari de die et hora talis visitationis, et a quo?

VI. An Prior Provincialis pro visitatione clausurae interioris possit in convisitatorem assumere Patrem Vicarium earumdem monialium, vel quemlibet alium Fratrem sui Ordinis maturae aetatis absque licentia Episcopi, vel eius certioratione?

VII. An idem Prior Provincialis visitationem personalem monialium monasteriorum exemptorum sui Ordinis valeat facere ad crates tantum?

VIII. An idem Provincialis ab Episcopo impeditus, ne talem visitationem ad crates faciat, eamdem facere possit ad confessionale, vel ad fenestrellam SSmae Cmommunionis?

IX. An eamdem visitationem alibi faciens, veluti ad confessionale, vel ad fenestrellam SSmae Communionis, incidat in poenas Constit. Alexand. VII.?

X. An Episcopus directe vel indirecte impediens talem visitationem incidat in poenas Constit. Clementinae *de Stat. mon.?*

XI. An Prior conventus S. Ioannis de Aymo Ord. Praedicatorum civitatis Lycien., et Vicarius ordinarius dictorum monasteriorum absque licentia Episcopi locutorium ingredi possit, ibique cum suis monialibus alloqui, an vero solummodo, quando sic exigat exacta administratio sui officii?

XII. An idem P. Vicarius absque licentia Episcopi locutorium ingredi possit ad visitandas crates, ne moniales absque licentia debita clandestine saeculares et Regulares alloquantur?

XIII. An Prior Provincialis, vel Pater vicarius dictorum monasteriorum, aut alius quicumque Religiosus absque licentia Episcopi possit in confessionario extraordinario sedere, ibique monialium confessiones excipere?

XIV. An in confessionario ordinario vel extraordinario possit easdem moniales exhortari et audire?

249. – XV. An Superior regularis vestibus sacris indutus associando puellam habitu Ordinis initiandam, absque licentia Episcopi possit in atrium clausurae (quod omnibus patet) ingredi, ibique puellae benedictionem dare, an vero sistere debeat in via publica ante ianuam clausurae exterioris?

Et quatenus affirmative ad primam partem,

XVI. An hoc idem in habitu Ordinis agere possit in ingressu et egressu puellae tam educandae quam ancillae?

XVII. An salvo iure Episcopi una simul cum Superiore regulari revidendi computa dictorum monasteriorum possit Superior regularis absque licentia Episcopi in locutorio interesse tempore, quo a factore (qui procurator nuncupatur) coram monialibus deputatis mensatim recipiantur computa in libro maiori reportanda?

XVIII. An in quibuscumque contractibus tam activis, quam passivis per notarium in locutorio rogandis (salvo iure Episcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorumdem) possit Superior regularis interesse eisdem contractibus absque licentia Episcopi?

XIX. An in absentia Superioris regularis confessarius remaneat vicarius dictorum monasteriorum?

Die 22. Septembr. 1742. S. C. Concilii respondit:

Ad I. Negative quoad pluviale, et affirmative quoad stolam.

Ad II. Sufficere praeparationem strati.

Ad III. Teneri moniales excipere Episcopum sine processione, cruce et cantu.

Ad IV. Affirmative semel tantum in anno ad formam eiusdem Constitutionis.

Ad V. Episcopum certiorandum esse per custodem clausurae.

Ad VI. Affirmative, servata forma praedictae Constitutionis.

Ad VII. Affirmative, et ab Episcopo non esse impediendum.

Ad VIII. Provisum in septimo.

Ad IX. Affirmative.

Ad X. Recurrant in casibus particularibus.

Ad XI. Affirmative in casu tantum, quo ita postulet exacta administratio officii.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. et XIV. Negative.

Ad XV. et XVI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XVII. XVIII. et XIX. Affirmative et amplius in omnibus.

Circa 13. et 14. adnotanda sunt ea, quae paulo ante diximus, Generalibus ac Provincialibus monasteriorum sibi subiectorum ex Constit. Bened. XIII. forsitan licere monialium confessiones absque Episcopi approbatione excipere iuxta ea, quae ad rem disserit Ferraris verbo *Approbat. Art. 4. num. 15.*

250. *Ariminen.* I. An Episcopo Ariminen., non obstante asserto Brevi s. m. Innocent. VIII., competat ius visitandi monasterium et moniales S. Sebastiani quoad clausuram, et explendi alia, de quibus in Constit. *Inscrutabili* s. m. Gregorii XV. in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An Episcopus Ariminen. visitaturus clausuram monialium monasterii S. Sebastiani civitatis Arimini canonicis regularibus subiecti possit ipsas cogere ad subeundum onus visitationis personalis ad crates collocutorii circa ea, quae pertinent ad clausuram in casu?

III. An Episcopus in concernentibus clausurae custodiam possit visitare nedum crates et moenia exteriora monasterii praedictarum monialium, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas omnes inferiores et superiores aliaque loca in casu?

IV. An et quomodo puniendae sint moniales, vel alii resistentes dictae visitationi, aut eam impedientes in casu?

V. An Episcopus eiusdem monasterii clausuram visitaturus possit ingredi stola indutus?

VI. An teneantur Episcopo ut supra visitanti stratum cum pulvinari parare in ecclesia interiori et exteriori in casu?

VII. An et a quibus Episcopo accedenti pro eadem visitatione debeantur in ingressu et egressu ab ecclesia honorificentiae et praeeminentiae, actus reverentiales, et associatio in casu?

VIII. An Episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi, et visitare clausuram dictarum monialium absque interventu P. Abbatis et confessarii earumdem, seu aliorum Regularium eiusdem Ordinis?

251. – IX. An idem Episcopus possit exigere rationem administrationis bonorum praedictarum monialium ad formam Bullae s. m. Gregor. XV. incipien. *Inscrutabili,* non obstante praetenso

eius non-usu: et an pro huiusmodi effectu debeant asportari libri administrationis, aliaeque scripturae pro rationum revisione necessariae ad eius palatium episcopale, vel potius computa revideri debeant ad crates monasterii in casu?

Et quatenus affirmative (1),

X. An in eadem redditione rationum intervenire debeant Abbas dicti monasterii aliique Regulares eius Ordinis in casu?

XI. An praedictis canonicis regularibus in illorum comitiis aut capitulis liceat ultra confessarium ordinarium deputare alium vice-confessarium ad annum, vel ad aliud certum tempus pro administrando Sacramento Poenitentiae eisdem monialibus, quoties ob absentiam vel infirmitatem confessarii ordinarii, vel aliam iustam causam ita expedire videatur in casu?

XII. An huiusmodi vice-confessarius debeat pro qualibet vice intra tempus suae deputationis occurrente approbari ab ipso Episcopo, vel potius sufficiat eum semel ab initio approbari in casu?

XIII. An idem vice-confessarius possit etiam ab Abbate, aut ab eorumdem canonicorum regularium capitulis deputari in confessarium extraordinarium praedictarum monialium ad formam Sacri Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 10. de Regul.?*

XIV. An pro exercendo munere confessarii extraordinarii sufficiat pariter quempiam idoneum a Superioribus regularibus deputari, et ab Episcopo approbari semel per annum, vel potius requiratur approbatio Episcopi pro qualibet vice infra annum occurrente in casu?

Emi Patres die 27. Ianuarii 1748. rescripserunt:

Ad I. et II. Affirmative et amplius.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative congruis iuris remediis.

Ad V. et VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative quoad confessarium, officiales aliosque ministros monasterii.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Affirmative ad primam et secundam partem, negative ad tertiam.

---

(1) Vid. Benedicti XIV. *Instit. eccl. 29. num. 7.* circa praedictum non-usum.

Ad X. Affirmative; et quatenus Abbas opportune monitus non comparuerit sive per se, sive per alium Regularem, revisionem fieri posse a solo Episcopo.

Ad XI. et XII. Affirmative cum approbatione Episcopi ac, certiorato Episcopo in casu impedimenti, et cum eiusdem licentia.

Ad XIII. Negative.

Ad XIV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et amplius in omnibus.

252. *Conversana Iurisdictionis* (1).

I. An in monasterio monialium Carmelitarum Putignani electio Abbatissae fieri valeat sine praesidentia Episcopi Conversani sive eius delegati?

Et quatenus affirmative,

II. An illa aliter facta sine huiusmodi praesidentia, dum Episcopus declaravit, se iuxta Bullam *Inscrutabili*, praesidere velle, sit nulla, ita ut ad novam electionem procedi valeat?

III. An munus Priorissae in moniales iuxta antianitatis ordinem, et sine ullo meritorum delectu ibi conferri debeat, sive potius monialium suffragia in alias etiam non antianas iuxta qualitates et merita libere dari valeant?

IV. An Superior seu Commissarius dicti monasterii per P. Generalem Ordinis ad triennium eligi solitus, postea per idem tempus in confessarium ordinarium monialium possit nominari, vel saltem P. Generalis valeat alium nominare in confessarium ordinarium?

V. An Episcopus sub censuris prohibere valeat Superiori regulari dicti monasterii, et confessariis ordinario et extraordinario, ne extra propria respective munera cum monialibus alloquantur?

VI. An possit Episcopus pro clausurae custodia presbyterum saecularem deputare, qui claves monasterii retineat, sive potius illae per confessarium regularem sint retinendae?

253. – VII. An Superiori, seu Commissario monasterii sine censurarum incursu licitum sit etiam cum iusta et legitima causa clausuram ingredi absque licentia Episcopi, vel eius delegati?

---

(1) Monasterium erat Putignani sanctimonialium Ordinis Carmelitici, de quo agit Constit. *Apostolicae* a Bened. XIV. edita.

VIII. An licentiae concessae pro medicis et aliis, qui ex necessitate in clausuram ingrediantur, privative dari debeant a Commissario monasterii, sive cumulative etiam ab Episcopo?

IX. An huiusmodi licentiae pro medicorum aliorumque ingressu absolute vel ad limitatum tempus sint concedendae?

X. An ad alloquendum cum monialibus concessio licentiae saecularibus ac aliis quibuscumque privative quoad Episcopum pertineat ad Superiorem monasterii: sive potius cumulative ad dictum Superiorem et Episcopum, vel eius delegatum?

XI. An Episcopus sub censurarum poena prohibere possit tam Priori conventus Carmelitarum existen. in terra Putignani, quam aliis quibuscumque Religiosis eiusdem Ordinis, ne sine eius vel vicarii licentia in scriptis cum monialibus alloquantur?

XII. An Episcopus prohibere valeat dictis Superiori et Religiosis conventus, ne sine eius licentia Missam in ecclesia monialium celebrent, et in casu contraventionis procedere possit contra ipsos ad aliquam poenam?

254. – XIII. An ad crates ecclesiae seu collocutorii, aut alibi liceat Commissario monasterii sermonem aut conciones habere ad moniales sine Episcopi licentia?

XIV. An ordines prohibentes accessum ad collocutoria et crates monialium a solo Episcopo indici et publicari debeant?

XV. An sub censuris per Episcopum prohiberi valeat, ne portam clausurae Priorissa aperiat tam in accessu consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu ad alloquendum cum monialibus, quam ubi et quando res in monasterium per rotam introduci possunt?

XVI. An absolutio monialium a censuris pro violata clausura, aut pro canone *Si quis suadente diabolo, (29. caus.17.quaestion.4.)* pertineat ad Commissarium monasterii, sive potius ad Episcopum?

255. – XVII. An Provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinae Constitutionis teneatur praeventive Episcopum certiorem reddere de die et hora explendae visitationis, et quomodo huiusmodi certioratio fieri debeat?

XVIII. An Episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre, eique moniales teneantur stratum parare, omnesque in ingressu obviam ire?

XIX. An Episcopus toties, quoties expedire putaverit, possit, etiam inconsultis Superioribus regularibus, tam clausuram,

quam cellas monialium in concernentibus eamdem clausuram visitare adhuc praecisive tam a suspicione, quod illa violata fuerit, quam a quacumque Superiorum regularium negligentia?

XX. An dies et hora explendae visitationis praefatae clausurae ab Episcopo monialibus ante accessum et dici et notificari debeat?

XXI. An eiusdem clausurae visitatio ab Episcopo sine Superiorum regularium, seu alicuius Religiosi interventu fieri valeat?

XXII. An ultra visitationem localem licitum sit Episcopo visitationem personalem cuiusvis monialis explere, atque illam interrogare in attinentibus ad clausuram tam materialem, quam formalem?

XXIII. An revisio computorum administrationis dicti monasterii facienda sit ab Episcopo una cum Superiore regulari, dum bona et reditus per Religiosum Carmelitam administrantur?

XXIV. An acta necessaria pro receptione puellarum tam pro educatione, quam pro earum ingressu et professione facienda sint in cancellaria Episcopi, a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissione, et ad quem spectet exploratio voluntatis earumdem puellarum?

XXV. An Pater Commissarius velum dare possit monialibus professis, adhuc si vigesimum quintum annum non expleverint?

XXVI. An, et a quo sit praestandus assensus alienationi bonorum monasterii, quae fit vigore *Can. Terrulas* in casu etc.?

Die 9. Maii 1751. Emi Patres rescripserunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad V. Dentur decreta (1).

Ad VI. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VII. Negative, excepto casu visitationis faciendae semel in anno.

---

(1) Vide supra, cum de accessu et collocutione cum monialibus rem habuimus in articulo *de Clausura*.

Ad VIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IX. Concedendas esse ad tempus limitatum.

Ad X. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad XI. Affirmative.

Ad XII. Negative.

Ad XIII. Affirmative pro solis monialibus, et clausis ianuis.

Ad XIV. Affirmative quoad ordines publicandos per edictum.

Ad XV. Negative.

Ad XVI. Quoad primam partem spectare ad Episcopum in casibus non reservatis S. Sedi; quo verum ad secundam, spectare ad Episcopum in percussionibus gravibus tantum.

Ad XVII. Affirmative iuxta decretum in *Lycien.*

Ad XVIII. Affirmative.

Ad XIX. Affirmative, onerata conscientia Episcopi.

Ad XX. Negative.

Ad XXI. XXII. et XXIII. Affirmative.

Ad XXIV. Omnia spectare ad Episcopum.

Ad XXV. Negative.

Ad XXVI. Spectare ad Episcopum.

256. *Ferrarien. Iurisdict.* Inter alia sanctimonialium monasteria, quae Ferrariae sunt, regularium Ordinum, quatuor sunt Dominicanae familiae: duo Patri Provinciali utriusque Lombardiae, alterum nempe S. Catharinae Martyris, alterum S. Catharinae Senensis: alia duo, alterum S. Rochi, alterum S. Monicae Patri Vicario Generali Congregationis S.Sabinae subiecta sunt. In ultima visitatione facta a P. Provinciali Lombardiae auditae sunt monialium querelae, omnia nutu arbitrioque syndici regi atque administrari, locationes, concessiones, renovationes emphyteuticas sine propositione edictorum, sine beneplacito Apostolico, sine assensu, imo cum dissensu monialium, sine interventu Praefecti regularis fieri, libros accepti et expensi non intra claustra monasteriorum, sed apud ministros servari. His auditis querelis optimum esse censuit P. Provincialis, rationes exigere a ministris, eisque indixit, ut libros ederent; cum hi renuissent libros edere et rationes reddere, adiit P. Provincialis Eminentissimum Archiepiscopum, ut cogeret; sed eum difficilem invenit, quod putaret Regularium auctoritatem versari dumtaxat in directione spirituali monialium, cetera ad Episcopos pertinere. Hinc orta est

de iurisdictione controversia, quae ad hoc sacrum tribunal delata est, novisque in diem evenientibus dissidiorum causis, tandem post auditum eumdem Eminentissimum Archiepiscopum causa omnis in his capitibus collecta fuit:

I. An Superioribus regularibus competat ordinaria iurisdictio in spiritualibus et temporalibus super monasteriis SS. Catharinae Martyris et Senensis, necnon SS. Monicae et Rochi, et signanter in procuranda recta administratione bonorum et redituum dictorum monasteriorum sibi subiectorum, seu potius servanda sit in casibus particularibus praetensa consuetudo in casu?

II. An vicarii monasteriorum praefatorum instituti per Provincialem Lombardiae, et respective per Vicarium Generalem Congregationis S. Sabinae, vel illis impeditis seu absentibus, confessarii eorumdem monasteriorum possint intervenire quibuscumque contractibus ineundis nomine eorumdem monasteriorum?

III. An iidem vicarii, vel, illis absentibus aut impeditis confessarii possint ac debeant assistere redditioni rationum, seu revisioni computorum, ut praetenditur, faciendorum de trimestri in trimestre?

IV. An Provincialis utriusque Lombardiae, et P. Vicarius Generalis S. Sabinae possint et debeant visitare dicta monasteria circa administrationem bonorum et redituum, et sic revidere libros introitus et exitus, ac exigere rationum redditionem a ministris aliisque officialibus eorumdem monasteriorum?

257. – V. An Emus Archiepiscopus possit, irrequisito Superiori regulari, exigere et recipere rationum redditionem a dictis ministris, et officialibus.

VI. An electio cuiuscumque novi ministri et syndici in casu obitus, dimissionis officii, vel amotionis spectet ad Priorissam et moniales, vel potius ad Archiepiscopum?

VII. An dimissio officiorum facienda sit in manibus Priorissae, vel potius in manibus Emi Archiepiscopi?

VIII. An facultas removendi dictos officiales et ministros spectet ad Priorissam et moniales, seu potius ad Emum Archiepiscopum?

Et quatenus affirmative ad primam partem V. VI. VII. dubii,

IX. An novus minister vel syndicus possit vigore literarum patentium Archiepiscopi contractus inire, aliosque administrationis actus gerere sine mandato procurae Priorissae et monialium?

Et quatenus negative,

X. An Priorissae et moniales possint novo syndico tribuere in mandato procurae facultates sibi bene visas, ac etiam alios procuratores constituere ad certa negotia?

258. – XI. An quaecumque instrumenta stipulari debeant coram Priorissa et monialibus capitulariter congregatis cum interventu Superioris regularis?

XII. An in quibuslibet instrumentis et scripturis, quibus intervenit Superior regularis et syndicus, debeat praenominari et prius subscribere ipse Superior regularis, seu potius syndicus?

XIII. An archivium cuiuscumque ex dictis monasteriis retineri debeat intra claustra, seu potius extra, idest in collocutorio monialium?

XIV. An omnes libri nuncupati magistrales retineri debeant in archivio, et de trimestri in trimestre tradi ministris pro reportandis partitis introitus et exitus in casu?

Emi Patres die 28. Septembr. 1754. rescripserunt:

Ad I. Affirmative quoad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. III. et IV. Affirmative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Electionem spectare ad Priorissam et moniales cum interventu Superioris regularis; ad Archiepiscopum vero spectare expeditionem literarum patentium iuxta solitum.

Ad VII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative quoad primam partem, quoad secundam servetur Bulla *Inscrutabili*.

Ad IX. Negative.

Ad X. Affirmative cum interventu Superioris regularis.

Ad XI. et XIV. Affirmative.

Ad XII. et XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam (1).

---

(1) Notandum est, quod in *Viterbien. Iurisd. 17. Iunii 1760.*, cum ageretur de deputato, cui principaliter clausurae custodia, ac dein honoraria et consultoria rerum temporalium cura inerat, S. Congr. Conc. edixerit, electionem ad Episcopum spectare iuxta consuetudinem immemorabilem.

# APPENDIX

## *De institutis vota simplicia emittentibus.*

### Art. I. De origine et propagatione eorumdem institutorum.

Summarium. 259. Primis Ecclesiae saeculis nullum inter vota solemnia ac simplicia discrimen ponebatur, et S. Sedes de fundatione novarum Religionum curam nondum sibi assumebat. – 260. Concilium Lateranense ac Lugdunense statuerunt, ut in posterum aliqua ex quatuor regulis adprobatis omnino adoptaretur. Id valet etiam pro feminarum monasteriis. – 261. De Beguinarum condemnatione. – 262. Quarum aliquae exceptae et Episcopis suppositae. – 263. S. Pius V. mulieres collegialiter viventes ad vota solemnia adegit. – 264. Nihilominus communitates votorum simplicium existere non destiterunt. – 265. Sed Apostolica Sedes easdem tolerabat absque approbatione. – 266. Iurisdictio episcopalis super hisce institutis sarta tectaque semper usque nunc servata est; ubi de Constit. Benedicti XIV. *Quamvis iusto*. – 267. De causa cur haec Constit. edita fuerit. – 268. Contra pravas huius aevi doctrinas Deus remedium aliquod iam paraverat primis iactis horum institutorum seminibus. – 269. Mira per haec tempora eorum propagatio. – 270. Sapientia S. Sedis in emollienda disciplina de hisce institutis solummodo tolerandis. – 271. Multiplicibus humani generis necessitatibus sublevandis eadem instituta inserviunt. – 272. Praecipue vero puellarum educationi dant operam. – 273. De instituto filiarum charitatis a S. Vincentio a Paulo fundato. – 274. De magistris piis remissive. – 275. De sororibus S. Cordis Iesu, vulgo *Dame del S. Cuore*. – 276. De sororibus a S. Ioseph. – 277. De sororibus a S. Anna, ubi de Marchionissa de Barolo aliqua delibantur. – 278. De filiis B. Mariae Virg. a Charitate Boni Pastoris. – 279. De sororibus Poenitentibus a S. Maria Magdalena. – 280. De ancillis Charitatis. – 281. De sororibus Charitatis Ordinis Teutonici. – 282. De parvis pauperum sororibus.

259. Sacrarum virginum instituta a primis Ecclesiae saeculis exstitisse, colligitur ex vita S. Augustini, quam scripsit S. Possidius, quamque P. Ioannes Salina ex canonicis Lateranensibus in lucem edidit Romae anno 1741. eruditis commentariis exornatam (Cap. 22. num. 31.). Easdem sanctimoniales obstrictas domi se tenere consuevisse item testantur vetera quarti saeculi monumenta apud Thiers in *Tract. de claus.*, quamvis *nulla generali lege id monialibus indiceretur*, ut ex eodem Thiers animadvertit Bened. XIV. *Inst. eccl. 29. n. 13.* Initio nullum discrimen

ponebatur inter vota, quae *solemnia*, et ea, quae *simplicia* deinceps, accuratiori adhibita distinctione, nuncupata sunt. Scitum est ex *Cap.* Quod votum *un. de Conv. infid. in 6. voti solemnitatem ex sola constitutione Ecclesiae esse introductam, et* votum *solemnizari per professionem in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata.* Iamvero eo tempore Apostolica Sedes nullam sibi curae partem vindicabat in novis Religionibus erigendis, sed haec res sub Antistitum, in quorum dioecesi nova aliqua Religio excitabatur, potestate relicta erat, aut etiam ipso usu tacite induci solebat. Pirhing. *lib. III. Dec. tit. 36. n. 27.*, Suarez *tom. 3. de Rel. lib. II. c. 17. n. 4.*

260. Quoniam vero huiusmodi libertas nullis coercita finibus progressu temporis confusionem in Ecclesia pariebat, ne malum latius irreperet et immedicabile evaderet, Concilium Lateranense *Cap.* Ne nimia *de rel. dom.*, et deinde Lugdunense *Cap.* Religionum *eod. tit. in 6.* gravissime praescripserunt, ut quicumque Religionem de novo fundare voluisset, regulam et institutionem ab una ex quatuor approbatis regulis acciperet, quemadmodum de Regularibus masculini sexus superius exposuimus. Quod enim Conciliorum Lateranensis ac Lugdunensis prohibitioni obnoxia sint mulierum etiam monasteria, nemo est, qui non fateri debeat ob illud axioma, *ubi eadem est ratio, ibi eadem iuris dispositio.* Quin imo *in Extrav.* Ratio, *un. Ioann. XXII.* eadem prohibitio accommodatur novae Beguinarum Religioni, quae contra Conciliorum illorum decreta deliquerant. Vide Pirhing. *loc. cit. n. 30.*

261. Siquidem, diabolo suadente, in earum animos haereticae pravitatis lues sese insinuaverat, et ita obduruerat, ut Summus Pontifex tum easdem, tum alias personas, quae consilio vel favore eas iuvarent, excommunicationis gladio percuteret, *(Cap. 1. Clem. de rel. dom.)* simulque eorum errores, qui octo numerabantur, Apostolica damnatione reprobaret *(Cap. 3. Clem. de haer.).*

262. Subinde vero etsi Ioannes XXII. *(cit. extr. Ratio, unic. de rel. dom.)* Beguinas illas, quae sese culpae reas praebuerant, iuxta *Clem. Cap. 1. de rel. dom.* et ipse damnasset, nihilosecius potestatem fecit ceteris Beguinis, quae bonae fidei bonique nominis, ac nulli suspicioni erant obnoxiae, ut in Beguinarum habitu ac statu perseverare licite possent, et ab Episcopis hac de causa nulla iisdem posset afferri molestia. Summus tamen Pontifex disertis verbis ibidem declarat, sese nullatenus animum

habere religiosum Beguinarum statum approbandi. Ceterum hasce mulieres Episcoporum sollicitudini ac vigilantiae subiectas esse statuit, ne aliarum Beguinarum erroribus se implicari paterentur.

263. S. Pius V. per celebratam Constitutionem *Circa pastoralis* gravissimo suo iussu praescripsit, ut mulieres omnes, quae collegialiter viverent, votorum solemnium professionem emitterent, unaque perpetuae Pontificiae clausurae lege manerent obstrictae. Quod vero pertinet ad illas, quae, licet collegialiter viverent, solemnia autem vota profiteri detrectarent, §. *3.* ita edixit: « Ce- » teris autem omnibus sic absque emissione professionis et clau- » surae vivere omnino volentibus interdicimus ac perpetuo pro- » hibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, » Religionem, Congregationem recipiant. Quod si contra hanc » huiusmodi Nostram prohibitionem et decretum alias recipiant, » eas ad sic vivendum inhabiles reddimus. »

264. Tametsi Piana haec interdictio sacrarum virginum vota solemnia non profitentium instituta ad interitum paulatim adducere debuisset, attamen res neque totam suam efficaciam exercere, neque perfectae exsecutioni potuit demandari. Nam « certum » quidem est (verba sunt Bened. XIV. *Inst. eccl. 29. n. 13.*) post » decretum etiam eiusdem Pontificis (Pii V.) in multis Italiae » urbibus huiusmodi Tertiarias (nempe ex tertio Ordine, ut plu- » rimum, S. Francisci) versari, quae nec vota solemnia concipiunt, » nec claustrorum legibus tenentur; tamen ut ratio sanctissimi » Pontificis habeatur, et de ipsius decreti observantia studium » ostendatur, Sedes Apostolica Tertiarias huiusmodi dissimulare, » et tamquam sua auctoritate minime probatas Episcoporum iu- » risdictioni permittere consuevit. »

265. Et sane idem Pontifex Sarzanensis cuiusdam causae penes S. Congr. Conc. propositae exemplum adducit, in qua de nonnullis mulieribus tertium Ordinem S. Francisci profitentibus, et clausurae legem nequaquam servantibus die 3. Ian. 1723. edixit sacer Ordo, earum monasterium « esse subiectum omnimodae iu- » risdictioni Episcopi, citra tamen approbationem S. Congrega- » tionis circa illud. » Idem sacer Ordo simili clausura *citra approbationem conservatorii* usus fuerat anno 1694. circa religiosam domum, ubi simul vivebant quaedam ita nuncupatae *Domicellae Anglicanae*, ut notat Pitonius *Disc. eccl. 75. n. 1. et 5. ac 6.*, quod superius alias innuimus. Quid plura? s. m. Clemens XI.

cum constitutiones virginum Anglicanarum, quae in variis Angliae ac Belgii necnon et Bavariae partibus efflorebant, suis approbasset literis Apostolicis 13. Iulii 1703., clausuram adiecit. *Ceterum non intendimus per praesentes ipsum conservatorium in aliquo approbare,* ut refert Bened. XIV. Constit. *Quamvis iusto* §. *3.*, et ad rem subiicit: « quae (clausura *citra approbationem*) » tunc apponi consuevit, cum approbantur, seu confirmantur » regulae alicuius conservatorii, aut monasterii mulierum, sine » clausura viventium, contra praescriptum decretalis Bonif. VIII., » et decreti Concilii Tridentini, necnon Constit. S. Pii V., quae » incipit *Circa pastoralis.* »

266. Episcopi localis auctoritas tecta sartaque semper servata est in huiusmodi institutis, prout patet ex opusculo supra citato *Methodus etc.* in quo passim videre est, correctiones in hunc sensum a S. Congr. iniunctas fuisse, ac praesertim, ne Episcopus ullus ex. gr. primariae domus aliquam iurisdictionem exerceat in domos in aliena dioecesi constitutas; cuius rei exempla passim inveniuntur in animadversionibus memorati opusculi; ideoque multo minus permittitur, ut Episcopus in aliquo instituto constituatur totius instituti Superior generalis, velut ex ipsis animadversionibus ubique fere colligitur. Ceterum disciplina modo indicata, quae ferebat, ut Apostolica sanctione minime comprobarentur, sed tantum tolerari solerent instituta mulierum simplicia vota nuncupantium, continuo servata est ab ipso Bened. XIV.; id enim perample demonstrat ipsa Constit. *Quamvis iusto.*

Peculiariter notandum est, quod in ea emananda immortalis ille Pontifex rem longe utilissimam Ecclesiae praestiterit. Ibi enim veluti fundamenta iecit, quibus instituta sacrarum virginum, quae mirifice hac nostra aetate non sine summo totius christianae ac civilis reipublicae emolumento excreverunt, totum religiosi regiminis aedificium possent exstruere, rectisque communire legibus et institutis. Ibi enim praesaga quodammodo mente, ac certe providentissimo consilio saluberrimos edidit canones, quibus eadem pia instituta sese conformare possent, ac sine dissidiis aliisque incommodis ad christiani populi utilitatem in dies incrementum magis ac magis acquirere. Quocirca abs re non fore existimamus si nonnulla de iis, quae huic ferendae Constitutioni causam dederunt, quaeque ibidem statuuntur, breviter hic delibemus, etiamsi totam eam referre satius ducamus in vol. III. sub n. 58.

267. Controversia (prouti ex eadem colligitur) efferbuerat inter Episcopum Augustanum in Bavaria super iurisdictione, quam idem super duo virginum Anglicanarum conservatoria exercere contendebat. Huiusmodi iurisdictionem unum ex hisce plane recognoverat, alterum detrectabat. Re deducta ad Apostolicam Sedem, quo tempore eam tantus Pontifex illustrabat, peculiaris ad hoc Congregatio instituta est, quae singula quaestionum capita expenderet, atque dirimeret. Id ea praestitit, prolato decreto octo articulis comprehenso, quos suis verbis in ea Constitutione refert Bened. XIV. Cum autem hae virgines Anglicanae confunderentur cum aliis virginibus Anglicanis *Iesuitis* appellatis, et a quadam Maria Warth institutis, quas s. m. Urbanus VIII. reprobaverat suppresseratque, Summus Pontifex deprompta ex authenticis documentis huiusce negotii historia, luculentissime ostendit, virgines hasce, de quibus quaestio erat, ab aliis per Urbanum reprobatis omnino diversas esse. Insuper decreti articulos Apostolica sua auctoritate non modo munivit, sed uberius et enucleatius declaravit. Quae declarationes totidem sunt sapientissimae normae, quae huiusmodi mulieribus institutis sectandae, sancteque custodiendae propositae sunt. Adnotandum est, quod hanc post editam Constitutionem S. C. Conc., quoties Episcopi praesertim ex Bavaria renuntiarent, aliquam virginum Anglicanarum domum in sua dioecesi reperiri, monitum addere consueverit, sibi persuasum esse, hasce virgines ad eas minime pertinere, quas Urbanus VIII. proscripserat, et Bened. XIV. memorata Constitutione idipsum confirmaverat.

268. Summi Pontifices, qui insecuti sunt, nullam immutationem disciplinae eatenus custoditae, quoad sciam, intulerunt usque ad acerbissima Gallicae perturbationis tempora. Notum ac pervulgatum est, quot ac quantas calamitates et ruinas per totam Europam in re catholica ac civili tam saeva illa tempestas disseminaverit. Nemo nescit, quantum per impios homines adlaborabatur, ut catholicae religionis cultus, si fieri quidem posset, ex Christi fidelium animis evelleretur. At vero divina providentia inter alia remedia hoc etiam paraverat, ut salutare semen in agro Dominico conditum servaret, quod simile grano sinapis multiplicatum suo tempore certos aeternae salutis fructus eliceret. Mulier, quando vera pietate ferveat, idonea est non solum in viro suo dem ac virtutem excolere iuxta notissimum sacrarum literarum

effatum, sed et religionis fundamenta in filiorum animis iniicere, quibus nitatur homo toto eo tempore, quo vitales auras divino consilio carpit, eaque ratione non parum religioni ac civili societati prospectum ac provisum dici potest. Itaque Deus, cuius natura bonitas est, infirma mundi eligens, ut confundat fortia, mulierem elegit, per quam quodammodo fieret salus in Israel. Iamvero quod pertinet ad huius generis instituta nostra haec Alma Urbs, ut exteris catholici Orbis civitatibus ob Apostolicam Sedem heic constitutam praecellit, ita et in exercendis charitatis huiusmodi operibus omni aevo principatum obtinuit. Iam a primis Ecclesiae temporibus magnanimos illos fidei Confessores, qui e carnificum tormentis male mulctati vitam eripere potuissent, omni ope iuvandos susceperunt sanctissimae feminae, Romanae matronae, quarum nobiliores, ut aliquas nominem, sunt Praxedes, Pudentiana, Lucina, Irenes: has subsecutae sunt tum Fabiola, quae infirmis pauperibus recipiendis curandisque, teste D. Hieronymo, hospitium comparavit, tum Galla et Francisca Romana, quae pio curandi infirmos officio ad exemplum excelluerunt. Perlongum sane foret ceteras persequi: at hoc in rerum genere qui plura desiderat, adeat praeclarum opus clarissimi Card. Morichini, quod super Almae Urbis institutis doctissime conscripsit ac typis edidit. Sed silentio praeterire nolim pium institutum Congregationis hospitaliarum seu misericordiae sororum, quae Romae institutae sunt, s. m. Pio VII. sedente post annum 1821., quaeque a s. m. Leone XII. approbationem ac laudem assecutae sunt. Harum munus est mulieres infirmas in publicis hospitalibus omni cura et subsidio prosequi iuxta constitutiones ex auctoritate s. m. Leonis XII. a I. A. Sala, S. C. Visitationis Assessore et Visitatore Apostolico, approbatas.

Sed etiam alibi iamdudum nonnulli sanctitate perinsignes viri religiosas mulierum domos erexerant, quae puellas christiane imbuendi ministerio ex voto obstringerentur, ac nominatim S. Vincentius a Paulo Filias a charitate nuncupatas congregaverat. Hae sacrae virgines ante alias tamquam exemplaria adhibita sunt ab iis, quibus, ineunte hoc saeculo, mens a Deo iniecta est, ut aliquod ex hisce muliebribus institutis excitarent, quae profecto tanto numero excreverunt, ut prodigium sapere videatur. Neque silentio praetereundae sunt sanctimoniales a S. Visitatione nuncupatae, quas D. Franciscus Salesius instituit, ac insuper rectissimis in-

struxit constitutionibus, unde normam et exemplum frequentissime posteriora instituta mutuata sunt.

269. Iamvero quanta copia ac multiplicitate huiusmodi instituta recens propagata fuerint, colligitur potissimum ex Episcopis praesertim Gallicae nationis, qui in describendo statu suae dioecesis longum persaepe horumce institutorum numerum recensent. Apud S. Congr. Episc. et Regul. videre itidem datum est, nihil fere per haec tempora frequentius pertractari, quam ea negotia, quae ad novella instituta laudanda vel approbanda pertinent. Quae cum ita sint, ubi primum Gallicae perturbationis procella sedata est, et Ecclesiae tranquillitas pacis reddita fuit, pristinus ille rigor, qui constanter antea in tolerandis huiusmodi institutis invaluerat, temperari ac molliri coepit.

270. Sed si Apostolica Sedes a tali disciplina deflectens, eadem suo calculo roborare postmodum instituit, persuasum sibi quisque habere debet, hanc mutationem non sine consultissima ratione prudentique consilio ab ipsa inductam et firmatam fuisse. Ea siquidem tametsi disciplinae legitime in usu iam positae, quaecumque ea sit, retinentissima sit, nihilominus quandocumque ipsa sentiat damnosum esse consuetam viam insistere, et contra utile et expediens ad novam se vertere, non dubitat unam praetermittere et alteram amplecti, praesertim cum alioquin nulli incommodo aditus pateat. Cum enim iuxta tritum D. Augustini effatum in novis rebus constituendis evidens debeat esse utilitas, in approbandis muliebribus institutis nedum indubitata utilitas, quin et necessitas luculentissime comprobata exstitit. Nam primo cum plurimis in regnis civilis auctoritas ad ea, quae sua non sunt iura, manus immittens, monasteria virginum solemnibus votis obstrictarum admitti prohibeat, ut spiritualia emolumenta, quae ex religiosis communitatibus oriuntur, omni ex parte nequaquam perditum eant, nihil aliud superest, nisi provinciam regularibus Ordinibus propriam, Congregationibus religiosis, utpote sunt instituta, de quibus loquimur, excolendam transferre.

271. Deinde etiamsi ex communi theologorum sententia status Ordinum regularium, ubi quis plene et irrevocabiliter sese Deo devovet, multo melior sit ac praestantior statu Congregationum religiosarum, nihilominus nemo inficiabitur, huiusmodi Congregationes non modo in iis, quae vitam temporalem, sed et in iis, quae aeternam respiciunt, non mediocrem utilitatum copiam

afferre. Et sane, parum hic immorabor super iis mulierum institutis, quae charitatis ac misericordiae opera exercendi munus habent; nec etiam multa persequar de iis piis feminis, quae in publicis valetudinariis pauperibus infirmitate laborantibus auxilium et curam exhibent.

272. Paulo fusius verba facere liceat de iis institutis (1), quae maximam partem constituunt, quaeque adolescentulas cum religione ac pietate, tum muliebribus artibus, et urbano cultu imbuendas suscipiunt. Notum est, quot quantisque artibus utantur moderni philosophi, ut populis, non excepto sexu muliebri, suas opiniones instillare conentur, utque a catholicae religionis cultu sensim ac sine sensu animos incautorum avertant. Quocirca summopere intererat huic incommodo tempestive providere, et sexum muliebrem, qui tantum in hominum corda vim ac potestatem exercet, primis fidei ac pietatis rudimentis communire, et in studio religionis cautissime continere. Omnia, atque etiam multam eorumdem institutorum partem hic recensere difficile foret et certe superfluum; aliqua tamen adinstar exempli hic summis veluti labiis attingere non erit forsan inutile.

273. Primum locum iure meritoque tribuimus instituto filiarum charitatis, quod in Gallia S. Vincentius a Paulo erexit. Hoc enim quamvis duobus abhinc saeculis ortum habuerit, hisce tamen temporibus tantum incrementum obtinuit, ut in praesens duodecim fere millia sororum enumeret: nam plures Congregationes non ita pridem invectae eidem instituto sese addicere, eiusque partem facere voluerunt; id non solum in Germania et in Galliis sed etiam in America contigit. Ibidem vota simplicia ad annum duratura emittuntur. Sub disciplina degunt Superioris Congregationis Presbyterorum Missionum. Huiusce instituti finis eo tendit, ut sorores praecipuam temporali ac spirituali pauperum utilitati operam navent.

---

(1) In opusculo, cui titulus: *Methodus, quae a S. C. Episc. et Regul. servatur in app. nov. Inst. vot. simpl. ab Archiep. Philipp. exposita ad usum Secret.* a pag. 47. datur elenchus praecipuorum institutorum, quae postremis temporibus a S. C. Episc. et Regul. laudata vel approbata fuerunt. Subinde eodem loco a pag. 55. datur elenchus ordine alphabetico dispositus, ubi recensentur principales communitates, seu Congreg. religiosae feminarum, quae in Gallia usque ab an. 1857. recognitae sunt ab auctoritate civili, qui quidem elenchus pro simplici historica notitia reportatur.

274. Locus hic merito tribuendus esset instituto piarum magistrarum in dioecesi Montisfalisci sub initium praeteriti saeculi erecto, lateque in Alma Urbe totaque ditione Pontificia propagato. At de his peculiarem sermonem habebimus in capite septimo *num. 206. et seq.*, cum agetur de scholis.

275. Celebris est etiam *Societas sororum sacratissimi Cordis*, vulgo *Dame del sacro Cuore*, puellis praesertim, iisque a nobili genere instituendis, mancipata, votis simplicibus obstricta, sub initio huius saeculi exorta, a s. m. Leone XII. die 22. Decembr. 1826. una cum regulis et constitutionibus approbata. Eidem praesidet Antistita, vulgo *Generalessa*, et suam protectionem impertit unus ex Cardinalibus S. R. E. sub nomine Protectoris, quem nominat ipse Summus Pontifex. Episcopi, quorum in dioecesi sitae sunt eiusdem Societatis domus, (ut constat ex Literis s. m. Greg. XVI. 16. Aug. 1842. ad Card. Pedicini, Protectorem pro tempore datis), omnimodam eam super domos ibidem sitas auctoritatem obtinent, quae unicuique Antistiti in pia huiusmodi opera a Trid. Conc. aliisque ecclesiasticis sanctionibus, atque adeo ipsis illius Societatis regulis attributa est. Ceterum haec Societas in omnibus fere catholici orbis partibus diffusa est, multamque praesefert cum Societate Iesu similitudinem conformitatemque.

276. Congregatio nuncupata *Sororum a S. Ioseph* votis simplicibus item devincta est, eiusque constitutiones desumptae sunt ab iis, quae S. Franciscus Salesius pro monialibus a Visitatione elucubravit. Praecipuus sororum scopus in eo situs est, ut in primis adolescentularum educationi operam navent; deinde in valetudinariis opem aegrotis praebeant, carcere detentos adeant, aliaque charitatis opera exerceant. S. m. Leo XII. sub die 22. Februarii suis Literis hoc institutum laudavit. Posteriore tempore suis precibus sorores institerunt, ut institutum atque constitutiones approbationis Pontificiae decreto donarentur, sed frustra; nam quod pertinet ad Italiam, eo tempore durabat adhuc difficultas, quominus feminis masculorum cura in domibus hospitalibus concederetur. Domus enim eiusdem Societatis in pluribus civitatibus Italiae, ac etiam in Alma Urbe erectae exstant, ac Ordinarii localis iurisdictioni obtemperant. Ex declaratione Sacrae Congr. Episc. et Regul. diei 13. Iunii 1845. domus huiusmodi sororum in Italia sitae ab iis, quae in Galliis exstant, separatae fuerunt, et ab auctoritate Antistitae Galliarum ereptae.

277. Institutum *Sororum a S. Anna* nuncupatum a Marchionissa Barolo Colbert propriis impensis Taurini fundatum est anno 1834. (1). Eiusdem finis triplex est, nempe primo, ut puellarum egenarum tam ex infantia, quam ex adolescentia educationi in oppidis pauperioribus suam conferant curam; secundo ut puellas ex mediocri genere natas item instituant, sed scientias et artes, quae puellarum e nobili genere nascentium propriae sunt, nunquam edoceant; ut denique proximis quodlibet aliud charitatis officium praestent, qualia sunt subsidia pauperibus distributa, et cura aegrotis in hospitalibus impensa. Tria simplicia vota sorores pronuntiant, quae quolibet triennio renovanda sunt. S. C. Episc. et Regul. in congregatione particulari institutum et constitutiones approbandas esse censuit, ac s. m. Gregorius XVI. in audientia diei 6. Martii 1846. S. Congregationis resolutionem confirmavit: quae omnia liquent ex consultatione, cui titulus *Taurinen. Super appr. inst.* 8. Ian. 1846.

278. Institutum *Filiarum B. M. V. a charitate Boni Pastoris* in Galliis fundatum eo tendit, ut emendationem curet puellarum viduarumque saecularibus corruptelis depravatarum. Ex decreto S. C. Episc. et Regul. 16. Ianuarii 1835. huius instituti sorores observare debent regulas a P. Eudes conditas, et a S. Sede approbatas. Praeses domus Andegavensis omnium sororum domibus praesidet. In ea vota simplicia nuncupantur. Unaquaeque domus sub iurisdictione Episcopi dioecesani manet. Etiam Romae aliqua huiusmodi instituti domus aperta reperitur.

279. Cum hoc instituto *Boni Pastoris* quamdam similitudinem habet societas *Sororum Poenitentium a S. Magdalena* nuncupa-

---

(1) Quoniam lectissimae huius feminae mentio incidit, addere iuvat alia magno numero pia opera ac praesertim virginum instituta ab eadem suis impensis fuisse erecta. Prognata e nobilissimo Colbertiorum genere Marchioni de Barolo nupserat, qui eam viduam et amplissimi sui patrimonii universalem haeredem reliquerat. Sicuti vero vivens una cum viro suo et eodem orbata curas suas et opimos reditus in pia opera praecipue converterat, ita et moriens in eamdem causam, nonnullis profanis legatis exceptis, sua omnia bona testamento destinavit. Testamentariae eius tabulae typis splendide editae sunt Taurini anno 1864. apud haeredes Botta ad palatium Carineanum. Non sine sensu admirationis legi potest pia eiusdem inexhausta liberalitas, ac sapientia et consilium, quo propriae voluntati in hisce temporum difficultatibus tutius exsequendae prospexit. In osculo Domini obiit exeunte anno 1863., seu ineunte anno 1864.; namque ultimus eius codicillus datam exhibet diei 13. Dec. 1863., et aperitio testamenti diem 22. Ian. 1864. praesefert.

tarum, quas anno 1833. modo laudata Marchionissa Barolo Taurini instituit. Duplex est eiusdem finis, nempe sanctificatio sororum, quae vitam suam iam turpiter actam per poenitentiam, orationes ac ieiunia expiare studeant; subinde christiana institutio, ac primorum lecturae elementorum traditio puellulis exhibenda, quae non ultra annos duodecim natae iam corruptionis vulnus miserrime expertae fuerint, adeoque vocantur *Maddalenine*. Vota simplicia ibidem eduntur, sed perpetua: regulam observant S. Augustini, cui accedunt institutiones in earum usum peculiariter conditae. S. Congr. Episc. et Regul. in congregatione particulari institutum et constitutiones approbari decrevit, ac decretum confirmavit s. m. Gregor. XVI. in audientia diei 6. Martii 1846.

280. In dioecesi Brixien. fundatum fuit institutum sororum, vulgo *Ancillae charitatis*, quarum finis primarius est, ut mulieribus infirmis, etiam tempore pestilentiae, in valetudinariis atque etiam cum facultate Superiorissae in privatis domibus praesentem opem afferant; deinde vero omnigena charitatis officia persolvant. Nam regimen suscipiunt domorum, ubi puellae vel surdae mutae, vel parentibus orbatae, vel filiae a suis quaeque parentibus ancillis in educationem traditae aluntur. Ex decreto SSmi D. N. diei 23. Decembris 1847. institutum cum votis simplicibus, et salva iurisdictione Ordinariorum approbatum est. Constitutiones vero in particulari Congregatione diei 22. Dec. 1850. per aliud decretum approbationem consecutae sunt, ut in *Brixien. Sup. app. const. inst. sor. ancillae char.* Hoc institutum regitur ab Antistita Generali, cui propterea subsunt omnes religiosae domus, quae eo tempore in dioecesi Mediolanen., Brixien., Cremonen. ac Veronen. diffusae erant.

281. Institutum *Sororum charitatis ordin. Teutonici* cura et impensis Archiducis Aestii, Teutonici Ordinis Magni-Magistri, erectum fuerat in urbe Viennensi; eiusque instituti finis est, ut aegrotos in valetudinariis sua ope curandos assumat, itemque puellarum educationi operam ac studium conferat. Ex decreto Sac. Congreg. diei 12. Mart. 1847. institutum illud confirmatum fuit cum professione votorum simplicium. Constitutionum vero approbatio insecuta est aliquot post annos, nempe sub die 8. Iul. 1852. Magno-Magistro pro tempore Ordinis teutonici instituti eiusdem moderatio credita est, operam suam conferente Episcopo dioecesano iuxta sacros canones et praescriptiones Concil.

Trid. praesertim circa sacram visitationem, confessariorum approbationem, aliaque eiusmodi. Regimen monarchicam formam exhibet. Sorores dividuntur in sorores simpliciter ac semi-sorores.

282. Haud ingrata res erit, ut arbitror, si hunc articulum claudat instituti memoratio, quod, si puellarum institutionem non exercet, mirificum tamen christianae charitatis documentum dicendum est. Augustinus Le Pailleur dioecesis Rhedonensis anno 1840. saluberrimum sibi consilium proposuit, ut senibus infirmis utriusque sexus ab omnibus derelictis refugium, alimoniam et opem praeberet eo praesertim animo, ut ad bonum sanctumque vitae exitum eosdem praepararet. Itaque paucas in primis feminas, deinde mirabiliter auctas huic charitatis operi praeposuit, vocavitque *parvas pauperum sorores*. Paulo ante annum 1854. sorores votis simplicibus adstrictae numerabantur quatuorcentum, novitiae centum, domus triginta duae, senes utriusque sexus, separata sede recepti, ad numerum trium millium ascendebant. Unicum praesidium, quo sorores ac senes sustentantur, eleemosyna est, quae per sorores ad divitum domos corrogatur: quam praesentem huic instituto ferat opem divina providentia, ingens ac celeris eiusdem propagatio luculentissime docet. S. Congreg. in *Rhedonen. Sup. app. inst. nunc. parv. soror. de Prov.* 16. Iun. 1854. hoc institutum *uti congregationem votorum simplicium approbavit, salva iurisdictione Ordinariorum ad formam sacrorum canonum.*

Quae hucusque retulimus, ex consultationibus S. C. Episc. et Regul. de more typis editis excerpsimus.

### Art. II. De disciplina, quam servat S. Congreg. Episc. et Regul. in huiusmodi institutorum approbatione.

Summarium. 283. Ex quo institutorum vota simplicia profitentium numerus propagari coepit, quaedam certa disciplina circa eorum approbationem a S. Congr. Episc. et Regul. usu inducta est. Quibus de rebus sese ab Episcopis doceri mandat, simul ac aliquis supplex libellus pro instituti et constitutionum approbatione ad se defertur. – 284. Decretum approbationis Episcopi praecedere solet decreto Apostolico. – 285. Constare etiam debet de temporalibus subsidiis. – 286. S. Congr. positionem, huiusmodi negotia respicientem, uni ex suis consultoribus remittit, ut examinet et sententiam de ea aperiat. Subinde postquam res in plenario auditorio discussa fuerit, et quandoque simul ac a Secretario

in ordinariis audientiis SSmo D. N. relatum fuerit, decretum laudis praemittitur. – 287. Non semper idem est hoc decretum. – 288. Affertur ex. gr. formula decreti editi in *Monacen. Frisingen.* – 289. Quando definitivum aprobationis emittitur. – 290. 291. Indicantur ex. gr. aliquae e rationibus, quibus ad approbationem concedendam S. C. inducitur. – 292. Quae servantur, antequam laudis decretum prodeat, repetuntur in definitivo laudis decreto tribuendo. – 293. Datur ex. gr. formula decreti in *Augustodunen.* – 294. Aliquando utrumque decretum insimul emittitur. – 295. Ut plurimum indulgentiae ac favores spirituales impertiuntur.

283. Cum feminei sexus instituta, de quibus loqui instituimus, tanto numero ac multiplicitate, ut innuimus, propagarentur, et continuo ad Apostolicam Sedem supplices afferrentur preces, ut supremum auctoritatis suae calculum iisdem adiiceret, S. C. Episc. et Regul., ad quam peculiariter hoc negotiorum genus cognoscere pertinet, ut ea, qua S. Sedes, mater et magistra omnium ecclesiarum praefulget, maturitate, prudentia et consilio procederet, nonnullas veluti normas, quae specialem quamdam disciplinam quodammodo constituunt, non scripto sed usu pro re nata introduxit. Ut plurimum huiusmodi preces, quibus instituti approbatio petitur, coniunctae sunt ac pari passu procedunt cum precibus, quibus constitutionum confirmatio postulatur. Cum tamen de constitutionum materia satis superque in prima de monialibus paragrapho disseruerimus, nihil aliud addendum superest, cum ceteroquin quae de constitutionibus ad moniales solemniter professas pertinentibus dicta sunt, eadem de constitutionibus, quibus sacrae Virgines vota simplicia profitentes reguntur, generatim dici debere per se quisque cognoscat.

Simul ac igitur supplex libellus, in quo approbatio poscitur, in manus S. Congregationis allatus est, illico Episcopo, cuius in dioecesi institutum, vel eius primaria domus invenitur, preces remittuntur, ut S. Congregationem de veritate rerum expositarum edoceat, suam sententiam aperiat, et alia, quae in specie potissimum scitu necessariae sint, distincte ac plene significet. Istiusmodi Rescripti exemplum afferimus ex Consultatione de more typis edita, cui titulus *S. Flori Super app. congr. inst. Infantis Iesu*, in qua S. Congr. certiorem ab Episcopo S. Flori se fieri mandavit « quando et a quo dicta congregatio erecta fuerit; utrum » aliquod laudis decretum a S. Sede obtinuerit; quot sint domus » erectae; et quatenus congregatio in aliis etiam dioecesibus

» diffusa sit, exhibeat testimoniales literas respectivorum Ordi-
» nariorum; quot mulieres professae; quando regulae et consti-
» tutiones elucubratae sint: etenim (ita in eodem Rescripto sub-
» sequitur) haec S. Congr. constitutiones (et idem de institutis
» dicendum est) approbare et confirmare minime solet, nisi prius
» per congruum temporis spatium experientia satis comproben-
» tur, et plures domus instituti erectae sint. »

284. Porro plurimum interest in primis cognoscere, quis et cuius virtutis fuerit instituti fundator, quos progressus novella fundatio fecerit, quas vices eadem subierit, quo statu in praesentiarum versetur, aliaque multa, quae determinari nequeunt, cum unicuique instituto proprie ac specialiter inesse possint. Quemadmodum vero iuxta civile ius collegia esse et dici nequeunt, nisi supremus princeps eadem sua sanctione approbaverit, ita etiam ex iure canonico religiosa Sodalitia uti talia recognosci non possunt, nisi ecclesiastica auctoritas decreto suo eorumdem erectionem prosecuta fuerit: congruum vero est, antequam S. Sedis potestas interveniat, ut Episcopus, cuius iurisdictioni subest locus, in quo novum surgit institutum, ipse suam auctoritatem interponat, tum quia eius iurisdictionem absque necessitate praeoccupare non solet Apostolica Sedes, tum quia rerum cognitionem penitius perspectam potest habere. Itaque S. Congregationi solemne est, ab Episcopis exigere, ut, antequam Sedes Apostolica quidquam decernat, episcopalis approbatio praecesserit. Neque adhuc id satis est; nam insuper illud requiritur, prouti de constitutionibus dictum est, ut aliquod temporis spatium effluxerit, quo decurrente, luculentissime comperiatur, institutum, de quo res est, certos et indubios utilitatis fructus proferre, bonamque facere spem fore, ut uberiores fructus in dies progignat.

285. Praeterea S. Congregatio requirit, ut ipsa doceatur de subsidiis temporalibus, quibus institutum potitur, ac fruitur ut advertitur in voto Consultoris ad causam *Taurinen. Super app. inst. et const. soror. a S. M. Magdalena* 6. Mart. 1847. Vide *Consult. pag. 8.* Neque enim raro contingit, ut in aestu animorum, qui novellarum fundationum initia persaepe prosequitur, facili negotio opera suscipiantur, quae postea ob subsidiorum defectum ad perfectionis fastigium adduci vel diutius sustineri nequeant. Quae causa probabiliter S. Congregationem deterruit in *Urbevet. Sup. app. nov. inst. perp. adorat. SSmi Cordis Iesu*

(*tom. 1. Cons. num. 14. apud S. C. Secretariam*), ne institutum illud et constitutiones eiusdem sua auctoritate roborare consentiret.

286. Quando S. C. singula documenta ac scitu necessaria collegit, actorumque positio seu recollectio ita completa est, ut nihil amplius desideretur, tunc positionem ipsam ad unum ex suis Consultoribus expendendam remittit, qui, accurato examine instituto, suam sententiam aperiat, eamque scripto consignet. Post haec universa res per consuetam consultationem typis editam in plenario Emorum Patrum auditorio diiudicanda proponitur. At huiusmodi ratio rei definitionem iuxta id, quod partes ordinarie concupiscunt, plerumque protrahebat, neque enim aliorum negotiorum sub lite pendentium expeditio, quae plerumque gravitatem habent, et celeritatem exigunt, prae peculiari hoc institutorum approbandorum negotio retardari potest. Quocirca, quando institutum, de quo approbatio petitur, speciales difficultates non exhibeat, quas iuxta normas a S. C. iam receptas et sancitas summarie solvere non detur, brevior initur via, ut res SSmo D. N. directe referatur, qui, si nihil maiori disquisitione dignum offendat, permittere dignetur, ut S. Cong. ad ulteriora procedat. Haec autem, priusquam definitivum approbationis decretum auctoritate Apostolica prodeat, laudis decretum in antecessum ordinarie praemittit. Consulatur opusculum paulo ante memoratum, nuperrime ad usum Secretariae S. Cong. Episc. et Regul. editum, in quo methodus hodie in approbandis institutis et constitutionibus breviter expressa designatur.

287. Huiusmodi laudis decretum, quo novella instituta decorantur, non semper idem est: aliquando enim laudatur tantummodo scopus et finis, quem sibi proponit institutum, prout, exempli gratia, contigit in memorata *S. Flori Super app. const. congr. Infantis Iesu* 3. Septemb. 1853., item in *Ferrarien. Sup. app. inst. et cong. sor. a B. M. V. sine labe concepta* 10. Maii 1844. Id vero plerumque fit ex eo, quod in eiusdem regimine et constitutionibus defectus aliquis deprehendatur, qui vel disciplinae S. Congreg. adversetur, vel quia aliquid in constitutionibus praecipiatur, quod fini, quem institutum intendit, non recte respondere visum fuerit. Aliquando disertis verbis et scopus et institutum laudatur, ut evenit in *Monacen. Frisingen.* 11. Decemb. 1853. *ad 3. dub.* proposita in *congregatione particulari*. Saepius vero

laudatur simpliciter institutum, quod scopi etiam laudationem includit, quippe scopus partem facere ipsius instituti quisque intelligit. Aliquando S. Cong. institutum approbat, constitutiones vero tantummodo laudat, ut in *Bergomen. Super app. inst. filiar. Sacratissimi Cordis ad 1.* die 15. Maii 1841. Ut autem clarius res haec innotescat, unum ex hisce decretis ipsis verbis integre referimus, idque seligimus, quod in allata *Monacen. Frisingen.* prodiit, tenoris, qui sequitur:

288. « Decretum. Cum in nonnullis Germaniae locis sanctimo-
» nialium virginum familiae hoc ineunte saeculo supprimerentur,
» grave detrimentum educationi puellarum afferebatur; ea enim
» institutio deficiebat, qua iuvenum animi ad pietatem, virtutem,
» religionem informabantur. Verum huic malo prospicere curavit
» presbyter Michael Wittman, seminarii Ratisbonensis praeses,
» qui deinceps, ad Ratisbonensem ecclesiam promotus, charitate,
» pietate et religionis zelo enituit. Is profecto in suppresso quo-
» dam monasterio loci Stadtamhof, prope Ratisbonam, quasdam
» virgines collegit, easque omni cura et studio ita instituit, ut
» puellas praesertim pauperes in catholica religione sedulo edu-
» carent, illasque timorem Domini docerent.

» Hoc pium institutum etiam post praefati Antistitis mortem,
» curante presbytero Sebastiano Lob incrementum accepit, et
» deinceps constituta Monachii domo principe in plures dioeceses
» ac etiam in Americam diffusum est. Pia autem Societas in quo
» vota simplicia emittuntur, ab Antistita seu Superiorissa gene-
» rali regitur, quin tamen singulae domus ab Ordinariis locorum
» exemptae sint. Cum igitur eiusdem piae Sodalitatis virgines
» instituti fini respondeant, propriam sanctificationem curantes,
» et in puellarum christianam et civilem institutionem in scholis
» quoque, convictibus et orphanotrophiis diligenter incumbentes,
» ac plurium Episcoporum testimonio commendentur, SSmus
» D. N. Pius PP. IX., audito voto nonnullorum S. R. E. Car-
» dinalium huius S. Congregationis Negotiis et Consultationibus
» Episcoporum et Regularium praepositae, memoratum institutum
» sororum pauperum nostrae Dominae, eiusque scopum et finem
» summopere laudandum et commendandum esse statuit, prout
» praesentis decreti tenore amplissimis verbis laudat, atque com-
» mendat, ea spe fretus, ut sorores ipsae de virtute in virtutem
» in dies progredientes charismata meliora semper aemulentur.

» Quod vero ad constitutiones spectat, Sanctitas Sua mandavit » dari ab hac S. Congreg. Episc. et Regul. instructiones. Da- » tum 25. Ianuarii 1854. » (Sequuntur subscriptiones Emi Praef. et R. P. D. Secretarii.).

289. Cum congruum aliquid effluxerit temporis spatium, eoque volvente doceat experientia, speratam ab instituto utilitatem reapse largiter dimanare, et institutum ipsum nova in dies incrementa suscipere, tum licet iterum S. Congreg. suppliciter adire, ut definitivum approbationis decretum pronuntiet. Si vero quaeras, quantum temporis debeat interlabi, antequam iterum ad S. C. preces in id offerri possint, respondeo, hoc ex peculiaribus rerum adiunctis omnino pendere, neque determinatum quidquam et certum posse indicari.

290. Neque etiam causae speciales determinari possunt, quibus S. Cong. Episc. et Regul. moveatur, ut suae approbationis decretum emittat. Nihilominus, ut aliqua norma praebeatur, causas adsignabimus, propter quas particularibus quibusdam in casibus id indulsit: ideoque duo proferemus exempla: primum depromimus ab *Augustodunen. Super app. inst. et congr. sor. S. Ioseph Cluniacensis* 11. Sept. 1853., ubi Consultor (*pag. 12. Consultationis*) institutum posse approbari autumabat, 1°. quod Apostolica Sedes alia eiusdem generis adsimilia instituta approbaverat; 2°. quod institutum plura iam suae utilitatis documenta praebuerat; 3°. quod approbationem tot Episcopi vehementer exorabant; 4°. quod, impetrato approbationis decreto, sorores alacrius et impensius charitatis opera per constitutiones praescripta impleturae, ac tenacius instituto ipsi adhaesurae erant; 5°. quod tandem instituti natura et indoles, eo quod ad plures dioeceses pertinebat, id exigere videbatur, ut a potestate suprema, cui singularum dioeceseon Episcopi subiecti sunt, quodammodo supremam tutelam institutum reciperet. Denique accedebat, quod civile gubernium (etsi hac in re nequaquam competens) institutum illud foveret magnique faceret.

291. Alterum exemplum petimus a *Lucionen. Super app. inst. et constitut. presbyt. missionar. et filiarum a sapientia* 6. Maii 1853., in qua Consultor hasce causas adsignat: 1°. quod institutum laudis decretum ab Apostolica Sede iam obtinuerat; 2°. quod institutum per se utile ac salutiferum videbatur ob multas et multiplices utilitates, quas humanitati afferebat; 3°. quod plurium anno-

rum experientia hasce utilitates comprobaverat; 4°. quod institutum mirifice propagatum fuerat, sive domorum, sive Religiosarum numerus inspiceretur; 5°. quod plurimorum Episcoporum literis enixe commendabatur; 6°. quod civile gubernium nedum protegebat, sed etiam ingentem pecuniae summam ob publicum, quod sorores afferunt, commodum assignandam decreverat.

292. Quid vero servetur a S. Congr. in expediendis huiusmodi negotiis super definitivo approbationum decreto, nihil est hic pluribus edicere: ea enim ipsa disciplina adhibetur, quae in laudationis decreto impertiendo adhibita fuit. Solummodo animadvertendum est, duplicem casum accidere posse, nimirum primo, quod punctim de una domo religiosa agatur, quae de sua natura eiusmodi non est, ut in alia loca diffundatur. Tunc enim satis est Episcopi, in cuius dioecesi domus illa sita est, sententiam audire. Deinde si instituti natura ea sit, ut ad sui diffusionem et propagationem in alia loca tendat, tunc requiritur, ut congruus domorum religiosarum numerus plura in oppida fuerit invectus, et singuli Episcopi, qui in sua dioecesi aliquam domum aperiri permiserint, aut sponte ipsi aperiendam curaverint, suis literis faciant fidem, institutum utile, salubre, ac bonum ex omni parte cognitum et perspectum esse, ita ut dignum suo iudicio videatur, quod ab Apostolica Sede approbationis calculo donetur.

293. Clausula vero, qua S. C. utitur, in huiusmodi approbationis decreto impertiendo hisce, ut plurimum, concipitur verbis: « approbandum institutum cum votis simplicibus et omnimoda » iurisdictione Ordinarii loci » vel, ut in *Brixien. Super app. soc. filiar. a S. Cruce* 25. Feb. 1853: « Affirmative pro ap- » probatione per decretum, in quo exprimatur scopus, regimen » et vota iuxta solitum. » Istiusmodi exemplum adducimus ex *Augustodunen. Sup. app. const. sororum S. Ioseph Cluniacens.* proposita die 11. Septembris 1855. desumptum, quod est ut sequitur:

« Decretum. Pium Cluniacense institutum sororum a S. Io- » sepho nuncupatarum, quod initio huius saeculi originem ha- » buit, adiuvante et benedicente Domino in dies ita excrevit, ut » in praesens in ea numerentur plurimae sorores, pluresque do- » mus in diversis dioecesibus habeantur. Porro haec pia Societas » ab Antistita generali regitur, et in ea vota simplicia castitatis,

» paupertatis et obedientiae emittuntur. Finis autem Societatis » est, ut sorores sub patrocinio S. Ioseph propriam sanctifica- » tionem et perfectionem assequantur, proximique bonum et uti- » litatem praesertim spiritualem promoveant tum christiana et » civili puellarum institutione, tum cura et ope erga pauperes, » infirmos atque dementes.

» Cum igitur memoratae sorores a S. Ioseph piis operibus » Societatis alacriter vacaverint ac maximae utilitatis fuerint et » ab Antistitibus locorum summopere commendentur, Sanctitas » Sua attentis enuntiatis testimonialibus literis Episcoporum, au- » ditoque voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium Negotiis.... » preces Antistitae generalis benigne excepit, ac praefatum Clu- » niacense institutum sororum a S. Ioseph nuncupatarum ap- » probandum esse statuit, prout praesentis decreti tenore ap- » probat atque confirmat, salva tamen iurisdictione Antistitum » locorum iuxta sacros canones et Apostolicas Constitutiones, di- » lata ad aliud tempus regularum approbatione. Datum die 8. Fe- » bruarii 1854. »

294. Quamvis autem ordinarie approbationis decretum impertiri non soleat, nisi antea decretum laudis praecesserit, nihilominus aliquando ob peculiares circumstantias eodem tempore conceditur decretum laudis et approbationis, idque fit, quando certa res est et experientia comprobata, institutum, de quo sermo est, iam indubias utilitates attulisse, certissimamque facere spem, fore, ut maiores in dies fructus elicere debeat. Quod cum reapse evenire deprehensum fuisset in *Taurinen. App. inst. et const. soror. poenit. a S. Maria Magdalena nuncupat.* 8. Ianuar. 1846., et in altera *Taurinen. Super app. inst. et const. sor. a S. Anna nuncupat.* eiusdem diei et anni penes *Congregationem particularem* Rescriptum prodiit, ut absque alia dilatione simul decreta laudis et approbationis concederentur.

295. Qua occasione S. Congreg. sive laudationis sive approbationis decretum impertitur, solet plerumque partibus supplicantibus indulgentias ac favores spirituales, necnon aliqua privilegia simul elargiri, quae ad maius instituti incrementum, ac sororum spirituale solatium conferre posse videantur: ita videlicet factum est, cum ubique passim, tum nominatim in singulis institutis, quae in exitu superioris articuli recensuimus.

### Art. III. De tribus castitatis, paupertatis et obedientiae votis.

Summarium. 296. Approbatio Ordinum regularium confundenda non est cum hodierna horumce institutorum approbatione. – 297. 298. Definitio voti. Quale solemne, quale simplex sit ex responso S. Poenitentiariae. – 299. Vota simplicia quoad substantiam a solemnibus non differunt. Vota simplicia stare possunt cum statu regulari. – 300. Sed praeter exemplum a Societate Iesu petitum nullum aliud simile reperitur. – 301. S. C. implicite vel explicite in hisce institutis approbandis clausulam apponit *cum votis simplicibus*. – 302. 303. Cur S. Congr. in huiusmodi institutis vota simplicia nuncupari pro instituto iubeat. – 304. Praeter tria consueta vota aliquando alterum speciale accedit. – 305. 306. De duratione votorum simplicium in hisce institutis editorum. – 307. Simplex castitatis votum matrimonium impedit, non dirimit. – 308. In Societate Iesu vota simplicia dirimunt matrimonium iam contractum ob specialem S. Sedis dispositionem. Id autem intelligendum donec vovens a Societate non fuerit dimissus. – 309. Votum simplex, generatim loquendo, sponsalia non dirimere probabilius videtur. Quid si votum castitatis una cum aliis duobus obedientiae et paupertatis in aliqua communitate emittatur. Vota simplicia ibidem edita sponsalia de praesenti nequaquam dirimunt. Votum simplex sponsalia non dissolvit ex parte voventis. – 310. Sacrae virgines in primis Summo Pontifici ex obedientiae voto subiiciuntur. – 311. Deinde S. Congregationi Episc. et Regul. – 312. Et Cardinali Protectori, si habent, aliisque peculiaribus Superioribus. – 313. Simpliciter vovens sese exuit dominio actuali bonorum, non radicali. – 314. ad 318. Amplius ac fusius huiusmodi distinctio explicatur, comprobaturque. – 319. Ex peculiaribus constitutionibus determinari potest, qua ratione dominii actualis usus exerceatur. – 320. ad 325. Veluti fit de pluribus institutis, quae nominantur. – 326. ad 328. Doctrina de dominio actuali ac radicali confirmatur per ea, quae nuperrime statuta sunt de Religiosis simpliciter voventibus intra triennium ante solemnem professionem. Necnon per animadversiones in omnia fere instituta, quorum approbatio petebatur. – 329. In *Limburgen.* non approbavit S. C. prohibitionem, ne novitiae de suis bonis disponant ante professionem. – 330. Practica eiusmodi doctrinae utilitas. – 331. In iis regnis, ubi corpora moralia possidendi capacitatem non habent, difficile proprietatis ius in eiusmodi institutis sartum tectumque servatur. – 332. De votorum simplicium exstinctione, annullatione et commutatione, remissive. – 333. Nonnulla de ipsorum dispensatione ac cessatione. Vota temporanea cessant, tempore finito. Mulier est incapax iurisdictionis spiritualis, ideoque nequit dispensare in votis. Capax est autem potestatis dominativae, quaeque

sit explicatur. – 334. S. Cong. Episc. et Regul. in *Bergomen.* expungi voluit haec verba *voti solubili dalla superiora;* quoniam vota per dimissionem sua natura cessant. – 335. Hoc ipsum statuit pro novitiis Religionum, durante triennio votorum simplicium. – 336. Necnon et in aliis casibus aliorum institutorum recens fundatorum. – 337. Infirmitas non praebet iustam dimissionis causam. – 338. Potestas relaxandi vota simplicia absolute inhaeret Episcopis, minime vero Vicariis Generalibus. – 339. Quinque sunt vota simplicia sanctae Sedi communiter reservata. – 340. Duo vota perpetua paupertatis et obedientiae emissa in aliqua communitate non sunt reservata, quia perpetua, sed ob aliam causam. – 341. Nihil dubii, quod eadem Sedi Apostolicae reservata sint, quando hanc reservationem in constitutionum approbatione expresse apposuit Apostolica Sedes, veluti fit de presbyteris Congr. Missionis. – 342. Item de Sororibus vulgo *Dame del Sacro Cuore.* – 343. Quid vero, si nihil in constitutionibus cautum sit. Affertur doctrina Monacelli. – 344. Quam ipse roborat ope responsionis a sacra Poenitentiaria editae. – 345. ad 348. Necnon cuiusdam declarationis S. Cong. Conc. pro Patribus Doctrinae Christianae. – 349. Suadet Monacellus, ut loco votorum emittatur merum propositum perseverantiae, si necessitas recurrendi ad Sanctam Sedem declinari velit. – 350. Eamdem disciplinam de necessitate recurrendi ad S. Sedem confirmavit S. C. Episc. et Regul. aliquibus casibus praeteriti saeculi. – 351. Maximum accedit momentum ex dispositione contenta in Constit. *Convocatis* Benedicti XIV. – 352. 353. 354. Idipsum denique confirmatur ex recenti quadam declaratione S. Congr. Episc. et Regul., quae per extensum exponitur.

296. In duobus, qui praecedunt, articulis ostendimus, ab Apostolica Sede nuperrimis hisce temporibus, seposita disciplina tolerandi instituta, de quibus loquimur, morem inductum fuisse, ut, gravibus et iustis accedentibus causis, Apostolica approbatio iisdem non amplius denegetur. Cavendum tamen est, ne huiusmodi approbatio confundatur cum ea, qua veteres Ordines vere ac proprie religiosi sanciti sunt, aut novos, siqui forte excitentur, sanciri oporteat. Haec enim ultima facit, ut tria, quae eduntur, castitatis, obedientiae et paupertatis vota solemnia efficiantur: illa vero, de qua res est, hunc effectum minime parit, votaque modo memorata in statu simplicitatis relinquit. Quae distinctio necessario facienda cum saepenumero minime adverteretur, illud factum est ut huiusmodi instituta, quae nihil aliud sunt, nisi mere piae religiosaeque societates, ad statum Ordinum non sine errore evectae censerentur, et vota in iis emitti solita uti

solemnia reputarentur. Itaque ut una res ab altera facillime discernatur, nullique supersit confusioni locus, materiam hanc de votis solemnibus et simplicibus, quoad nostrum argumentum respicit, paulo accuratius expendendam sumimus, antequam penitius de singulis tribus votis verba faciamus.

297. In primis veluti fundamentum constituendum est, votum iuxta definitionem a theologorum et sacrorum canonum interpretum coetu communiter receptum nihil aliud esse, nisi *promissionem Deo factam de meliori bono, quod sit possibile:* quam definitionem utique retineri declaravit S. C. Episc. et Regul. in *Bergomen. Super App. Inst. et constit. Filiar. a Sacr. Cord. Iesu.* in conventu particulari 14. Martii 1841. *ad dub. 15.* §. *1.* Iamvero nihil melius et aestimabilius homo Deo potest offerre, quam si totis viribus suis ad perfectionem intendat. Perfectio vero nulla alia ratione facilius et efficacius potest acquiri, quam evangelica sectando consilia: in quo tria, quae dicimus vota consistunt. Nam per ea quidquid habet in bonis homo, sive corpus, sive animum, sive fortunas, id omne Deo reddit. Inter haec tria, quod refertur ad animum, nobilius ac praestantius existimandum est. « Magna quidem paupertas, (ita Ioann. XXII. *in Extr. Quorum-*
» *dam 1. De V. S.* §. *penult. circa finem*), sed maior integritas
» (*prout synonimum castitatis*); horum est obedientia maximum,
» si custodiatur illaesa: nam prima rebus, secunda carni, tertia
» vero menti dominatur et animo. »

298. Ceterum quid sit solemne votum, et quae ad illud constituendum requirantur, edixit S. Poenitentiaria in Rescripto, quod anno 1820. Episcopo Lemovicensi expedivit, in quo illud insuper sancitum exstat, quod tria memorata vota coniunctim in professione concurrere debent, ut eadem solemnis habeatur ac sit. En itaque Rescripti tenor: « S. Poenitentiaria diligenter perpensis
» expositis, ven. in Christo Patri Episcopo Lemovicensi respondet:
» votum solemne illud esse, quod ab Ecclesia ut tale accepta-
» tur, et voventem inhabilem reddit in perpetuum et immuta-
» biliter (spectata lege ordinaria, et seclusa dispensatione Pon-
» tificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia rerum ac-
» quirenda vel retinenda, prout cum ceteris sacrorum canonum tra-
» ctatoribus loquitur P. Pirhing in *III. decret. tit. 34.* §. *1.* Cum ergo
» (ut praemissa ab Episcopo oratore significant) modo Galliarum
» moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, sic paupertatis

» votum emittant, ut minime se abdicent dominio rerum suarum, » sed eas ut proprias retineant, ac de iisdem, cum opus fuerit, » iuxta civiles leges disponere intendant, ideo hoc earum votum » sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne certe non est, » nec solemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obe- » dientiae; quippe cum secundum solemnis religiosae professio- » nis naturam atque Ecclesiae disciplinam votum unum sine alio » solemne esse non possit. »

299. Iamvero si promissio de bono meliori ac possibili facta Deo hisce conditionibus destituta fuerit, tum votum simplex haberi palam esse quisque fatebitur. Praeterea animadvertendum est, quod sive in Ordinibus regularibus, uti talibus ab Apostolica Sede approbatis, sive in Institutis, de quibus agimus, tria vota similiter emittantur, illud semper verum erit, quod vota simplicia, si substantiam consideres, nihil differant a solemnibus. Vide Pirhing *Lib. III. tit. 34. de Vot. et vot. red. num. 5.*, qui hanc tradit doctrinam, eamque suffulcit praesertim auctoritate Coelestini III. docentis *(Cap. 6. Qui cler. vel vov.)*, simplex *votum apud Deum non minus obligare, quam solemne*. Insuper discrimen, quod inter utrumque intercedit, in una solemnitate consistit. Haec autem non ex votorum vi exoritur, sed extrinsecus superaddita est; siquidem solemnitas, ut Bonif. VIII. *Cap. 1. de vot. red. in 6.* declaravit, *ex sola constitutione Ecclesiae est inventa:* itidem subdit: « illud solum votum debere dici solemne, quod solemni- » zatum fuerit.... per professionem expressam vel tacitam factam » alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Idipsum traditur in Constit. Greg. XIII., qua Societas Iesu approbata est, incip. *Ascendente Domino*, ubi Pontifex considerat, *voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiae esse inventam*. Denique in confirmationem accedit Constitutio Bened. XIV. *Quamvis iusto* §. *13.*, ubi ille Pontifex solemnitatem ab Ecclesia ortum ducere animadvertit. Iamvero si votis in approbata Religione nuncupatis solemnitatem demas, quid aliud restat, nisi vota, quae vocantur simplicia?

Neque vero ex hac doctrina deducendum est, solemnitatem ita ad constituendum Ordinem regularem esse necessariam, ut, si ea tollatur, Ordo regularis non possit amplius esse et haberi. Cum enim solemnitas ab Ecclesia derivet, status vero regularis iuxta communem theologorum et sacrorum canonum interpretum

sententiam a Christo Domino institutus fuerit (Ferraris verbo *Religiones regulares art. 1. n. 10*), illud iam sequitur, ut unus sine altero stare possit, veluti primis Ecclesiae temporibus reapse stetit. At super hac re nulla relinquitur dubitatio, postquam s. m. Gregorius XIII. in laudata Constit. *Ascendente Domino* declaravit, tria Societatis Iesu *vota tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui.* Hoc argumentum solide fuseque pertractat Pirhing *Lib. III. tit. 31. a n. 12. ad 17.*

300. At vero quidquid sit in iure, si Societatem Iesu forsitan excipias, nullum (quod sciam) praeterea exemplum invenies, quo Apostolica Sedes aliquod aliud Institutum sive virorum, sive mulierum ad regularis Ordinis honorem evexerit, quin simul omnino praescripserit, ut vota in iisdem emitti iussa solemnia plane forent. Pluries S. C. Episc. et Regul. Congr. preces oblatae sunt, ut sodalibus vota simplicia profitentibus status regularis honor impertiatur: inter quos nominare iuvat Institutum charitatis, quod a Rosminio fundatum est; at frustra. Idipsum exoptasse Sorores a sacro Corde, vulgo *dame del S. Cuore* et *Sorores charitatis Ord. Teut.*, aliasque complures, passim eruitur ex actis in S.C. Episc. et Regul. tabulario adservatis. Attamen S. C. integram et inconcussam disciplinam tenaciter usque servavit, ut huiusmodi Instituta, sublato quolibet status vere regularis titulo ac privilegio, veluti piae ac religiosae Societates tantum considerarentur et essent.

301. Itaque quoties approbationis decretum emittendum esse censuit, semper eam clausulam ad errorem omnem submovendum ac dubitationem dissipandam adiici pro firma constantique norma iussit: *approbandum institutum cum votis simplicibus;* ut videlicet clare ac dilucide constaret, vota in Instituto, quod approbaretur, emitti solita non reputanda esse uti solemnia, neque Institutum ipsum uti Ordinem regularem esse censendum. Quin imo in constitutionum examine gravissime praecipere consuevit, ut in votis describendis, vel utcumque indicandis accurata et exacta loquendi ratio iuxta sacrorum canonum ac theologiae doctorum stylum adhiberetur; quemadmodum evenit in Consult., cui titulus *Viennen. Sor. char. Ord. Teut.* 13. Mart. 1847. *pag. 20.* et 8. Iulii 1852. *pag. 21.*, quibus locis deleri iussit vocabulum *solemne* ubicumque votis additum reperiretur. Et in *Anim. ad con-*

*stitutiones Fil. Mariae Gerunden.* 9. Maii 1860. (vide opusc. *Methodus etc. art. 2. p. 14.*) S. C. expungi iussit omnia, quae praeseferre possent ideam votorum solemnium. In *Animad. ad constit. sor. a Praes. Albien.* 23. Iulii 1860. *art. 14. pag. 19.* noluit S. C. vota simplicia appellari *vota Religionis.* Praeterea usque adeo huiusmodi diligentia producta est, ut deleri iussum fuerit verba *professio* et *professae,* ut in *Bergomen. Sup. app. Inst. et const. fil. a Sac. Cor.* 14. Mart. 1841. *ad 16.* §. *5.,* quamvis progressu temporis sine ullo scrupulo indiscriminatim ab ipsa S. C. adoptata fuerint etiam pro emissione votorum simplicium.

302. Optimo consilio gravissimaque de causa S. Congregatio voluit iussitque, ut in novellis Institutis, ubi religiosae mulierum Sodalitates una in domo commorantur, non solemnia, sed simplicia tantum vota nuncuparentur. Scitum est enim ex Constit. Bonif. VIII. incip. *Periculoso,* quam Tridentini Patres innovaverunt, mulieres omnes Religionem solemniter professas sub perpetua clausura manere debere. Huiusmodi sanctionem magis magisque confirmavit S. Pius V. in Constit. *Circa Pastoralis,* ita ut disciplina haec constantissime servata fuerit, ut solemnium votorum professio sine perpetua Pontificiae clausurae lege minime admitteretur. Quapropter veluti canon receptus est, ut solemnia vota sine Pontificia clausura stare nequeant, et usque ad recentiora tempora religiosae domus, ubi vota simplicia emittuntur, ab Apostolica Sede dumtaxat tolerata fuerint, prout supra demonstratum est. Iamvero cum sacrae virgines, de quibus hic agimus, ut plurimum, a sua domo exire compellantur, quo melius charitatis officiis, quibus sese addixerunt, operam navare queant, ex. gr. ut aegrotos in publicis valetudinariis ope sua curent, puellas e populo instituant, aliaque opera exerceant, illud consequens erat, ut in eo statu versarentur, quo non semper clausurae leges ullatenus custodire valerent. Ceterum res erat plenissima periculi, puellas perpetuo et irrevocabiliter Deo consecratas tam multis ac variis illecebris et artibus exponere, quas in saeculo fraudulentus humani generis hostis instruit ac parat, quibus aliquando victae sancti pudoris iura frangerent non sine spirituali populi offendiculo. Attamen alia ex parte, si qua puella in certamine contra carnis aggressiones victricem se diutius esse non posse sentiat, tum profecto remedium adest, ut ad nuptias

divina cum gratia transire possit tum, cum votorum duratio cessat, aut cum a competente Superiore dispensationem seu melius commutationem obtinuerit (qua super re vide inferius *num. 307.*).

303. Accessit etiam et altera causa, cur Apostolica Sedes ita se gereret. Huiusmodi instituta mirifice effloruerunt et propagata sunt in Galliis, ubi propter notissimas civilis auctoritatis leges religiosi Ordines vetiti sunt, aut sub certis conditionibus peculiariter excepti. Quod in Galliis civilis auctoritas contra leges Ecclesiae sancivit, id et in aliis regnis item sancitum fuisse nemo nescit. Periculum erat igitur, ne unquam fieret, ut aliqua soror, diabolo suadente, solemni voto obstricta contra obligationes voto infixas matrimonium attentaret, et freta civili lege, quae votorum solemnitatem non recognoscit, eiusdem auctoritate se tueretur, et ita impune posset sacrilegii sui fructu turpissime perfrui: quod miserrime non semel factum esse ab aliquo ex religiosis viris solemni sive sacrorum Ordinum, sive regularis Religionis voto irretitis publicae ephemerides divulgarunt. Interim non sine immani hominum offendiculo et Ecclesiae detrimento iudex laicus, qui non Ecclesiae, sed laicae potestatis legibus adhaerebat, hominem iuxta leges Ecclesiae gravissimi criminis reum, a iudicio absolutum, veluti innocentem abire pronuntiabat. Itaque cum ageretur de Gallia; alibi Apostolica Sedes pro sua prudentia mature declaravit vota, quae a monialibus in iisdem locis emittuntur, uti simplicia tantummodo existimari, et sacras virgines in communitate viventes, non tamquam Ordines vere ac proprie religiosos, sed uti pientissimarum feminarum familias haberi. Idipsum ob easdem causas servari censuit S. C., uti videre est in resolutione cuiusdam causae inscriptae *Americana Votorum*, quae disceptata est in Congregatione particulari habita die 1. Sept. 1864. quam dabimus in vol. III. sub n. 54.

Quod si id consilii initum fuerat, cum ageretur de monialibus, quae aliquam ex approbatis Religionibus profiterentur, multo magis eadem consilii ratio firmiter custodienda erat, cum agebatur de Institutis, quae recens orta ab Apostolica Sede approbationem expostularunt. Et reapse in hanc sententiam Consultorem S. Congregationis in causis *Taurinensibus* sororum a S. Maria Magdalena, et sororum a S. Anna, de quibus pluries mentionem fecimus, vehementissimis verbis suam mentem pro-

nuntiasse colligitur ex consultatione ea occasione de more typis edita.

304. Tria, de quibus locuti sumus, vota, castitatis, obedientiae ac paupertatis, omnibus Institutis, ubi piae feminae communem agunt vitam, communia sunt, et esse debent, ut res rite procedant. Sed quemadmodum in pluribus Ordinibus vere religiosis praeter haec tria vota, alia insuper adiiciuntur, ex. gr. de non ambiendis et optandis honoribus, de captivis redimendis, de aegrotis pestifera lue laborantibus ope ac praesentia non deserendis, ita etiam fit de Institutis muliebribus simplicia vota profitentibus. Virgines enim Deo sacrae possunt praeterea se voto obligare, ut in valetudinariis aegrotos curandos sucipiant, puellas in conservatoriis, publicis gymnasiis, ac parvis oppidulis instruant, aliaque bona opera ad christianae charitatis normam exerceant. Cuius rei exempla afferre abstinemus; obvia siquidem unicuique res est.

305. Si votorum simplicium durationem respicias, eadem ad tempus certum possunt coerceri, aut etiam in perpetuum protendi, quin et indeterminato tempore durare possunt. Sunt enim Instituta, in quibus sorores ad unum annum, vel duos, vel tres, aut quinque annos, aut ulterius se votis adstringunt; sunt, quae voti durationem praestituunt usque dum in Instituto sorores commorantur; sunt nonnulla, in quibus ad totam vitam protrahuntur; sunt demum, ubi ad certam aetatem de anno in annum, aut de biennio in biennum, aut aliquo longiori spatio vota renovantur, postea in perpetuum denique emittuntur. Huius etiam rei exempla non adducimus, quippe quae nullam exhibeat difficultatem.

306. Porro S. C., ut plurimum, suadet, ut antequam vota perpetua emittantur, vota simplicia ad tempus duorum, trium, aut plurium annorum duratura contrahantur, ut in *Animad. ad constit. soror. tert. ord. de Carm. Vicen.* 24. Septembris 1860. *art. 4. pag. 22.*

307. Hactenus quae generatim ad tria vota pertinent, cursim sermone delibavimus: nunc peculiaria quaedam, quae ad singula vota referuntur, pertractanda sumimus. At de voto castitatis paucissima occurrunt, quae hic aliqua cum utilitate in medium possint afferri. Si quae enim quaestiones existere queant, hae ad rerum moralium tractatores potius attinent. Quae tamen omitti non debere videntur, haec sunt. Ex *Cap.* Rursus *Qui*

*cler. vel vov. matr.*, quamvis *apud Deum votum simplex non minus obliget, quam solemne*, nihilominus impedit matrimonium contrahendum, idest impedimentum impediens importat, non vero iam contractum rescindit, id est impedimentum dirimens non inducit. Ut vota matrimonium iam contractum rescindere possint, necesse est, ut iisdem accedat solemnizatio, iuxta *Cap.* Quod votum *1. de vot. et vot. red. in 6.*, quae fit per susceptionem sacri Ordinis, vel professionem tacitam aut expressam in aliqua ex approbatis Religionibus editam. Itaque si qua soror votis adstricta simplicibus mente perdita matrimonium attentaret, peccatum admitteret profecto gravissimum, matrimonium tamen nequaquam irritum esset. Id enim aperte colligi posse videtur ex declaratione S. C. Conc. in *Canarien.* 9. Aprilis 1718., in qua Mathias Gonzalezius professionem emiserat in Congregatione Bethlehemitica, quae licet vulgo uti regularis haberetur, attamen Congregatio specialis a SSmo deputata talem eam non esse edixerat; perscripserat enim, eam posse in veram Religionem erigi ita ut ii etiam, qui illi nomen antea dederant, ea de re in antecessum certiores facti, professionem ex integro elicere deberent. Quo audito Mathias habitum religiosum exuerat, ac matrimonium cum Emmanuele Paniche, iuxta leges Ecclesiae de cetero, celebraverat. Re ad Emos Patres delata, propositoque dubio: « An ma» trimonium, de quo agitur, sit validum in casu? » Rescriptum prodiit: « Matrimonium esse validum, sed illicitum. » Vide *sup. num. 302.*

308. Nemo vero inficiari audeat Summo Pontifici, supremo Ecclesiae capiti, auctoritatem inesse impedimentum dirimens votis etiam simplicibus adsciscendi ex Conc. Trid. *can. 3. et 4. de Sac. Matr. Session. 24.* Id enim eum peculiariter iam egisse constat in Societate Iesu: nam Greg. XIII. in Constit. *Ascendente Domino* constituit ac declaravit, omnes, qui vota Religionis simplicia in ea Societate ediderint, ad contrahendum matrimonium esse prorsus inhabiles, et contracta matrimonia nulla esse, ac irrita, quod intelligendum nimirum est, donec vota perdurant, et nisi per legitimam potestatem a Societate, resolutis votis, dimittantur. (Vide Pirhing. *Lib. III. tit. 34. n. 4. et seq.*). « Hinc » (ita Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 11. n. 29. in* » *fin.*) porro consequitur, ut, quamvis matrimonium a Religioso » in Societate Iesu adhuc manente attentatum, nullum [irritum-

» que esset, licet initum post simplex dumtaxat castitatis vo-
» tum, eiusmodi tamen censeri non posset, imo validum legiti-
» mumque esset matrimonium, si illud post dimissionem a So-
» cietate contraheret: veluti latius demonstratur in Collationibus
» ecclesiasticis Parisiensibus *de matr.*, quae editae fuerunt a
» Card. de Noailles, illius urbis Archiepiscopo, *tom. 2. l. 3.*
» *collat. 1.* §. *3.* »

309. Probabilior sententia videtur, quod sponsalia, generatim loquendo, nequaquam dissolvunt votum castitatis ex parte voventis, bene vero ex parte alterius, quae votum non emisit. Id enim deducitur ex textu in *Cap.* Veniens *Qui cler. vel mon. matr. con.* Nam femina quaedam cum sponsalia rite celebrasset cum amasio suo, ac postmodum de severitate et inhumanitate eiusdem accuratius edocta, a suo promisso resilire cuperet, continentiae votum in manibus eremitae Augustinianensis (quemadmodum exponit Gonzalezius) simpliciter pronuntiavit eo consilio, ne ad nuptias re ineundas adigeretur. At quamvis vir cum alia posthac femina coniunctus prolem etiam ab hac suscepisset, nihilo secius Pontifex Episcopo iniunxit, ut mulieri illi, quae sponsalia iniverat, de fide mentita satisfactionem iniungeret, et copiam faceret, ut ad alia vota transire valeret. Hinc vero facillime quisque potest inferre mulieri, quae voverat, satisfactionem fuisse indictam de fide, quam mentiri et frustrari non debuisset (quod videlicet factum non foret, si sponsalia per votum continentiae rite dissoluta iam essent), nullam vero poenam viro fuisse impositam, tametsi, nullo habito sponsalium initorum respectu, cum alia femina matrimonium contraxisset et consummasset. Huiusmodi quaestionem inter alios sedulo pertractat Pirhingius *Lib. IV. tit. 9. Qui cler. vel mon. a n. 27. ad 32.* Vide etiam Ferraris verbo *Sponsalia n. 94.*, qui auctoritatem Barbosae, Abbatis, Andreae aliorumque allegat.

An vero idipsum dici debeat, si votum continentiae una cum aliis duobus paupertatis et obedientiae votis in aliqua communitate emittatur, nulla, quoad sciam, adest declaratio ab Apostolica Sede emanata, quae controversiam huiusmodi suo iudicio diremerit. Id certum est, quod vota simplicia edita in Ordinibus regularibus a novitiis triennio ante solemnem professionem iuxta decreta a S. C. Episc. et Regul. nuperrime edita, sponsalia de praesenti, etsi matrimonium ratum solummodo sit, ac nondum

consummatum, nullatenus dissolvant ac rumpant: id enim aperte colligitur ex declaratione, quae prodiit ex S. Congr. *Sup. Stat. Regul.*, quam ex integro retulimus in capite quarto *ad n. 149.*

310. De obedientiae voto, illud in primis constituendum est, sacras virgines ad haec Instituta pertinentes, ex natura voti, specialiter Summo Pontifici eiusque mandatis obsequi debere, ut ex D. Thoma *2. 2. q. 186. art. 5. ad 3.* notat Ferraris verbo *Votum, art. 2. num. 28.* « Et ratio est (ita ibi Ferraris) quia » votum obedientiae per se primo et principaliter fit Romano » Pontifici tamquam Generalissimo omnium Religionum, cum » omnis potestas iurisdictionis Generalium aliorumque Praelato- » rum Religionum ab illo dependeat, et eam Praelatis regularibus » in approbatione Religionum censeatur concedere dependenter » tamen ab ipso ». Neque officit, quod hic Ferraris de Regularibus sexus masculini, ac de Religionibus approbatione primae speciei confirmatis sermonem habeat: nam ratio, quae ab eodem adducitur, sacris virginibus, iisdemque ad ea Instituta pertinentibus, quae approbationem secundae speciei meruerunt iuxta distinctionem paulo superius institutam, quadrare adamussim potest. Quae quidem animadversio, ut cuivis obvia, specialiter afferebatur a Consultore S. C. (qui postea sacra purpura dignus habitus est) in *Augustodunen. Sup. App. Inst. et const.* 11. Sept. 1853. *pag. 22. ac 23.* Idem animadvertebatur ad const. *Frat. Soc. Mariae Lugdunen.* 13. Dec. 1859. *pag. 31. lin. 8.* (Vide *Methodus, quae ...servatur etc.*). Id autem mirifice confirmat obsequium, quod generatim, nulla habita exceptione, erga Summum Pontificem demonstrant cunctae sacrarum virginum familiae, quae in omnibus suis necessitatibus ad eumdem confugium habent, eiusque oracula tamquam a Dei Vicario profecta, venerantur.

311. Quoniam vero S. Cong. Episc. et Regul. agit nomine Pontificis, hinc pergit idem Ferraris: « Item ex vi voti obedien- » tiae tenentur Religiosi obedire S. C. Episc. et Regul., quia » dicta Congregatio instituta fuit a Sixto V. in supremum ac » summum tribunal omnium Regularium pro bono regimine et » felici gubernio eorumdem, ut patet ex eius Constit. incip. *Ae-* » *terni Dei.* Unde dictum tribunal censetur esse intra ordinem, » ac stante dicta Constitutione potest Regularibus omnibus prae- » cipere auctoritate ordinaria, dependenter tamen a Papa. Sic » Donatus, Thomas a Iesu, Lezana et alii. » Ferraris hoc loco

loquitur de Ordinibus vere regularibus; at etiam hic recidit eadem ratio, ut Institutis votorum simplicium adamussim eius doctrina accommodetur.

312. Tenentur insuper sorores obedire Cardinali Protectori, si quem habeant, Ordinario loci, et Superiorissae, tum generali, tum locali, de quibus cum separatis articulis deinceps agendum sit, consulto plura hic non addimus.

313. Qui paupertatem Deo ex voto adpromittit, omni dominio sese exuit. Dominium proprietatis, de quo hic agimus, (nam multifariam, si generatim considerare velis, idem dividi nemo nescit), a Ferrario verbo *Dominium art. 1. n. 8.* definitur: *facultas disponendi de re sua pro libitu in suum commodum.* Haec porro definitio duo praesertim complectitur, nempe *ius ipsum*, quo fruitur aliquis disponendi de re sua, et *actum*, quo reapse ipsum disponendi ius exercet. Primum vocatur dominium *radicale*, alterum dominii *actualis* nomine venit. Hac posita distinctione concluditur, ad votum solemne constituendum requiri, ut vovens utroque dominio radicali et actuali omnino se in perpetuum exuat; cum enim irrevocabiliter, ac nulla addita reservatione, vovens Deo per votorum solemnitatem sese consecret, contradictio fieret in terminis, si aliquo modo vovens dominii partem conservaret. Aliter se res habet de votis simplicibus, in quibus satis est, ut quis dominium actuale a se abdicet. Ius enim radicale per se ipsum vox est, ac nihil, si ab actuali segregetur; nam distinctio dominii radicalis et actualis est mere metaphysica, et ideo invecta, ut clara et adaequata rei notio existat. Ceteroquin cum vota simplicia ordinarie per se, finito tempore, cessare possint, aut, iusta causa accedente, per dispensationem a legitimo Superiore tributam resolvi, difficultatem non implicat, quod vovens, donec votum perdurat, ius disponendi de re sua exercere nequeat, iis vero cessantibus, in sua iura reversus ad lubitum in suum commodum actuale dominium exerceat. Huic distinctioni enucleatius explicandae causam dedit approbatio Societatis Iesu, in qua scholastici et coadiutores temporales illius inclytae Societatis, licet simplicia vota edant, vere Religiosos haberi posse, et revera esse declaravit ac statuit Greg. XIII. in Constit. *Ascendente Domino.*

314. Haec doctrina maximi usus et utilitatis habita est in hoc, quod versamus, argumento Institutorum, ubi vota simplicia nuncupantur adeoque non inutile, neque ingratum nos facturos

esse putamus, si Ferrarii, utpote qui breviter ac simpliciter caput hoc agit ac explicat, sententiam auctoritate suffultam praeclarorum auctorum, suis verbis exscribamus: « Scholastici (sic ipse » verbo *Votum art. 2. n. 119. et seq.*) et coadiutores temporales, » qui in dicta praeclarissima Societate Iesu post biennium pro- » bationis simplicia vota ediderunt, possunt, non obstante voto » paupertatis, retinere et acquirere dominium radicale bonorum » temporalium tam mobilium, quam immobilium antea habito- » rum, vel postea per haereditatem, donationem, vel alio modo » obtentorum, quamvis per dictum simplex votum paupertatis » privati sint actuali iure de iis disponendi arbitrio suo sine Su- » perioris licentia (Sanchez, Layman, Busemb., La Croix, Sporer » et alii). Et ratio est, quia illud votum simplex non privat, sed » stat cum dominio radicali et in actu primo bonorum antea » habitorum et postea acquisitorum seu acquirendorum, et so- » lum privat dominio ac iure actuali utendi vel disponendi de » iis arbitrio suo sine licentia Superiorum iuxta Constit. Greg. XIII. » incip. *Ascendente Domino.* Talis enim religiosa paupertas non » consistit in eo, quod reddat Religiosum incapacem dominii » radicalis, et velut in actu primo, qualem etiam habet infans » sub tutore constitutus; sed quod privet ipsum Religiosum iure » retinendi bona temporalia, et de iis disponendi arbitrio suo » sine facultate et consensu Superiorum, saltem licite.

315. » Unde tales scholastici et coadiutores temporales, quam- » vis mortaliter peccarent contra paupertatis votum, si de dictis » bonis antea habitis, vel postea acquisitis disponerent arbitrio » suo sine Superiorum consensu, tamen dispositio ista esset va- » lida (Sanchez, Sporer, de Lugo, La Croix, Castropal., Peliz. et » alii). Et ratio est, quia licet peccarent mortaliter contra votum » paupertatis, ex quo per tale simplex votum paupertatis sibi » interdixerint ius disponendi sine facultate Superiorum, tamen » eorum dispositio esset valida, quia adhuc retinent dominium » suorum bonorum, donec eis se abdicent per solemne pauper- » tatis votum, cum eis non se abdicent per dictum votum sim- » plex paupertatis. »

316. « Est enim magna differentia inter votum solemne pauper- » tatis.... et inter simplex paupertatis votum ab ipsis scholasticis et » coadiutoribus temporalibus emissum, quia tale simplex votum » paupertatis privat Religiosum solum dominio ac iure actuali utendi

» ac disponendi de bonis temporalibus arbitrio suo absque facultate » Superiorum, et non dominio radicali et in actu primo. Votum au- » tem solemne paupertatis emissum in professione solemni Religio- » nis privat sic professum non solum dominio ac iure actuali, sed » etiam dominio radicali et in actu primo, idest omni iure ac » facultate tam valide, quam licite disponendi de bonis tempo- » ralibus antea habitis, ac alia postea acquirendi et alienandi, » ut clare habetur ex *Cap.* Unic. *de voto in 6.* et de coadiuto- » ribus formatis in dicta Societate Iesu est statutum a Greg. XIII. » in Constit. *Ascendente Domino.* (Layman, Sporer et alii). » Eam- dem doctrinam tradit Pirhing e Societate Iesu *Lib. III. tit. 31. num. 4.*

317. Quod si huiusmodi iuris principia recepta sunt in Societate Iesu, quae inter Ordines regulares recensetur, et in quo Religiosi, quantum in se est, irrevocabiliter et immutabiliter in Religione memorata Deo se devoverunt, licet Religio iustis de causis possit aliquando Religiosum e suo sinu dimittere, et omni voti obligatione resolvere iuxta ea, quae statuit idem Pirhing. *loc. cit. n. 6.*, multo magis admitti possunt in Institutis, de quibus res est, quae inter Ordines regulares minime recenseri superius ostendimus. Itaque, si nihil specialiter in ipsis constitutionibus Instituti, de quo agatur, sancitum fuerit, et valide et licite, qui simplici paupertatis voto tenetur, disponere poterit pro lubitu suo de bonis ad se spectantibus, aut post vota simplicia emissa sibi delatis, dummodo id non faciat ad suum commodum; adeoque Institutum, in quo idem commoratur, nihil iuris ad eadem bona sibi vindicare poterit.

318. Namque, cum recens contigisset, ut mulieri ad Institutum huius generis pertinenti, nempe Religiosae conservatorii Anticuli in dioecesi Anagnina, haereditas ex patris morte pervenisset, proposito dubio: « An et quomodo oratrix religiosa conser- » vatorii Anticuli possit licite et libere disponere de haereditate » modo sibi delata per mortem patris post professionem votorum » simplicium, vel in dictae haereditatis possessionem ingredi pos- » sit idem conservatorium in casu? » S. C. Episc. et Regul. in *Anagnina Super iur. test.* 18. Febr. 1853. rescripsit: « Affirmative » ad primam partem, negative ad secundam. » Consulatur etiam *Massilien. seu Adiacen. Sup. iur. succedendi* 14. Aug. 1863., quam per extensum afferemus infra num. 467–475.

319. Quod si in constitutionibus peculiaribus Instituti, cui se vovens addixit, constitutum ac determinatum fuerit, qua ratione actuale voventis dominium exerceri debeat, iisdem constitutionibus adhaerendum est, aliter enim contra easdem grave peccatum admitteretur. Iamvero non una eademque ratio est, quae ab Institutis votorum simplicium in constitutionibus peculiaribus super hoc argumento praescripta invenitur. Itaque ut norma et exemplum in promptu esse possit, in medium proferemus quidquid in aliquorum Institutorum constitutionibus dispositum est. Neque mirum cuiquam videri debet, si nonnulla exempla ab Institutis masculorum arripiamus: hoc enim adiunctum non est nisi mere accidentale, et ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio.

320. In Cong. Cleric. Excalc. SS. Crucis et Passion. D. N. I. C. (vulgo *Passionisti*) constitutiones *(Cap. 13.)* permittunt sodalibus, ut a Congregatione exeuntes bonorum suorum liberum dominium recuperare possint: quod vero ad usumfructum attinet, quo tempore in Congregatione morantur, in utilitatem alicuius sui consanguinei de ipsis disponunt: si tamen consanguineus iste moriatur, possunt iterum de ipso disponere ad formam constitutionum, videlicet *in favorem alicuius consanguinei, vel affinis, vel alterius cuiuscumque personae, prout pietas et charitas suggesserit,* eo prorsus modo, quo de proprietate disponere tenentur, prout S. Cong. Episc. et Regul. declaravit in *Romana Cong. cler. excalc. SS. Crucis et Pass. D. N. I. C.* 1. Septem. 1837. De hac Congregatione adnotandum est, nunquam eidem, in universum spectatae, fas esse bona stabilia possidere, neque certos reditus in communi, vel particulari habere, neque haereditates adipisci, vel alio quocumque titulo bona immobilia acquirere, quod idem est, ac si diceres, dictam Congregationem uno verbo dominii esse prorsus incapacem. Et sane, cum pius quidam vir sodales illius Congregationis haeredes testamento scripsisset, et, si dicti haeredes conditiones ab ipso praescriptas non exsequerentur, domum hospitalem substituisset, lis orta est inter haeredes constitutos: « An et cuius favore sit locus immissioni in casu? » S. C. Episc. et Regul. *in Alatrina* die 22. Dec. 1854. rescripsit: « Affirmative » favore hospitalis, et ad mentem; mens est: Supplicandum » SSmo pro concessione alicuius eleemosynae favore Clericorum » excalceat. Pass. D. N. I. C. »

321. In Congregatione sub invocatione SSmi Redemptoris, quam S. Alphonsus de Liguori fundavit, constitutiones (§. *1. num. 8.*) ita praescribunt: « Quoniam Congregationis sodalis suo» rum bonorum proprietatem semper retinet, de iis disponere po» terit in utilitatem suorum coniunctorum: quod si non fecerit » in horum beneficium, id facere debebit in beneficium Congre» gationis. » In hac dispositione perspicue declaratum non fuerat, an sodales de usufructu disponere possent. At S. Cong. Episc. et Regul. suo decreto 2. Iulii 1841. definivit, cisalpinos illius Congregationis sodales stare posse declarationibus capituli generalis anni 1764., videlicet, ut de usufructu disponere possint favore consanguineorum vel affinium usque ad quartum gradum iuxta canonicam computationem, vel in favorem animae suae, vel etiam in alium usum, sed cum licentia Superiorum. Huiusce decreti dispositionem ad sodales etiam transalpinos extendi declaravit S. Cong. Episc. et Regul. in particulari conventu diei 1. Iun. 1852. et 8. Iulii eiusdem anni, interdicta ceteroquin qualibet eadem bona possidendi facultate.

322. In constitutionibus a S. Cong. Episc. et Regul. approbatis, quas Antonius Rosmini *Societati sodalium a charitate* nuncupatae tradidit, cuius ipse fundator exstitit, statutum est, ut omnes paupertatis evangelicae gradus spiritu sodales amplectantur, seseque paratos exhibeant, quandocumque id Superiori visum fuerit, ad interdicendum sibi etiam dominium legale, et de facto, quod ceteroquin retinent, voto simplici ad hoc emisso. Qui vero aliquid possidere a Superiore permittuntur, nequeunt bona acceptare sibi quocumque titulo obvenientia, nisi Superior id eisdem iniungat. Bona vero isthaec per dominium civile possessa in communi administrari debent; deque iisdem disponere Societati reservatur. Alia insuper hoc de articulo ibidem caventur, quae hic recensere longum esset.

323. Sorores nuncupatae *Ancillae charitatis,* quae Brixiae ortum habuerunt, quarum constitutiones approbavit S. C. Episc. et Regul. in conventu particulari diei 22. Dec. 1850. iuxta §. *1. cap. 9.,* debent renuntiare bonorum administrationi, minime vero proprietati. Interim novitiatus ac probationis tempore procuratorem eligunt, qui bona administret, debitamque Instituto pensionem solvat. Dein non multo tempore ante votorum simplicium emissionem, de suis bonis testamento disponere iubentur, relicta

Instituto ea bonorum parte, quae doti monasticae respondeat, reliqua parte eis derelicta, quibus eam destinare sororibus ipsis visum fuerit. Cum vero vota emittendi dies appropinquat, suarum omnium fortunarum administrationem titulo renuntiationis in Superiorissam transferunt, ad quem effectum procurationis mandatum eidem tradunt, quod, usquedum in Instituto commorantur, suam efficaciam omnino conservat.

324. *Sorores a S. Anna,* quas Taurini pientissima ac nobilissima femina Marchionissa de Barolo erexit, proprietate sese spoliant sub conditione, ut ea careant, donec in Instituto permaneant, a quo si qualibet de causa egrediantur, omnia iura civilia recuperent. Donec autem Instituto adhaerent, omni administrationis iure destitutae sunt. In eo vero actu, quo sorores bonorum suorum usu se privant, possunt disponere, ut eorumdem bonorum reditus, quoad in Instituto maneant, in huiusce utilitatem cedere possint: idque eruitur ex resolutione causae, cui titulus *Taurinen. Sup. app. inst. et const. S. Annae* diei 8. Ianuarii 1846., in qua Emi Patres inter alia, quae Consultoris voto adiici voluerunt, id primo loco expresse *circa votum paupertatis constituerunt, ut sororibus in actu, quo suis sese exuunt bonis, potestas sit declarandi, horum reditus, volvente votorum triennio, in utilitatem Instituti cedere posse.*

In causa *Veronen. Indulti pro monial. recip. donat.* penes S. C. Episc. et Regul. in comitiis 20. Dec. 1844. disceptata ad primum dubium Emi Patres annuerunt, ut Religiosae addictae Instituto *Sororum minimarum charitatis Mariae Perdolentis* Veronae erecto et approbato cum votis simplicibus, facultatem habeant id efficiendi, ut suo nomine accepta habeantur, et a Superiorissa pro tempore administrentur bona, quae sibi forsitan titulo donationis, haereditatis, aut legati perveniant.

325. In Instituto Sororum charitatis Ord. Teutonici, cum in formula votorum enuntiaretur, quod sorores usum omnem renuntiaturae essent omnium bonorum, quae ad se quocumque titulo pertinerent, ex voto Consultoris S. C. praescripsit, ut vocabulo *usus* adiiceretur adiunctum *liber*, et formula ipsa ita sonaret: *omni libero usu eorum abdicato, quae mea propria sunt.* Ita enim paupertatis votum nullatenus laedebatur, cum a voluntate Superioris usum ipsum pendere firmaretur.

326. Cum haec a nobis perscripta iam fuerant, typis prodiit

opusculum, semel iterumque memoratum, super methodo a Sacra Congr. Episc. et Regul. in approbandis institutis eorumque constitutionibus servata, ubi *(pag. 43.)* refertur articulus, quoad votum paupertatis, prout exstat in constitutionibus Presbyterorum Societatis Mariae, sive Maristarum a Summo Pontifice per modum experimenti ad sexennium approbatis die 15. Iunii 1860. ibi « Art. 4.; Professi in hoc Instituto dominium radicale, uti aiunt, » suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino prohibita » est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus. De- » bent propterea ante professionem cedere, etiam private, admi- » nistrationem, usumfructum, atque usum quibus eis placuerit, » ac etiam suo instituto, si ita pro eorum libitu existimaverint. » Huic vero cessioni apponi poterit conditio, quod sit quando- » cumque revocabilis: sed professus hoc iure revocandi in con- » scientia minime uti poterit, nisi accedente Apostolicae Sedis » placito (1). Quod etiam dicendum erit de bonis, quae post pro- » fessionem titulo haereditario eis obvenerint. Poterunt vero de » dominio, sive per testamentum de licentia tamen Superioris Ge- » neralis, sive per actus inter vivos libere disponere, quo ultimo » eveniente casu, cessabit concessio ab eis facta quoad admini- » strationem, usumfructum et usum, nisi eam concessionem tem- » pore eis bene viso firmam voluerint, non obstante cessione do- » minii. Professis autem vetitum non est ea proprietatis acta per- » agere de licentia Superioris, quae a legibus praescribuntur. » Quidquid professi sua industria, vel intuitu Societatis acquisie- » rint, non sibi adscribere aut reservare poterunt, sed haec omnia » inter communitatis bona refundenda sunt ad communem So- » cietatis utilitatem. Idem praescriptum est relate ad Sorores » Praesentationis *Albien.* 8. Mart. 1861. et quoad Sorores a S. Io- » sepho *Camberien.* 22. Mart. 1861. »

327. Idem statutum est circa novitios regularium Ordinum, qui hodie exacto novitiatu primum vota simplicia nuncupant, nec nisi post triennium ad solemnia vota recipiuntur iuxta normam encyclicae S. Cong. *Super Stat. Reg.* diei 19. Mart. 1857. et Constit. *Ad universalis* a s. m. Pio PP. editae die 7. Feb. 1862. (utramque

(1) Quoad Trappenses Galliae Pius PP. IX. die 20. Decemb. 1861. statuit et decrevit: « Professus, qui ante emissionem votorum de dominio suorum bonorum » per testamentum disposuerit, dispositionem revocare vel immutare absque Apo- » stolicae Sedis indulto minime poterit (*Bizzarri* Collectanea pag. 164.).

dedimus supra pag. 105 et 114). Namque in declarationibus a S.C., instante Magistro Generali Ord. Praed. die 12. Iunii 1858. emanatis, et ad alios etiam Ordines extensis, ipsissimis verbis declaratio adoptata fuit a principio usque ad verbum *existimaverint*, sublata solummodo clausula, *etiam private*, additaque altera: *cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint.*

328. Quin imo in singulis fere animadversionibus ad constitutiones variorum Institutorum examini S. Congr. Episc. et Regul. pro approbatione subiectas ab anno 1858. ad annum 1861. appositas ac typis editas, ut ex opusculo saepe memorato, cui titulus: *Methodus, quae a S. C. Episc. et Regul. servatur etc. a pag. 7. ad 15.*, illud videre est, ab eadem S. C. apposito articulo ad singulas pene constitutiones fuisse animadversum, ut votum paupertatis magis accurate determinaretur circa dominium radicale, administrationem, usumfructum, et usum a vovente in alterum transferendum. Ad hunc itaque finem tamquam norma generatim retinenda proposita fuisse videtur particula constitutionum ad Maristas pertinentium, quam modo suis verbis exscripsimus. Praeterea in animadversionibus in constitutiones Sororum charitatis Fil. Immac. Conc. *Paderbornensis* dioecesis die 10. Mart. 1860. *art. 8. pag. 10.* perpenditur, satius esse, ut sorores in disponendo de suis bonis non expetant licentiam Superiorissae Generalis, ne haec abutatur facultate in praeiudicium propinquorum sororis, sed potius Ordinarii licentiam requirant.

Insuper in animadversionibus ad constitutiones *Soror. S. Vincentii a Paulo Paup. Famul.* dioecesis *Gandaven.* diei 30. Aprilis 1860. *art. 4. pag. 13.* additur, *non esse coarctandam facultatem disponendi ante professionem.*

Penes Institutum *Sororum a Praesentatione* Albien. dioec. 1. Apr. 1861. *pag. 44. art. 2.* professae, postquam administrationem bonorum a se abdicaverunt, non possunt licite cessionem hanc revocare absque venia S. Congr. Episc. et Regul.; possunt vero, accedente venia Generalissae, peragere acta dominii radicalis (gallice *nue-propriété*), quae a legibus praescribuntur.

329. Prohibendum minime esse, ne novitiae ante professionem de suis bonis, vel de eorum usufructu libere disponere possint, edicitur in *Animadvers.* ad constit. *Paup. Ancill.* 23. Martii 1860. *art. 9. pag. 11. in Limburgen.*

330. Ab aliis exemplis congerendis abstinemus, siquidem omnia, si substantiam consideres, inter se plane conveniunt; si qua vero varietas existat, haec circa res accidentales solummodo versatur. Illud vero non praetermittendum esse puto, doctrinam hanc de dominio radicali retinendo ab iis, qui vota simplicia profitentur, peropportunam et utilissimam accidere in illis praesertim ditionibus, in quibus contra legum canonicarum sanctiones laica auctoritas sua lege constituit, domos religiosas, ut corpora moralia possidendi capacia nullatenus agnosci ac reputari. Cum enim voventes dominium radicale conservent, lex civilis facere nequit, quin iura eorumdem voventium, non secus ac aliorum civium, agnoscere ac tueri debeat; ceteroquin cum voventium ipsorum voluntas votorum vinculo plane devincta remaneat, omnisque actus a voluntate Superioris omnino pendeat, sartum tectumque manet paupertatis votum, ac praeterea si ad saeculum voventes redeant, nullam iurium suorum iacturam faciunt.

331. Ius proprietatis ad universum Institutum pertinens per haec certe ab omni periculo non liberatur in iis regnis, ubi corpora moralia uti civiles personae approbata non sunt; ea nempe ratione immunia non servantur iura domorum religiosarum, ubi vota solemnia nuncupantur, et Ordines regulares a lege interdicti sunt. Plura quidem remedia ab aliquibus inventa ac proposita sunt, quibus huic malo consuleretur, media inita via, qua legi civili nihil derogetur, unaque circa ius proprietatis religiosis domibus nullum detrimentum inferatur. At vero experientia constat, nullum hactenus satis tutum effugium occurrisse (1): hinc S. Congregatio nullam unquam praestituit normam, qua adversus civiles leges Institutorum religiosorum proprietas in tuto poneretur, ut videre est in Consultatione, cui titulus *Lugdunen. Super app. inst. et const. soror. a Iesu et Mar.* 3. Septemb. 1847. Ea consultatio egregium Consultoris continet votum, ubi haec materia fuse docteque pertractatur a *pag. 15. et seq.*

332. Tractatores rerum sive moralium, sive canonicarum, ubi votorum argumentum pertractant, postquam de ipsorum natura

(1) S. C. Episc. et Regul. nonnunquam indulsit, ut aliqua monialis appareret ante faciem legis utpote domina bonorum, quae proinde moritura testaretur, aut aliter inter vivos disponeret favore alterius monialis et sic deinceps. Prostant duo Rescripta diei 14. Febr. 1852., et aliud 13. Aug. 1853. in Analect. Sept. 1867. pag. 968.

disceptarunt, multa proferunt de ratione, qua eadem vel exstingui, vel irrita fieri, vel commutari, vel dispensatione resolvi solent. Ad eosdem, quippe qui, ut plurimum, cuivis prae manu sunt, lectorem remittimus, ubi aliquod contingat, in quo super materia, quam versamus, eos consulere oporteat. Nonnulla tantum heic de cessatione ac dispensatione votorum praetermittere nolumus.

333. Videt unusquisque per se, vota ad tempus emissa, tempore exspirato, ita cessare, ut vovens omni obligatione solutus abeat. Si tamen agatur de votis perpetuis, vovens, casu dimissionis excluso, sine dispensationis venia ab instituto abire non potest. In constitutionibus, quae S. Congr. Episc. et Regul. identidem exhibitae sunt, ut Apostolica sanctione donarentur, non raro usuvenit, ut facultas dispensandi a votis Superiorissae Generali demandaretur. At vero S. C. iure meritoque id absurdi nunquam admittendum autumavit. Mulier enim quamquam potestatem in mulieres sibi subditas obtinere valeat, attamen incapax est iurisdictionis spiritualis, quae requiritur in eo, qui dispensationem impertiatur. In quo doctrinam ab interpretibus sacrorum canonum traditam afferre non inopportunum arbitramur, quos inter seligimus egregium doctorem Pirhingium *Lib. III. tit. 31. de Reg. num. 9.*: « Ubi tamen notandum, quod duplex po» testas considerari potest in Praelato, qui Religioni praeest, una » gubernativa, et quasi dominativa, seu oeconomica et domestica, » per quam Praelatus Religiosis sibi subditis potest praecipere, » et per poenas illos cogere ad servandam disciplinam regula» rem, quae radicaliter oritur ex eo, quod quis profiteatur in ali» qua Religione certam regulam, seque illi tradat cum promis» sione et obligatione obediendi secundum illam, ut docet Sua» rez... Alia est iurisdictio spiritualis proprie dicta, quae ad cla» ves Ecclesiae pertinet, et in potestate ligandi ac solvendi et » ecclesiasticas censuras ferendi consistit. Et haec potestas est » distincta et separabilis a priore potestate, ut patet in Abbatis» sis, quae non sunt capaces iurisdictionis proprie dictae, et » tamen potestatem gubernativam habent ratione traditionis et » voti obedientiae a subditis ipsis sibi praestiti. »

334. Supervacaneum videtur admonere, ea, quae hic de monasteriis proprie religiosis traduntur, ob eamdem rationem Institutis votorum simplicium mirifice convenire. Et sane; S. Congregatio hisce principiis innixa in constitutionibus sibi delatis cor-

rectiones in hanc sententiam peragi semper omnino censuit atque praescripsit. Praesertim vero in *Bergomen. Super app. constit. filiar. a Sac. Corde Iesu* 14. Mar. 1841. in responsione *ad dub. 16.* §. *2.* ita praecepit: « In formula votorum omittantur verba *ma* » *solubili dalla superiora;* nam Superiorissa non solvit vota di- » missarum sororum, sed vota ipsa cessant ex praevia conditione, » cum dimittitur a Societate soror. » Quando enim constitutiones Antistitae Generali facultatem faciunt, ut iustis de causis aliquam sororem ab instituto dimittere possit, dimissio consideranda est veluti principale, quam votorum cessatio veluti accessorium consequitur. Aliquando illud plane cautum exstat in constitutionibus peculiarium istiusmodi Institutorum, ut, quocunque demum casu vovens ab Instituto recedat, eo ipso vota resoluta censeantur; sic in instituto *Schol. char. Venet.* die 23. Septemb. 1836. a Sac. Cong. Episc. et Regul. approbatis praescriptum legitur: « Vota... » eo usque obligare censeantur, quousque alumni... in Congrega- » tione permanserint. Qui omnino sponte discedunt, aut prudenti » Superiorum arbitrio dimittuntur, eo ipso et sine ulla dispensa- » tione praedictis votis exsolvuntur. »

335. Idipsum pariter accidere de novitiis Religionum, in quibus solemnia vota nuncupantur pro eo triennio, quo iidem in simplicium votorum professione permanent, paulo ante vidimus in capite quarto *de Regul. n. 142.,* allata declaratione S. C. *Sup. Statu Regul.* diei 12. Iun. 1858. §. *3.*

336. Sed peculiariter id ipsum pluries a S. C. adoptatum fuisse constat ex opusc. *Methodus quae a S. Congr. etc.* Generalissae minime permittitur, ut sorores dimittat sine interventu Apostolicae Sedis et Ordinarii, ut in *Animad. ad const. soror. charit.* 10. Martii 1860. *art. 10. p. 10.,* item in *Animad. ad const. soror. S. Mariae a S. Ioseph* 11. Iulii 1860. *art. 9. p. 18.,* in *Animad. ad const. soror. miser. Baiocen.* 20. Feb. 1860. §. *8. p. 23.,* atque etiam, audito consilio suo generali, ut in *Animad. ad const. soror. mis. loc. cit.*

337. Si agatur de sororibus, quae perpetua vota emiserunt, sola infirmitatis causa per se non sufficere reputatur, ut aliqua soror ab Instituto dimittatur; quippe haec dimissio contra charitatem esset. *Anim. ad const. soror. char.* 10. Mart. 1860. *Paderbornen.* §. *10. p. 10.*

338. Iurisdictio spiritualis, quae mulieribus competere nequit, Episcopis ob ipsius ministerii, quod sustinent, naturam inhaeret.

Id autem nonnullis animadversionibus obnoxium est, quas hic diligenter evolvimus. Notum est, Episcopos facultatem obtinere vota simplicia relaxandi, quae a suis dioecesanis emittuntur, veluti communiter docet omnium doctorum coetus. Attamen haec facultas Vicario Generali, licet Ordinarii nomine veniat, iuxta communem doctorum sententiam minime attributa censetur; quam sententiam retinuit S. C. Episc. et Regul. in examine constitutionum Instituti sive a S. Magdalena, sive a S. Anna nuncupati, quorum utrumque fundavit Marchionissa de Barolo, ut ex consultationibus ea occasione Emis Patribus distributa *pag. 12.* circa Inst. a S. Magdalena, et *pag. 34.* circa alteram a S. Anna nuncupatam luculenter apparet.

339. Iamvero inter vota simplicia quinque recensentur, quorum dispensationem Apostolica Sedes sibi reservavit, eaque sunt, votum servandae perpetuae castitatis, ingrediendae Religionis, et trium peregrinationum ad sanctam urbem Ierusalem, ad sanctuarium S. Iacobi de Compostella, et ad almam Urbem visendi causa SS. Limina Apostolorum Petri et Pauli. Vide Bened. XIV. *Encyclic. ad poenit. et conf.* pro Iubilaeo anni 1750. incipien. *Inter praeteritos* §. *42.*, quae habetur in eiusdem Bullario post *Const. Convocatis* 1. Decemb. 1749. Itaque, omisso sermone de ceteris quatuor, quae ad rem non pertinent, si agatur de perpetuo castitatis voto, nihil dubii, quin vovens Apostolicam Sedem pro dispensatione adire omnino debeat: restant alia duo, scilicet obedientiae et paupertatis vota.

340. Quae si Apostolicae Sedi reservata aliquis dicat ex eo pure ac simpliciter, quod perpetua sint, errare vehementer dici deberet: nam Bened. XIV. sententiam eorum, qui ita opinantur, errori locum praebere declarat, nisi aliquid addatur. Quocirca inquisitioni aditus aperitur, an dicta vota perpetua Summo Pontifici reservata dici debeant ex eo, quod in communitate seu instituto, quod sancta Sedes approbatione secundae speciei confirmaverit, publice a sororibus emissa fuerint.

341. Qua super re si in constitutionibus particularibus id conceptis verbis cautum fuerit, ut ab Apostolica Sede super votis dumtaxat dispensari debeat, nullum certe dubitationi locum reliquum esse quisque videt. Ita porro fit de presbyteris Congregationis Missionis ex Constit. Bened. XIV. *Quo magis* 18. Decemb. 1742., quorum dispensationem a nullo alio praeterquam

ab ipso Summo Pontifice concedi posse sancitur; quamvis ex dispositione eiusdem Apostolicae Sedis eidem Congregationi elargitum est, ut Superior Generalis suos subditos a votis dispensare possit in actu dimissionis tantum, non secus ac aliis Institutis indultum est, ex. gr. Societati Iesu, in qua insuper eo ipso, quod quis dimittitur, emissa vota omnino cessant. Hodiernis temporibus in approbatione constitutionum cuiuslibet Instituti iuxta communiter receptam disciplinam solet a S. C. Episc. et Regul. apponi clausula, ut vota, quae in istis votorum simplicium Institutis eduntur, a sola Sede Apostolica dispensari possint, ut in *Anim. ad const. fil. Mar.* 9. Mar. 1860. §. *16. p. 15., Bellicien. ad const. soror. a S. Ioseph* 9. Iun. 1860. *Camberien.* §. *15. n. 17.* et alibi etiam, quemadmodum videre est in saepius memorato opusculo, cui titulus *Methodus, quae a S. Congr. etc.* Neque immerito; nam perpendendum est, quod summopere interest Sanctae Sedis statum cuiusque Instituti agnoscere, quod ipsa assequi facile potest ex alumnorum supplicationibus, qui dispensationem super emissis votis petunt: insuper quod hae dispensationes difficiliores efficiuntur, et nexus inter huiusmodi Instituta et Apostolicam Sedem stabilius confirmatur. Imo aliquando nonnulla Instituta non defuisse novimus, quae hisce nimirum de causis sponte sua ab Apostolica Sede peculiariter deprecata sunt, ut eadem hanc ipsam reservationem in constitutionibus comprobandis sibi disertis verbis adiudicaret.

342. Eadem reservatio constituta est penes Sorores a S. C. Ies. et Mar., vulgo *Dame del S. Cuore;* idem apud Sorores char. Ord. Teutonici, aliaque Instituta, quae enumerare longum esset. Quod si in constitutionibus expressis verbis dispensandi facultas Episcopis attributa legatur, tum ad S. Sedem necessario recurrendum non esse videretur; quamvis enim veluti certum stabiliretur, vota, de quibus agimus, ab Apostolica Sede tantum posse relaxari, posita tamen conditione, quod constitutiones ab eadem recognitae approbataeque fuerint, inferendum videtur tacite hanc Pontificiam reservationem in ipso approbationis actu Episcopis fuisse ablatam.

343. Quid tamen, si nullum omnino verbum hac de re in constitutionibus fiat? Circa huiusmodi quaestionem docet Monac. *Form. Leg. tit. 16. form. 3. n. 14.: At si votum rei particularis, puta perseverantiae in aliqua congregatione, seu collegio esset pu-*

*blicum et acceptatum cum promissione iurata, tunc vovens absque dispensatione Apostolica non posset transire ad Religionem; quia votum obligat Deo, iuramentum autem homini, cui per professionem ius quaesitum fuit, et sic non debet, nec sine gravi causa per plenitudinem potestatis relaxari.* In confirmationem affert auctoritatem Navarri, Pirhingii et aliorum.

344. Quod vero magis interest, S. Poenitentiariae responsum, itemque S. C. Conc. declarationem in medium profert. In primo de aliquibus convictricibus Infantis Iesu agebatur, quae ope S. Poenitentiariae dispensationem a votis in dicto Instituto emissis impetraverant. Postmodum Instituti eiusdem moderatores instabant, ut dispensationes impetratae irritae declararentur ex eo, quod eorum consensus deerat, et ut declararetur, *quod in posterum sine eorum consensu ne concederentur dispensationes.* S. Poenitentiaria rescripsit *esse habendam rationem futurorum, idest nec ab ipsa S. Poenitentiaria, nec a Poenitentiariis basilicarum a praefatis votis et sacramento liberandas fore, quae dicta vota cum iuramento emiserunt, et in futurum emiserint, nisi auditis, consultis, et consentientibus convictricibus et deputatis una cum Emo Protectore, et quoad Mariam N. aliasque tunc egressas e dicta Congregatione supposita earum bona fide, et tacito consensu ipsius Congregationis, quae per spatium tanti temporis non reclamavit, in eadem bona fide relinquendas. Datum Romae in S. Poenit.* die 13. Dec. 1704.

345. Declaratio S. C. Conc., quam secundo loco innuimus, circa Patres a Doctrina Christiana versabatur; porro quaerebatur Monac. *loc. cit. num. 17.: An ipsis liceret dictam Congregationem deserere sine dispensatione Apostolica; causa pluries proposita, tandem sub* die 28. Ianuarii 1701. *S. Congr. Conc. respondit, quoad iam egressos, non esse molestandos, et consulant conscientiis suis; quoad commorantes de praesenti, qui votum emiserunt, indigere dispensatione; quoad noviter ingressuros, serventur constitutiones an. 1605. circa propositum perpetuo perseverandi.*

346. Zambonius verbo *Regularis art. 8. tom. V. pag. 230.* hanc ipsam causam per extensum affert, veluti sequitur: Cum simplici perseverantiae proposito, certisque regulis, et constitutionibus instituta fuit in Urbe saecularis congregatio clericorum doctrinae christianae, iuxta quas liberum et arbitrarium est profitentibus perseverantiae votum emittere, ac liber et arbitrarius est recessus

professorum. Novem ex 56 Patribus in unum congregati ediderunt decretum, votum perseverantiae debere esse Summo Pontifici reservatum, ac id confirmavit alia congregatio 14. Patrum ex 68. de familia, necnon obtinuerunt hi Breve Gregorii XV. Pont. Max. confirmatorium, quo nempe prohibitus fuit in posterum exitus a congregatione, nisi praevia Apostolica dispensatione. Verum breve praedictum demandatum nunquam exsecutioni fuit, ac libere egressi sunt, nulla obtenta dispensatione.

347. Tunc Superiores, aliis Patribus inauditis, reportarunt Breve Summi Pontificis Urbani VIII. ex anno 1627., quo Papa demandavit, ut egressi reputentur fugitivi, et consignentur Superioribus ac puniantur. Ac desuper anno 1699. die 13. Augusti decretum prodiit *non licere amplius egredi a congregatione post emissum votum perseverantiae, nisi in casibus expressis in Brevi Summi Pontificis.* Hoc Breve reliqui Patres esse obreptitium conquesti sunt. Quapropter S. C. die 12. Dec. 1699. sancivit, Breve Gregorii XV. Pont. Max. non esse exsequendum, et audito capitulo, seu Congregatione generali providebitur. Hinc Patres capitulariter congregati convenerunt, egressos non esse molestandos, professos non esse adstringendos ad perpetuam permanentiam, ac ingressuris imponendam esse legem perpetuae permanentiae abrogando contrariam observantiam. Deinde S. Congr. consulta firmavit quoad iam egressos non esse molestandos, et consulant conscientiis suis: quoad commorantes de praesenti, qui votum emiserunt, indigere dispensatione: quo vero ad noviter ingressuros, serventur constitutiones anni 1704. circa propositum perpetuae perseverantiae. *Romana Vot. persev.* 29. Ian. 1701.

348. At nonnullis Patribus nunquam acquiescentibus, quia utile credebant votum perseverantiae, postularunt hi, ut tandem constabiliatur, si utile erit, votum perseverantiae ad conservandam Congregationem; S. Congr. respondit, ut exquiratur votum capituli generalis 4. Aug. 1714. Et coacto capitulo, instantia approbata fuit 23 suffragiis, unico tantum contrario, et S. C. affirmativum iuxta modum dedit responsum 7. Dec. 1715. nempe: *S. C. respondit affirmative pro ingressuris tantum, proindeque censuit, si SSmo D. N. placuerit, dispensationem super dicto voto perseverantiae Sanctitati Suae ac Sum. Rom. Pontifici dumtaxat per suas literas Apostolicas in forma brevis reservari posse, et cum clausula, quod, quatenus egrediantur sine dispensatione, ab exer-*

*citio ss. Ordinum suspensi remanere debeant. (Lib. 65. decret. fol. 483.).*

349. Itaque Monacellus duabus hisce auctoritatibus motus suadet, ut, potius quam vota proprie dicta, propositum in Instituto permanendi emittatur. In hunc proinde sensum subiicit, a S. C. Conc. die 1. Martii 1704. praescriptum fuisse virginibus cuiusdam conservatorii Neapolis, ubi tria consueta vota solvebantur, adeoque hanc votorum formulam eaedem abrogaverunt.

350. A S. Congr. Episc. et Regul. eamdem disciplinam teneri aperte colligitur ex literis 16. Iunii 1772. Vicario Capitulari Ferrarien. perscriptis, itemque ex Rescripto dato Episcopo *Nanneten.* 17. Febr. 1710. et literis Episcopo *Recineten.* 20. Martii 1732. Neque secus hodie apud eamdem S. C. ex instituto obtinet. Nam in opusculo *Method. etc.* Anim. ad constit. *Soror. famul. paup. Marianopol.* 25. Apr. 1860. §. *8. pag. 12.* edicebatur: *Vota perpetua in huiusmodi Congreg. emittenda a Romano Pontifice dumtaxat dispensantur.* Et in Anim. ad constit. *Soror. a Praesentat. Albien.* 23. Iulii 1860. §. *11. pag. 19 loc. cit.* legitur: *Firma remanere debet in constitutionibus dispositio, qua votorum perpetuorum dispensatio reservata legitur S. Sedi.*

351. Hisce illud maximi momenti additur, quod Bened. XIV. in Constitutione *Convocatis* VII. kal. Nov. 1749. Poenitentiariis directa, ubi amplissimas iisdem facultates concedit, vetat commutare vota tertio praeiudicium inferentia §. *32.*: « denique, quoad » vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in » quibus agitur de praeiudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet » ad vota quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia emitti » solita in aliqua Congregatione vel communitate, et in vota obli» gatoria a tertio acceptata non se ingerant. » Iamvero si huiusmodi potestas S. Poenitentiariae minime inhaereat, multo minus Episcopis inesse dicenda est.

352. Denique in confirmationem afferri potest declaratio Sacrae Congr. Episc. et Regul. anni 1840., quam exponendam suscipimus. Moniales SSmi Redemptoris in quadam ditione anno 1835. a Summo Pontifice obtinuerant, *ut, licet vota simplicia emittere cogantur* (nempe a potestate laica) *moniales, de quibus in precibus, gaudeant tamen indulgentiis ac privilegiis ab Apostolica Sede concessis monialibus solemnem professionem emittentibus in Ordine SSmi Redemptoris, salvo semper iure Ordinarii.*

353. Itaque P. Vicarius Generalis SSmi Redemptoris a S. Congregatione praeter alia, expostulavit: *Ut sibi benigne dare velit facultatem dispensandi in votis, si necessitas esset ad securitatem conscientiae, et facultatem suscipiendi vota in articulo mortis.* Nam ceteroquin laica potestas nonnisi vota simplicia easdem profiteri sinebat. Insuper in ea regione ea obtinuerat opinio, quod Episcopis eadem vota dispensandi facultas inesset. Sed enimvero perpendebatur in iure, votum seu iuramentum permanendi in aliqua Congregatione iuxta doctrinam Syri aliorumque doctorum ita Apostolicae Sedi reservatum esse, ut ab ea dumtaxat dispensatio concedi queat. Afferebantur exempla monialium Galliae et Belgii, quibus Apostolica Sedes dispensationem circa votum paupertatis elargita fuerat.

354. Qua de re in plenis comitiis diei 20. Sept. 1840. dubium propositum fuit: *An et quomodo respondendum sit circa primum precum articulum Vicarii Generalis SSmi Redemptoris in ditione N. N.?* (qui articulus ille erat, quem superius ipsis verbis exscripsimus). Emi Patres rescripserunt: *Affirmative iuxta modum, nempe relate ad vota dentur facultates Nuntio Apostolico ad quinquennium cum solitis clausulis, ut in casibus particularibus, legitima concurrente causa, dispensare possit, commissa executione Vicario Generali, et ad mentem; mens est, ut R. P. D. Nuntius pro sua prudentia, data opportunitate, qualis profecto foret circumstantia novi monasterii erigendi in loco N. N., significet Episcopis* (dictae ditionis) *talium dispensationum abnormitatem, utpote quae S. Sedi reservatae sunt. Quo vero ad professionem in articulo mortis, affirmative ad formam Constit. S. Pii V.*

Haud inopportune hic adnotandum est, quod, si de Galliis agatur, discrimen poni debeat inter sacras virgines, quae antiquis monasteriis ante Gallicam perturbationem exstantibus adscriptae sunt, atque eas, quae Institutis nomen dederunt posthac de novo erectis, ac tam mirifice cum ubique, tum illic nominatim propagatis, veluti superius enarravimus.

Iamvero ad unas quod attinet, quamvis in vim suae institutionis solemnia vota profiteri deberent, prout fit in aliis regionibus, nihilominus Apostolica Sedes, rebus sic stantibus, earum vota simplicia tantum esse pluries declaravit; atque insuper edixit, Ordinarium, data ratione sufficienti, posse dispensare super votis in illis monasteriis emissis, voto perpetuae castitatis

remanente. Quocirca ea, quae hactenus diximus, ad sacras virgines novellis hisce Institutis addictas solummodo redigi unusquisque videt. In quo insuper notandum est, quod super voto simplici perpetuae castitatis non conceditur a S. C. absoluta dispensatio, sed dumtaxat commutatio cum dispensatione mixta, ea praesertim conditione quod si mulier viro suo supervixerit, alias nuptias amplius minime inire possit absque nova S. Sedis commutatione.

### Art. IV. De suprema Antistita, eiusque consilio, necnon de aliis Antistitis inferioribus.

Summarium. 355. Supremae Antistitae constitutio in Institutis simplicia vota emittentibus nonnisi multa adhibita maturitate a S. Congr. Episc. et Regul. adoptata est. – 356. Quibus rationibus praecipue innixa S. C. assensa est. – 357. Nulla difficultas oritur, cum Institutum in una domo consistit. Aliter si propagatum fuerit in plures dioeceses. – 358. Periculum enim est, ne iurisdictio Episcopi ex supremae Antistitae potestate laedatur: unde dissidia possunt oriri; veluti reapse orta sunt in *Andegaven.*, et in *Monacen. Frisingen.* – 359. Rationes, quae militant pro admissione unius supremae Antistitae, et quae contra. – 360. Sed praevaluere rationes pro admissione. – 361. Qua ratione incommodis ex una suprema Antistita profectis consulatur. – 362. S. Congreg. non amplius haesitat in huiusmodi supremis Antistitis admittendis. – 363. Quando institutum in duo regna propagatur, facile enascitur desiderium obtinendi unam Generalissam pro quolibet regno. – 364. Difficultates contra huiusmodi separationem; – 365. quae tamen facile evitari queunt. – 366. 367. Itaque S. Cong. separationem cum diversa Generalissa adoptare non dubitavit. – 368. Quid tamen ante praecavendum censuerit. – 369. 370. Quaeritur, an conducentius sit perpetuum vel temporaneum Generalissae officium. Rationes pro perpetuitate, et rationes contra. – 371. Laudatur c. m. Card. Recanati. – 372. De triplici methodo peragendi electionem Generalissae. – 373. Speciales constitutiones de suprema Antistita, et adsistentium consilio pro instituto vulgo delle *canossiane* per extensum ex. gr. referuntur. – 374. Superiorissa septennio durat. Peculiaria quaedam de officio superiorissae ex diversis institutis. Vide notam. – 375. Consilium ex quatuor adsistentibus coalescit. – 376. Superiorissae habent sororem unam secretariam, et aliam cancellariam. – 377. Sororis cancellariae munus, quale sit. – 378. Superiorissa in arduis negotiis adsistentium consilium convocat. Peculiaria quaedam ex aliis institutis. Vide notam. – 379. Quibus in casibus speciatim adsistentes voto deliberativo gaudeant?

Quibus etiam gaudeant adsistentes aliorum institutorum. Videsis subiectam notam. – 380. 381. De Antistitae potestate visitandi domos. – 382. ad 386. Quid visitandae, quid visitatrix servare debeant ante visitationem, eaque durante. – 387. Quae decreta facere debeat visitatrix. Peculiaria quaedam de aliquibus institutis. Vide notam. – 388. Voto Episcopi visitatrix obsequi curet, si alicuius sororis translationem petat. – 389. Translationes sororum sine gravi causa non fiant, et significentur Episcopo locali. – 390. Generalissa, audito consilio, nominat Superiorissas locales, ubi ob parvum numerum electio fieri non potest. Superiorissae locales electae a Generalissa confirmantur. De Superiorissis localibus aliorum institutorum. Vide notam. – 391. Generalissa aliquando Superiorissarum localium potestatem prorogat. – 392. Supellectilem domesticam, vitaeque usum a constitutionibus praescriptum quando, et quomodo eadem immutare possit. – 393. Quid pro novis domibus fundandis servare debeat. – 394. Locali Episcopo non subiicitur, sed obedit Card. Protectori. – 395. Generalissae munus incompatibile est cum munere Superiorissae localis. – 396. Praeterquam in domo, ubi eadem residet. – 397. Suporiorissae locales Generalissam consulant, et edoceant de statu domus sibi subiectae. – 398. Quaelibet domus Generalissae certam pensionem solvat. – 399. Quomodo electio Generalissae et adsistentium peragi debeat. – 400. Electio fiat per schedulas. – 401. Protector eligibilium notam proponere poterit. De ratione electionis peragendae in aliis institutis. Vide notam. – 402. 403. Generalissa 40 annos aetatis, 10 professionis habeat, et adsistentes 30 aetatis, 8 professionis habeant, data Protectori facultate dispensandi. – 404. Quae activa voce gaudeant. – 405. Generalissa de exspiratione sui officii praemoneat Protectorem. – 406. Protector Generalissam noviter electam de electione certiorem faciat. – 407. Generalissa singulis domibus suam electionem significet. – 408. Itemque Episcopis, ubi adsunt domus. – 409. Quid si Generalissa moriatur. – 410. Quid si moriatur aliqua ex adsistentibus. – 411. S. C. non concedit Superiorissas provinciales. – 412. Bene vero Vicarias provinciales, – 413. vel dioecesanas. – 414. Quaedam adsunt instituta mixtae naturae. – 415. Quorum exempla adducuntur. – 416. In his tantummodo Superiorem generalem Sac. Congr. tribuere solet.

355. Pia haec, de quibus agimus, Instituta ex maxima parte huiusmodi naturae sunt, ut ad religiosas domos non modo in iisdem provinciis et regnis, sed et in exteris dissitisque regionibus propagandas feliciter tendant. Cumque identidem compluribus Institutis tam faustum divina miseratione incrementum contigisset, inde factum est, ut de generali ac suprema Antistita cogitaretur, cuius nutu et auctoritate singulae domus, veluti mem-

bra unius corporis ab uno capite motum ac moderamen accipiant. Cum tamen primum hoc fere ineunte saeculo apud S. C. Episc. et Regul. de huiusmodi Institutorum approbatione frequentius agi coeptum fuit, et peculiariter in consultationem quaestio vocata est, an supremam hanc universi Instituti Moderatricem et praesidem expediret instituere, cunctari et haerere diutius Emi Patres, nec nisi perlonga adhibita experientia, prudentique maturitate aliquod capere consilium visi sunt.

356. Aliquam boni exitus spem profecto suppeditabant supremi Regularium Moderatores, qui non sine maxima utilitate in omnibus Ordinibus singulas, quibus coalescunt, religiosas domos uno sub imperio regunt atque administrant. At vero non leve discrimen existebat ex eo, quod feminae incapaces omnino sunt illius spiritualis iurisdictionis, quam Praesules regulares rite possunt exercere, et reapse quidem exercent. Haec difficultas tamen haud difficili negotio superabatur, cum animadverteretur, facultatem in iurisdictione spirituali sitam distingui prorsus a potestate in mera dominatione et imperio posita, qua membrum unumquodvis, ut unum morale corpus existat, suo capiti subditum est, eique parere compellitur, prout paulo superius ex auctoritate interpretum sacrorum canonum constituimus. Quae porro distinctio in *Cap. 12.* Dilecta *de mai. et ob.* fundamentum locupletissimum habere compertum est. Cum enim Abbatissa de Bubrigen. canonicos et clericos sibi subiectos ob quamdam culpam officio et beneficio suspendisset, eaque suspensio ob eius incapacitatem ferendi censuras contemneretur, et apud Pontificem Honorium III. uti nulla traduceretur, idem Pontifex tantummodo respondit, canonicos et clericos Abbatissae obedientiam et obsequium impendere teneri, eiusque mandata observare; itaque Summus Pontifex Abbati S. Michaelis commisit, ut in reos ecclesiastica censura animadverteret, si Abbatissae obtemperare detrectassent.

In confirmationem accedebat exemplum Superiorissae Ordinis Fontebraldensis, quae, teste Bened. XIV. Constit. *Quamvis iusto* §. *17.*, amplam quamdam iurisdictionem in subditas exercebat, et ab ordinaria Episcopi auctoritate erat exempta: item aderat exemplum Abbatissae Burgensis in Hispania, quae, eodem referente Pontifice *loc. cit.*, capitulum generale in ipsa civitate Burgensi singulis annis celebrare solita erat, et in plura monasteria Castellae et Legionis suam iurisdictionem explicabat.

357. Si religiosae Instituti domus extra limites unius dioecesis dissitae non sint, nulla difficultas ac nullum impedimentum ex Generalissae potestate inferetur iurisdictioni Episcopi, qui pro omnimoda auctoritate, quam retinet super omnibus Instituti eiusdem domibus, libere iura sua episcopalia etiam super Generalissae personam poterit exerere. Si tamen secus se res habeat, idest, si religiosae domus extra dioecesim propagatae sint, adeoque non uni tantum pareant Episcopo, maximum periculum subest, ne multis ac magnis incommodis aditus in iurisdictione episcopali explicanda aperiatur. In hoc rerum statu non sine magna ponderatione apud S. C. Episc. et Regul. controversia disceptabatur, an, posthabita etiam difficultate, quod mulier iurisdictionis incapax sit, expediret necne Superiorissam generalem constituere. Utque magis certum iudicium, ac tuta definitio emergeret, altior ac penitior inquisitio in genere ponebatur, an satius esset, singulas domus in unum corpus redigere atque coniungere, aut potius unam domum ab altera seiunctam considerare (prout accidit de monasteriis votorum solemnium) aut saltem tot ex iis domibus corpora constituere, quot sunt dioeceses, in quibus religiosae domus reperiuntur. Contra primam partem, in qua pro corporis unitate pugnatur, haec, quae sequuntur, momenta rationum occurrunt.

358. – 1. Generale totius Instituti regimen uni personae concreditum exerceri non potest, quin Episcoporum localium auctoritati aliquod vulnus inferatur: hinc certamina, lites, et pacis perturbatio. Hunc metum solidis e causis exoriri confirmant plurimae controversiae, quae inter Generalissas et Episcopos locorum non raro apud S. C. agitatae sunt. Ita profecto contigit, ut aliqua afferam exempla, in Instituto a Bono Pastore nuncupato, ceu patet ex *Andegaven. Inst. fil. B. M. V. a Bono Pastore* 28. Februarii 1845.; item inter Generalissam Instituti pauperum sororum N. D. et Archiepiscopum Monacensem, ut ex *Monacen. Frisingen.* in conventu particulari diei 11. Decembr. anni 1853. et 5. Iunii 1859., ac tandem inter Generalissam Instituti nuncupati *piccole suore de' poveri* inter Parisiensem Archiepiscopum, et illius Instituti Superiorem, qui utpote Instituti fundator, Generalissae potestatem ab eo in constitutionibus praestitutam enixe tuebatur, veluti constat ex *Rhedonen.* 16. Iunii 1854. 2. Generalissa auctoritati illius Episcopi subiicietur, in cuius dioecesi

sedem habet, aut non; si primum, illud facillime usuvenit, ut Episcopus idem in religiosas domus alienarum dioecesum sese immisceat, quod cum sacrorum canonum sanctionibus adversatur, tum Episcoporum localium potestati libere exercendae impedimentum ponit, adeoque amplior et latior patescit via dissidiis, quae modo indigitavimus. Si alterum, videlicet, si ab Episcopi auctoritate eximetur, tum alterius generis incommoda metuenda sunt. Aut enim suis ipsa nisa consiliis nullius dicto audientem se praebet, et, hoc posito, ob naturalem sexus feminei levitatem vanitatemque periculum est, ne ab omni vento non sine ingenti totius communitatis damno circumferatur: si alterius consilio sese duci ipsa patiatur, non raro fieri poterit, ut aliquis eiusdem imbecillitate ad communem perniciem abutatur. Deinde si quid forte Generalissa peccaverit (peccare siquidem absque ope divina humanum est), et in eam animadvertendum sit, non erit Superior, qui de eiusdem peccato iudicet, iustamque exigat poenam. 3. Tandem permulta, eademque gravissima manabunt incommoda ex actu electionis ipsius Generalissae, quando eidem locus fiet; cum enim eadem sine consensu sororum perfici nequeat, necesse erit, ut, quoties eadem eligenda sit, sorores longo plerumque itineri sese accingant non sine maximo sumptu, non sine periculis omnigenis, non sine detrimento inevitabili peculiarium domorum, quae sine sororibus remanebunt. Huiusmodi itinerum pericula existent itidem, quotiescumque sorores de una ad aliam domum transferantur.

359. Pro unitate corporis constituenda hae militant rationes: 1. Quaevis Congregatio, quae de sui natura eo tendit, ut undequaque diffundatur, necessitatem secum fert, ut quoddam veluti caput contrastabilitum habeat, cuius nutu singula membra moveri ordinarique valeant. 2. Si forte in aliqua domo disciplinae robur enervetur, difficillime instaurari ac refici poterit. Episcopi enim tot tantisque episcopalis ministerii curis districti neque tempus, neque idoneitatem specialibus domorum malis medendis praeseferre fortasse valent. At, posita unitate, Generalissa facile disciplinae relaxationi obicem opponet, et si qua soror sanctitatem suae professionis paullum oblita fuerit, principiis obstans tempestivam praebebit medicinam, idque facile assequetur, praesertim si de una ad aliam domum sororem nutantem transtulerit. 3. In magno sororum numero saepissime accidit, ut sorores uni alte-

rique ministerio suopte ingenio magis aptae ac compositae abundent in una domo, atque in altera deficiant, et sic viceversa. At posita unitate corporis, Generalissa sine damno unius domus et cum alterius lucro conferet uni, quod alteri deest; itaque omnium partium necessitati salubriter providebit. 4. Tandem experientia, vitae magistra, docuit, in iis Institutis, quibus huiusmodi supremae Antistitae ministerium invectum est, rectissimo ordine magnaque cum utilitate cuncta facile procedere; quapropter ex iis normam sumere licebit, ut quod probum, rectum, ac salubriter experimento compertum est, plenis ulnis excipiatur; quod vero incommodum, perniciosum et inutile perspectum fuerit, resecetur et abiiciatur.

360. Libratis utrimque rationibus, iudicatum est, maiorem incommodorum copiam exsurgere, si domorum separatio ponatur, quam si earumdem coniunctioni locus fiat; et ceteroquin incommodis, quae ex unitate profluunt, facile ac paratum erat remedium. Namque S. Congr. Episc. et Regul. inhaerendo vestigiis Bened. XIV. Constit. *Quamvis iusto* §. *17. in fin.* Superiorissarum facultates ad res parvi momenti coercuit: insuper constituit, nullam quantumvis parvam facultatem ab iis exerceri debere sine subsequa ordinaria auctoritate illorum Praesulum, in quorum dioecesibus existunt Instituti domus. Omnes enim, et singulae, ut dictum est, ordinariae eorumdem Praesulum iurisdictioni immediate subiectae sunt. Quae vero speciatim facultates eaedem sint, habetur ex dicta Constit. *a* §. *16. ad* §. *24.* (Vide vol. III. n. 58.).

361. Si quid vero supersit, quod Superiorissae iudicio ita reservatum sit, ut Episcopis nulla in eo pars relinquatur et relinqui possit; insuper si forte, quod absit, in eam animadvertere contingat, consultissime provisum est per Cardinalem Protectorem, qui istiusmodi Institutis ex Summi Pontificis benignitate dari consuescit; de quo separato articulo erit dicendi locus. Quoniam vero Cardinalis Protector penes eam coram adesse nequit, ut eiusdem auctoritati, statim ac opus sit, moderamen iniiciat, salubri consilio in more positum est, ut eidem adsciscatur quarumdam sororum consilium, quae votum consultativum, et in certis casibus etiam deliberativum obtineant. De qua re item paulo inferius in hoc ipso articulo loquendum erit. Hisce igitur fulcita praesidiis, hisque limitibus circumclusa Moderatrix generalis sine perturbationis ullius periculo Instituti gubernaculum rectissime

geret, eiusque statui prosperitatem et incrementum in dies magis ac magis acquiret.

362. Quae cum ita sint, S. Congregatio non amplius anceps haesitavit, ut Superiorissarum institutionem sua sanctione confirmaret; et sane in *Veronen. et Venet. An expediat const. sup. gen.* 24. Mart. 1848., cum Institutum Filiarum charitatis a Marchionissa de Canossa *canossiane* nuncup. maximum, Deo benedicente, incrementum accepisset, adeoque a S. C. suppliciter exquireretur: « An et quomodo Generalis Superiorissa Filiarum charitatis concedenda sit » S. C. dicta die respondit: « Affirma» tive iuxta votum Consultoris. » Cumque ob insecutas calamitates publicas hoc decretum exsecutioni demandatum non fuisset, ac posthac anno 1855. sororibus singularum domorum in diversa abeuntibus, penes ipsam S. C. exquireretur: « An et quomodo » exsequendum sit decretum huiusce S. Cong. diei 8. Iunii (edi» tum iuxta resol. diei 24. Mart.) in ea parte, quae ad Genera» lissam attinet in casu? » S. C. 14. Decemb. 1855. respondit: « Dilata, et ad mentem; et mens est, ut Emus Protector pro » sua prudentia sorores audiendas curet de convenientia et uti» litate creandi Generalem Superiorissam in earum Instituto ad » formam appendicis constitutionibus adiunctae (1). » Nec satis est; si quando ab Episcopis iniustas in hanc rem querelas accepit, nullimode facilem praebuit aurem, ut in *Andegaven. inst. fil. B. M. T. de Bon. Past.* 28. Febr. 1845., in qua proposito primo dubio: « An institutio generalatus in congregatione Boni Pastoris » annullanda sit, » S. Congr. respondit: « Negative ». Recentiori tempore S. Congr. non amplius difficilem sese praebuit in Superiorissis Generalibus admittendis; et in approbandis constitutionibus istiusmodi Institutorum pro constanti regula illud receptum habuit, ut nunquam sineret, ne ampla nimis et absoluta supremae Antistitae auctoritas relinqueretur, ita ut generale consilium certi numeri sororum adhibere teneretur, quod passim videre est in opusculo *Methodus* etc.

363. Haud raro accidit, ut alicuius Instituti domus extra regnum, in quo exortum est, apud exteras gentes diffundatur, et

(1) Huiusmodi causa non amplius proposita adhuc iterum fuit in plenario auditorio: nec quoad sciam, ulterius aliquod temperamentum extra generalia comitia captum fuit.

incrementum obtineat: ex quo ob impedimenta, quae quandoque civiles leges apponant, vel ob morum et ingeniorum diversitatem Generalissa illius regni vel difficile nimis, vel omnino non possit suam iurisdictionem in religiosas externae gentis domos exserere; utriusque rei exemplum adiicio. Et primo quidem, veluti nemo ignorat, antequam pientissimus Imperator Franciscus Iosephus II. Austriacus celebratissimam cum Apostolica Sede conventionem iniret, instituta Imperii a moderatoribus exterarum nationum pendere prohibebantur. Secundo, Gallicae nationis ingenium et mores in aliquibus plurimum ab ingenio et moribus Italorum differunt, itemque a natura et habitibus Anglorum discriminantur. Hisce in casibus ad controversias, quas non semel excitatas fuisse, experientia constat, de medio tollendas, unaque ad rationem ineundam, qua huic necessitati recte stabiliterque consultum foret, S. Congregationi supplices preces oblatae sunt, ut altera Generalissa crearetur, quae omnibus exterae huiusce gentis domibus praeesset.

364. Huiusmodi precibus excipiendis id obstare videbatur, quod abnorme sit, ac praeterea periculosum uni eidemque corpori duo capita praeficere. Hinc ecclesiastica disciplina a duplicata huiusmodi auctoritate in quibusvis hierarchiae gradibus prorsus abhorret, ac peculiariter, si agatur de Ordinibus regularibus. Exemplo sint Fratres a S. Francisco, sive Minores Reformati, sive Observantes, qui licet uni ab alteris distincti sint, uno tamen communique Administro generali uti consuescunt. Ultimis hisce temporibus Fratres scholarum christianarum, qui in ditione Pontificia sunt, a Fratribus, qui in Galliis exstant, separati fuerunt; Fratribus autem ditionis Pontificiae alter Generalis denegatus est, sed tantummodo permissum, ut a Generali in Gallia commorante seligeretur Vicarius Generalis, cui ab ipso eaedem facultates delegarentur, quae statutae leguntur in decreto S. C. diei 13. Nov. 1855. Idem actum est circa Sodales a SSmo Redemptore, quos instituit D. Alphonsus de Liguori: cum enim sodales transalpini a cisalpinis seiuncti fuissent, insimul sancitum est, ut a Rectore Generalis Vicarius eligeretur et aliquibus facultatibus instrueretur, ab eoque in pluribus rebus dependeret, ut ex decreto S. Congr. diei 2. Iul. 1841. Item in Animadv. ad constit. *pauper. soror. Monacen. et Frisingen.* 1858. §. 5. *in fin. pag. 8.* citati opusc. *Methodus* etc. edicebatur, quod *Vicariatus*

*transmarinus proprie dictus unitatem Instituti ferire, ac progressu temporis divisionem eiusdem Instituti possit in discrimen adducere.*

365. Contra perpendi potest, omnem absurditatem et periculum procul esse, si altera Generalissa instituatur, quando domus, quae uni obtemperant, seiunctae ac distinctae sint a domibus alteri obnoxiis. Exemplum duplicis huiusmodi Superiorissae in uno eodemque Instituto praebet Bened. XIV. in Constit. *Quamvis iusto,* qui apud virgines Anglicanas duas extitisse Superiorissas testatur, una, quae in civitate Bavarica Monachiensi, altera, quae in civitate Austriaca S. Hyppoliti sedem habebat. Aliud idem Pontifex affert exemplum in ipsa ditione Pontificia, ubi magistrarum piarum Institutum a cl. m. Barbadico Episcopo Montisfalisci fundatum efflorescit: in quo ad quasdam controversias, quae in duas partes exortae erant, exstinguendas, salubriter statutum est, ut utraque pars propriam sibi Generalissam eligeret, cui obedientiam praestaret; quae duae Superiorissae, dum unum idemque opus urgent, nullum detrimentum Congregationi pariunt.

366. Itaque S. Congr. secundae huic parti adhaerens, cum domus Instituti nuncupati *Filiae charitatis,* ab urbe Vesuntina ortum ducentes, in Italiam propagatae fuissent, ubi mirifice excreverunt, cumque domus Italicae (in Austriaco imperio comprehensae) a S. C. expostulassent, ut sibi daretur facultas Generalem Superiorissam creandi ab ea, quae in Galliis erat, distinctam, quandoquidem Austriaci Imperii leges impedimento erant, ne eius mandatis facile parere possent, die 15. Ianuarii 1855. *in Brixien. Sup. facult. crean. sup. gener.* dubium propositum est: « An et quomodo oratricibus facultas impertienda sit creandi Su» periorissam Generalem ad normam supplicis libelli? » S. Cong. rescripsit: « Affirmative ad normam constitutionum pro Sororibus » Vesuntinis, salva iurisdictione respectivorum Ordinariorum iuxta » Constit s. m. Bened. XIV. *Quamvis iusto.* »

367. Cuius causae cum inciderit mentio, monere non omittimus ea, quae modo disseruimus, ex maxima parte nos excerpsisse ex Consultatione Emis Patribus distributa, quam pro eo, quo in S. C. fungimur, munere non sine aliquo labore elucubrare debuimus.

368. Animadvertendum est, S. C. in hisce casibus summa prudentia uti solere, et nullam innovationem approbare, nisi

prius et sorores uniuscuiusque domus capitulariter auditae sint, et Episcopi locales de sua sententia fuerint rogati: id porro praestitum est in memorata *Brixien.*, itemque in *Lugdunen.* et *Taurinen. Sup. cong. soror. a S. Joseph. nunc.* 13. Iun. 1845., in qua petitum fuerat, ut sorores domorum Italicarum a Galliis seiungerentur, itemque a Generalissae Galliarum auctoritate subtraherentur: cui petitioni annuit S. Congr. Quamvis autem talis sit S. Congregationis disciplina, nihilominus eae nonnunquam in aliquo particulari casu circumstantiae intercedunt, quae a generali regula ob commune alicuius Instituti bonum deflectere suadeant: quod enimvero accidit in eadem *Taurinen.*, de qua modo mentionem fecimus. Cum enim quaereretur, an Superiorissam generalem pro omnibus Italiae domibus eligere liceret, seu potius tot Generalissas, quot erant dioeceses, ubi domus religiosae reperiebantur, S. C., quoniam deprehenderat, non modo omnes fere domos sententiam uni supremae Generalissae adversam edidisse, sed et Episcopos aut omnino obsistere, aut circa modum dissentiri, in unaquaque dioecesi Superiorissam constituendam censuit, quae singulis eiusdem dioeceseos domibus praeficeretur.

369. Eliminatis quibusque difficultatibus, quae contra supremae Moderatricis constitutionem opponebantur, altera quaestio subsequebatur, an conducibilius sit, eidem Generalissae perpetuum imperium, nempe quoad vixerit, seu potius temporaneum per quinque, per sex, aut plures annos attribuere. Pro perpetuitate militat argumentum ab episcopali ministerio deductum aliisque ecclesiasticis officiis, quae ex disciplina Ecclesiae toto vitae tempore perdurant. Insuper nonnemo videt, hominem sarcina supremi regiminis oneratum, qui ad maiorem sui Ordinis utilitatem recta salubriaque consilia inire velit, et ad maturitatem quodammodo perducere, congruenti adeoque, ut plurimum, perlongo annorum spatio indigere; sed si non multo post tempore ab officio sese abiturum mente perpendat, animo cadit, neque audet manus operi admovere. Praeterea ea est hominum natura, ut, qui succedit, ea damnare ac destruere aveat, quae suus decessor suscipere ac exstruere exorsus sit. Denique actus electionis novi Superioris frequentissime repetitus animorum aestum accendit, discordias fovet, ac tranquillitatem communem saepenumero perturbat, veluti ordinarie solet accidere, ubi civile regimen formam democraticam praesefert. Iamvero huiusmodi

incommoda facile est declinare ac removere, si supremorum magistratuum imperia perpetuitate nitantur.

370. Quamquam dissimulari non debeat, ex officiorum perpetuitate alterius generis incommoda proficisci. Nam si electio in virum cadit, qui idoneitate necessaria minime polleat, nullus erit remedio locus: ideoque fiet, ut suprema auctoritas ab homine inepto non sine maxima pernicie geratur, cum ceteroquin fortasse non desit unus, vel plures, qui idonei perspiciuntur, ut instituti gubernaculum sapienter gerant, ac provide moderentur. Hinc est, ut quamvis praesto sint exempla, quibus Generalissae officium perpetuum est, ut in instituto, vulgo *le dame del S. Cuore*, et in alio *Ancillarum charitatis* Brixiae fundato, aliisque paucis, frequentius tamen id officium ad certos annos coercetur. Neque autem immerito: nam, quando officia certo tempore praeterlapso desinunt, et Generalissa officii bene gesti documenta praebuit, nihil vetat, quominus iterum confirmari possit; aut si aliter se res habet, opus non est, ut in eo munere confirmetur, adeoque in sororem, quae magis idonea dignoscatur, auctoritas suprema transfertur. Praeterea spes huiusmodi confirmationis incitamento erit, ut Superiorissa in officio constituta omni diligentia et sedulitate suis muneribus perfungi satagat.

371. Haec, quae attulimus, doctissimo debemus S. C. Consultori R. P. D. Iusto Recanati e capulatorum Franciscalium familia, qui a SSmo D. N. in Patrum purpuratorum collegium cooptari meruit. Multa porro, omniaque consultissima in hoc praesertim genere Eminentissimus ille vir vota elucubravit, quae nobis non parum luminis praebuerunt, adeoque debita laude eiusdem memoriam fraudare nolumus. Quod vero ad argumentum, quod modo versamus, attinet, pro temporanea supremi regiminis duratione stetit idem Consultor in voto ad *Taurinen. Sup. app. inst. et const. a S. Anna*, in eiusque sententiam S. C. descendens officium generalis illius instituti Moderatricis ad sex annos coercitum voluit, facta potestate, ut iterum, nisi speciales circumstantiae aliter suadeant, eadem persona in suo posset officio confirmari.

372. Post haec non erit abs re nonnulla promere, quae ad gravissimum electionis actum referuntur. Iam vero super hac re in consultatione causae *Brixien. Super facultate creandi super.* 15. Iun. 1855. §. *penultima* haec, quae sequuntur, in latinum

idioma conversa legebantur: « Triplex est ratio, quae ordinarie » adoptari solet apud huiusmodi mulierum instituta in generalis » Superiorissae electione peragenda. Prima ea est, qua sorores » omnes, quae vocem activam obtinent, coram ad capitulum sese » sistant: altera ea est, qua una, vel duae ab unaquaque domo » deputantur electrices, quae domus delegantis vocem ferunt: ter- » tia tandem in eo consistit, ut singulae sorores, quae activa » voce gaudeant, per schedulas suffragium edant: schedulae au- » tem vel ad domum primariam mitti solent, vel ad Emum Pro- » tectorem, quando adsit: si primum, loci Episcopus schedulas » aperit, si alterum, idem Cardinalis Protector. Quisque uno videt » intuitu, primam rationem, et partim etiam alteram incommo- » dum secum ferre, ut mulieres non sine periculo, sumptibus » et molestia longo se dedant itineri. Expeditior certe et com- » modior tertia accidit ratio: et sane, inter tot instituta, quorum » constitutiones consulere datum est, illud deprehendi, rarissima » occurrere primae rationis exempla, rara alterius, frequentissi- » ma et recentiora reperiri exempla tertiae rationis. » Itaque in memorata *Brixien.* in responso ad secundum dubium Emi Patres diserte praescripserunt, *electiones fieri per schedas sub dependentia Ordinarii Brixien.*

373. S. C. Consultor, quem superius laudavi, in alio consultissimo voto, quod elaboravit in causa *Veronen. et Venet. An expediat constituere Superioris. gen.* 24. Mart. 1848., appendicem constitutionibus instituti vulgo *delle canossiane* a s. m. Leone XII. approbatis addendam conscripsit iis insistens, quae iam in instituto Taurinensi a S. Anna iuxta suam sententiam comprobata fuerunt: quam appendicem secundum animadversiones a Card. Monico Patriarcha propositas emendatam S. Congr. approbavit. In ea praeter titulum primum, qui pauca generalia attingit, alii tres tituli insequuntur, in quorum uno de Superiorissa generali eiusque adsistentibus, in altero de Cardinali Protectore, in ultimo de electione Superiorissae generalis et adsistentium optimae leges constituuntur. Altero parumper seposito de Cardinali Protectore, quem suo loco referemus, primum et ultimum ex memoratis titulis latine versum suis verbis hic exhibere non arbitramur abs re, quippe normam in similibus circumstantiis inde sumere licebit: praeterea, cum ibi de Superiorissae consilio ac de Antistitis inferioribus cuique domui praepositis plene ac di-

ligenter agatur, huic parti satis nos fecisse putabimus, simul ac titulos ad eas pertinentes referamus.

### *De Superiorissa generali eiusque adsistentibus.*

(Ex appendice ad constit. *Filiarum charitatis* (Canossianae) a S. C. Ep. et Reg. approbata).

374. « 1. Superiorissa generalis per sexennium in suo officio » perdurat. Nihil attamen vetat, quominus, sexennio exspirato » iterum eligi possit (1).

375. » 2. Superiorissae generali in Congregationis regimine » quatuor adsistentes veluti coadiutrices adscitae sunt. Earum » officium ad sex annos extenditur, at vero possunt iterum eligi. » Cessat earum officium, quotiescumque cessat ea, cui adscitae » sunt, Superiorissa generalis.

376. » 3. Superiorissa generalis pro suo arbitrio, cum primum » proprium init ministerium, sororem eligit, quae secretariam » et cancellariam totius gesti regiminis agat ac referat.

377. » 4. Cancellaria in apposito libro omnes regiminis gesti » actus adnotat; suo nomine describit deliberationes, iussa, de- » creta et licentias generalis congregationis, custodit ac servat: » Superiorissam occasione visitationis comitatur.

378. » 5. Assistentes in consilio sedent ordine maioris in in- » stituto antiquitatis servato, Superiorissa consilium suum con-

---

(1) In Animad. *Const. sor. Paup. Monac. Frising.* 1858. permittitur, ut Generalissa, exacto primo sexennio, in suo munere in perpetuum confirmari possit. Vide opusc. *Meth. etc.* p. 8. Id non permittitur de quatuor adsistentibus, quae quolibet sexennio renovandae sunt. In Animad. ad *Const. sor. a S. Iosepho Burgen. 6. Iunii 1860.* §. *3. pag. 15. l. c.* advertitur, novam esse et periculi plenam confirmationem Generalissae absque capitulo. Et in Animad. ad *Const. sor. a S. Iosepho* §. *Iun. 1860. Camber.* §. *4. pag. 16. l. c.* indeterminata confirmatio Antistitae generalis effrenata videtur; et additur ita posse coarctari, ut pro tertio ac ulterioribus terminis ab Apostolica Sede dispensatio obtineri possit. In Animad. ad *Const. soror. tertii Ord. Vicen. 24. Sept. 1860.* §. *2. pag. 22. l. c.* absonum esse perpenditur, ut Generalissa ab Episcopo deputetur. Hinc praecipitur, ut capitulum generale constituatur, a quo moderatrix ipsa cum solitis cautelis eligatur. In Animad. ad *Const. sor. mis. Baiocen. 20. Febr. 1860.* §. *15. pag. 23.* confirmatio Generalissae post sexennium fieri nequit sine placito S. Sedis. Idem alibi statuitur, e. g. Animad. ad *Const. sor. Catalaun. 27. Sept. 1861.* §. *4. pag. 28.* Idipsum fit in aliis animadversionibus sequioris aevi, unde colligitur, penes S. C. saltem per haec tempora invaluisse seu praevaluisse disciplinam, ut Generalissa confirmari nequeat a monialibus; ita in Animad. *Inst. NN.* 17. Ian. 1865. §. *3.* Vide *Anal. Iul. 1867. p. 886.*

» vocat in omnibus negotiis, quae aliquam gravitatem praese-
» ferant (1).

379. » 6. Assistentes voti deliberativi iure gaudent in iis, qui
» sequuntur, casibus: 1. In fundatione novarum congregationis
» domorum vel institutorum (vulgo *stabilimenti*). 2. In aliqua
» domo vel instituto (vulgo *stabilimento*) relinquendo. 3. In ex-
» pellenda a congregatione aliqua sorore iam professa, quae in-
» corrigibilis evaserit. 4. In deponenda ab officio iusta ex causa
» aliqua Superiorissa locali, vel Sub-superiorissa, aut novitiarum
» magistra. 5. In statuendis novitiatus domibus. 6. Quando de-
» terminandum sit, an adsit necne necessitas, ut Superiorissa
» generalis ad congregationis domos visitandas ferre se debeat.
» 7. Quando in casu *necessitatis* Sub-superiorissam alio transferre
» deberet (etiamsi ex communitatis suffragio electa fuisset), ut in
» alia domo eligi possit (2). 8. Uni Superiorissae competit ius
» excipiendi postulantes (quae nimirum in institutum admitti
» postulant); nihilominus Superiorissa in casibus particularibus,
» cum praesertim de domibus longinquis agatur, Superiorissam
» localem deputare poterit, ut easdem postulantes excipere ipsa
» valeat. 9. Superiorissa generalis invigilat, ut regulae accura-
» tissime serventur, utque institutum ubicumque suum scopum
» assequatur. Communicat per literas cum omnibus instituti do-
» mibus, itemque cum Episcopis dioeceseon, ubi charitatis Filiae
» commorantur.

---

(1) In Animad. ad *Const. soror. S. Thomae Parisien. 27. Iulii 1860. §. 14. pag. 21.* non probatur, quod adsistentes dispersae sint, et non constituant consilium ordinarium Generalissae, ut communiter fit in aliis institutis. Idem in Anim. ad *Const. sor. Catalaunen. 27. Sept. 1861. §. 10. pag. 28.*

(2) In *Taurinensi S. Annae* instituto iuxta votum eiusdem consultoris c. m. Card. Recanati, sorores in consilium adscitae votum deliberativum obtinent in hisce ipsis casibus hic recensitis. At in instituto *Brixien. Ancill. charitatis*, cuius constitutiones S. C. Episc. et Regul. approbavit anno 1850., sorores consilium constituentes praeter casus hic indicatos, iure pollent voti deliberativi aliis etiam in casibus, nimirum, quando aliqua soror instituto iam egressa iterum ingredi postulat, ut spatium novitiatus diminuatur; cum bona instituti alienanda sint, quae ceteroquin alienatio fieri nequit nisi accedente beneplacito auctoritatis ecclesiasticae ad formam ss. cc. et Constitutionum Apostolicarum; cum agendi ratio, quam Superiorissa sequitur, examinanda sit iuxta *Cap. V. §. 1. Const.*, videlicet si quando destruat potius quam aedificet; denique in omnibus negotiis arduis et gravibus, quibus Superiorissa nolit onus ac periculum in se suscipere alicuius capiendae dispositionis, deque bono eiusdem exitu respondere.

380. » 7. Superiorissa generalis potestatem habet visitandi » omnes domos et Instituta (vulgo *stabilimenti*) ad formam prae- » cedentis paragraphi 6. *num. 6.* Si quando in aliqua domo re- » gularis observantia relaxetur, aut (quod absit) aliquod ingens » incommodum intercidat, eam domum per se visitare teneatur, » aut, si legitimo impedimento districta sit, per sororem ad hoc » deputandam visitationem possit absolvere.

381. » 8. Hisce in casibus domorum etiam, quae in itinere » occurrunt, vel procul non absunt, visitationem adimplet.

382. » 9. Cum ad eam, quae visitari debet, domum perve- » nerit, antequam visitationis initium faciat, Episcopum dioece- » sanum adit obsequium praestitura, ab eoque benedictionem » acceptura.

383. » 10. Praemissis aliquibus rite precibus praehabitoque » familiari ad communitatem insimul congregatam sermone, visi- » tationem aperiat. Dein prosequitur visitationem personalem, in » qua initium ab ultima sorore sumit, et cum locali Superiorissa » terminum facit. Posthac singulas sororum cellas, scholas, offi- » cinas, aliasque domi partes perlustrat. Excipitur ecclesia, quam » visitare unice pertinet ad Episcopum.

384. » 11. Occasione visitationis oeconomicas administrationis » rationes, quae ad domum pertinent, expendit. Hac in re can- » cellariae suae opera uti possit.

385. » 12. Tempore visitationis Superiorissa in scriptis ea de- » creta edere possit, quae pro sua prudentia edere censebit, ut » religiosae communitatis necessitatibus consulat. Omnes visitatio- » nis actus in libro apposito a cancellaria diligenter perscribuntur.

386. » 13. Visitationi finem imponit sermo a Superiorissa » item habendus, in quo opportunas admonitiones sororibus di- » riget. Tandem debitae Deo gratiarum fiunt actiones.

387. » 14. Superiorissa nunquam neque in visitatione, nec » extra visitationem decreta faciet, quae decretis ab Episcopo » editis adversentur (1). Si quando aliqua Episcopi dispositio in-

(1) In pluribus Institutis sancitum est, ut celebretur generale capitulum. Eius utilitas pro gravioribus negotiis pertractandis, ac praesertim pro eligenda persona ad regimen Congregationis idonea, demonstratur in S. Cong. *Animad. sor. a s. Thoma 27. Iul. 1860. Parisien. §. 4. pag. 20. l. c.:* at vero S. C. non sinit, ut eiusdem convocatio arbitrio Generalissae remittatur: debet enim, recurrente certo quodam annorum spatio, veluti quolibet quinquennio, sexennio vel longiori intervallo con-

» opportuna videtur, omni demissione et obsequio praestito ro-
» gabit Antistitem, ne eam revocare gravetur. Si preces et expo-
» sita in irritum cesserint, ad Emum Protectorem sese vertat,
» ut ipse pro sua prudentia consulat.

388. » 15. Si Episcopus nolit, ut aliqua soror in sua dioecesi
» moretur, Superiorissa, quoad poterit, eius voto obsequi curabit,
» aliamque substituet.

389. » 16. Etiamsi Superiorissae ius sit quamcumque sororem
» etiam sine Episcopi consensu de uno ad alium locum transferre,
» nihilominus nunquam hoc iure utatur, nisi necessitas, aut aliqua
» probabilis causa id postulaverit: neque tamen omittat per lite-
» ras obsequii plenas hac de re Episcopum edocere.

390. » 17. Generalissa, audito adsistentium consilio, facultа-
» tem habet nominandi Superiorissas locales in aliis domibus, in
» quibus iuxta constitutiones electio fieri non potest sive ob par-
» vum sororum numerum, sive ob defectum sororum, quae huic
» officio idoneae sint. Quae vero Superiorissae per scrutinium in
» suis quaeque domibus electae fuerint, antequam in officium in-
» grediantur, confirmationem a Superiorissa generali consequi te-
» nebuntur (1).

391. » 18. Superiorissa generalis ob graves circumstantias po-
» terit copiam facere Superiorissis et Sub-superiorissis, ut in officio
» suo permanere pergant; at vero facultatem hanc ultra unius
» anni spatium prorogare non poterit.

---

vocari. *Animadv. ad Const. fil. immac. Paderbornen. 10. Maii 1860. art. 3. pag. 9.*, ubi art. 6. animadvertit, rem esse periculi plenam, quod Generalissae eiusque consilio ius sit concedendi sororibus vocem activam et passivam: namque vox activa et passiva in aliis Institutis competit sororibus, quae aliquot annos professionis habuerint, et aliquod munus exercuerint: quod ius neque toti communitati relinquendum esse animadvertit in *Animadv. ad Const. sor. fam. paup. Mariano-politan. 25. Apr. 1860.* §. *7. pag. 12.*

(1) Superiorissae locales, quas hic a sororibus singularum domorum per scrutinium eligi innuitur, in aliis Institutis vel a capitulo, seu consilio generali eliguntur, ut in Instituto filiarum S. M. a Bono Pastore. Utilior fortasse putanda est haec altera ratio, quando agitur de Institutis, in quibus sorores de una ad aliam domum transferre licet: nam consilium generale vel Generalissa facilius et penitius cognoscere possunt, quae speciatim sorores regimini aptiores sint; deinde sorores extraneae melius certe et obsequium et auctoritatem sibi conciliant. Nec obstat exemplum a monasteriis votorum solemnium petitum. Nam una ex sororibus ibi morantibus necessario in Abbatissam nominanda est. Aptius facit exemplum ab Ordinibus regularibus sexus masculini ductum, ubi domorum religiosarum Fratribus Guardianum eligendi ius minime inhaeret.

392. » 19. Superiorissa generalis, adhibito adsistentium consilio, obtentoque Cardinalis Protectoris consensu, poterit indulgere, ut quidquid circa supellectilem domus, et usum vitae praescribitur a constitutionibus, commutetur in aliud, quod paupertati, valetudini et regionis moribus consentaneum est.

393. » 20. Superiorissa generalis, antequam novas domorum aut Institutorum (vulgo *stabilimenti*) fundationes accipiat, Episcopi dioecesani et Cardinalis Protectoris consensum assequi debebit (1).

394. » 21. Superiorissa generalis in specialibus ministerii sui partibus obeundis Episcopo non subiicitur, in cuius dioecesi sedem habet. Cardinali Protectori paret, cui quotannis de Instituti statu rationem reddit (2).

395. » 22. Generalissae munus incompatibile declaratur cum munere Superiorissae localis in ordinariis suis muneribus ac iuribus iuxta constitutiones exercendis. Quapropter in localis Superiorissae munera et domum, ubi moratur, non sese ingeret ultra id, quod ipsi utpote generali totius Instituti Moderatrici competit.

396. » 23. Superiorissae localis munus poterit obire una cum adsistentibus generalibus in domo, ubi residet, dummodo ex communitatis suffragio iuxta regulas libere ad illud officium eligatur.

397. » 24. Quaelibet Superiorissa localis Superiorissae generalis consilia exquirere ac sequi tenetur in omnibus casibus dubiis et gravioribus. Quolibet anno Superiorissae generali distinctam accuratamque de Instituti statu relationem mittit, ac summatim rationem reddit de oeconomica administratione sine praeiudicio earum praescriptionum, quae in constitutionibus traditae sunt. Praeterea ut Superiorissa generalis accuratiorem notitiam acquirat de domus statu, praesertim morali, etiam

---

(1) In Animad. ad *Const. sor. hospit. Carnoten. 12. Iul. 1860.* §. *10. pag. 37. loc. cit.* praecipitur, ut Generalissa quolibet triennio de Instituti statu formali ad S. C. Episc. et Regul. referat.

(2) In Animad. ad *Const. sor. hospit. Catalaunen. 27. Sept. 1861.* §. *8. pag. 28. loc. cit.* Generalissa deponi a suo nequit officio sine praevio recursu ad Apostolicam Sedem. Item in Animad. ad *Const. sor. Charit. Paderbornen. 10. Mart. 1860.* §. *16. pag. 10.*; multo magis id ibidem cavetur, si (quod absit) de Generalissa expellenda ageretur.

» domorum ministrae de eo per suas quaeque literas ipsam secreto
» certiorem quolibet anno facient.

398. » 25. Ut sustineri ferrique possint sumptus, qui ex li-
» teris per publicos tabellarios acceptis et itineribus aliisque ti-
» tulis in communitatem derivant, in qua generale regimen sedem
» habet, quaelibet domus certam summam Generalissae pensita-
» bit. Quidquid superest ex pecunia in hanc rem cumulata, Ge-
» neralissa in utilitatem domorum pauperiorum poterit impendere.
» De hac administrationis parte soli eadem Cardinali Protectori
» rationem reddit. »

### *De electione Generalissae et aliarum officialium.*

(Ex appendice ad constit. *Filiarum charitatis* (Canossianae) a S. C. Ep. et Reg. approbata).

399. « 1. Simul ac sexennium habuerit exitum, quo Superio-
» rissa generalis regimen gessit, vel etiam ante, si eiusdem obitus
» acciderit, statim eo, qui sequitur, modo ad electiones procedatur.

400. » 2. Electiones a sororibus fient per schedulas, quae si-
» gillo clausae ad Cardinalem Protectorem remittentur. Quae ma-
» iora suffragia ultra dimidium consecutae fuerint, in Superioris-
» sam generalem, et in adsistentes electae censebuntur. Cardinalis
» Protector electiones confirmat.

401. » 3. Emus Protector, ut electionum felicem exitum pro-
» moveat ac faciliorem reddat, eligibilium notam conscribet pro-
» ponetque, postquam debitam de iisdem eligibilibus cognitionem
» acquisiverit, eo nempe consilio, ut sorores nosse queant, cui
» suffragium ferre satius sit, quando ignorant, quaenam magis
» idoneae reputentur. Sorores autem liberae sunt iuxta propriam
» conscientiam quamlibet sororem eligere etiam extra notam,
» dummodo electa necessariis polleat qualitatibus (1).

---

(1) In Animadv. ad *Const. fil. Mar. Gerunden. 9. Maii 1860. §. 6. pag. 14. l. c.* non probatur, quod schedae in qualibet domo aperiantur; nam ex charactere dignosci potest persona, quae suffragium dedit, itaque secretum a Conc. Tridentino praescriptum sartum tectumque non manet, quod non probatur nec in *Animad. ad Const. Lemovicen. §. 12. pag. 18. l. c.* Hinc edicitur, melius esse, ut schedae omnes ad domum principem transmittantur, ibique a scrutatricibus coram Episcopo, uti Apostolicae Sedis Delegato, aperiantur; additur, coarctandum non esse suffragium ad sorores, quae actu sint Superiores locales. In Animad. ad *Const. soror. S. Mariae Lemovicen. 11. Iul. 1860. §. 2. pag. 18. l. c.* electio per schedulas conceditur ab Apostolica Sede, nec vero arbitrio praesidis capituli relicta admit-

402. » 4. Nulla potest in Superiorissam generalem eligi, quae » quadraginta aetatis, decem professionis annos non attigerit, » sed, necessitate suadente, Cardinalis Protector dispensare po- » terit, ut soror eligatur, quae annum trigesimum aetatis, quin- » tum professionis omnino compleverit.

403. » Ut aliqua soror in adsistentem generalem eligi queat, » requiritur, ut triginta aetatis, et octo professionis annos exe- » gerit. Cardinalis Protector dispensare potest super annis pro- » fessionis, ut iustis accedentibus causis ad idem officium soror eli- » gatur, quae quintum professionis annum praetergressa fuerit (1).

» Sciant insuper electrices, sese illi suffragium suum ferre te- » neri, quam iŭxta suam conscientiam ad hoc officium maxime » idoneam supra ceteras cognoverint, ratione tantummodo habita » maioris Dei gloriae et Instituti utilitatis (2).

404. » 5. In electione Superiorissae generalis et adsistentium » peragenda activa voce potientur, seu electrices erunt: 1. Genera- » lis et adsistentes eo munere modo functae, ac illae, quae idem » ipsum munus in antecessum obiverint; 2. Superiorissae pro » tempore domorum et Institutorum (vulgo *stabilimenti*), Sub- » superiorissae, novitiarum magistrae, administrae, seu hospita- » lium visitationi praefectae, aliaeque scholis praepositae, nec- » non ministrae, sive primae scholarum magistrae; 3. quae Supe- » riorissae et novitiarum magistrae munus una vice gesserint.

405. » 6. Superiorissa generalis quatuor menses antequam » suum exspiret officium, Emum Protectorem edocebit, rogabitque, » ut necessaria consilia pro futuris electionibus tempestive ineat.

406. » 7. Canonica expleta electione, Emus Protector eam » Superiorissae munere suo functae significet, ut cum electis nun- » tium hunc communicet, quae illico ad locum suae residentiae » se ferre tenebuntur.

---

titur. Ibi §. 3. cavetur, ne nimius sit vocalium numerus in capitulo. Item §. 4. nimis periculosum edicitur, ex sororibus eligibilibus quasdam seligi, et per appositam notulam significari vocalibus, ut ex iis Moderatrix generalis eligatur. Excipe casum, quo notula ista a Cardinali Protectore conscribatur, eiusque auctoritate circumferatur, ut hic n. 403.

(1) In Animad. *Lemovicen. mox citata §. 5. l. c.* advertitur, non solere concedi, ut Episcopus super aetate cum Generalissa dispenset.

(2) In Animad. ad *Const. sor. a Praes. Albien. 23. Iun. 1860. §. 6. pag. 19. l. c.* proponitur, ut, si electrices in eligenda Moderatrice generali non conveniant, ope Praesidis capituli ad S. Sedem recurratur.

407. » 8. Nova Superiorissa generalis, sui muneris possessione » capta, literas encyclicas omnibus Instituti domibus perscribit, » quibus de sua et adsistentium electione eas commonefaciat.

408. » 9. Extra dioecesim literas obsequii plenas cuilibet Epi- » scopo dabit, in cuius dioecesi domus aut Instituta reperiuntur.

409. » 10. Si Superiorissae generalis obitus eveniat, antequam » sexennium emensum fuerit, quae prior est inter adsistentes » Cardinalem Protectorem certiorem faciat, ut hic Generalem Vi- » cariam confirmet, quae Instituti regimen usque ad proximas » electiones sustineat.

410. » 11. Si moriatur una ex adsistentibus, Superiorissa ge- » neralis cum suis adsistentibus aliam ad id officium sororem » nominabit, quod haec obire perget, donec Superiorissae pro » tempore munus durabit. Ad Superiorissam attinet a Cardinale » Protectore suam confirmationem obtinere. Cum una ex adsi- » stentibus moritur, si minus quam annus usque ad novas ele- » ctiones supersit, alterius substitutioni locus non erit. »

411. Post haec adnotare non omittimus, nunquam adhuc, quoad sciamus, S. C. Episc. et Regul. a sua constanti disciplina deflexisse, ut praeter Generalissarum et Superiorissarum localium gradum, tertium veluti medium admitteret provincialium ordinem ad instar ministrorum provincialium, qui in Religionibus regularibus masculis communiter recepti sunt; quin imo data occasione in consultationibus persaepe monitum comperitur, eam esse S. C. regulam, ut huiusmodi Provincialissas omnino reiiceret. Et sane in Instituto vulgo *delle dame del S. Cuore* harum Antistitarum institutio apud S. C. enixe petebatur in *Rom. seu Paris. Sup. dec. cap. gen.* diei 3. Martii 1843.; sed frustra. Dumtaxat eisdem indultum fuit, ut Generalissa usque ad futurum capitulum sorores, quae sibi magis idoneae viderentur, deputare posset, quae suo nomine iurisdictionem in domibus certorum districtuum exercerent.

412. In Instituto *Brixien. ancill. char. cap. 2. §. 1. et cap. 4. §. un.* const. S. Congregatio sine ulla animadversione abire sivit dispositionem, in qua statuitur, quod Generalissa inter vicarias (quae videlicet domibus filialibus praepositae sunt ac Superiorissam repraesentant), nominat aliquas, quibus vigilantiam iniungat domorum, quae in districtu aliquarum provinciarum sitae sunt: hae Vicariarum provincialium nomine veniunt. Idem

fere permissum est in Instituto *Filiarum a sacratissimo Corde Iesu* Bergomi florenti, ut ex decreto S. C. Episc. et Regul. 25. Augusti 1857. mox afferendo patet.

413. Penes Institutum *Sororum S. Ioseph*, quod pertinet ad domos in Italia sitas, S. C. ob peculiares circumstantias in eo casu intercedentes (vid. supra *n. 368.*) indulsit, ut Superiorissae tot eligi possent, quot erant dioeceses, quae domos aliquas numerabant: quae Superiorissa dioecesanarum omnium domorum regimen obiret. At vero cum hae Superiorissae dioecesanae Generalissam, cui subessent, minime agnoscerent, quippe quae a Superiorissa in Gallia commorante ex S. C. decreto seiunctae fuissent, non provinciales, sed tot generales Antistitae potius dicendae videntur.

414. Ultimo loco praetereundum non est inter haec Instituta simplicium votorum nonnulla recenseri, quae mixtae naturae quodammodo vocari possent: sub uno enim eodemque Instituto spiritualia stipendia merentur religiosae cum mulierum tum etiam virorum communitates, non secus, ac in regularibus Ordinibus usuvenit, penes quos sub SS. Benedicti, Basilii, Augustini et Francisci regula tam virorum coenobia, quam sacrarum virginum solemnem professionem edentium monasteria militant. Quae quidem sanctimoniales, ut plurimum, supremo Instituti Praesidi obediunt, et Episcopus ea tantum in eas iura exercet, quae ex potestate delegata iuxta Conc. Trid. et Apostolicas Constitutiones eidem tributa sunt.

415. Inter Instituta huius naturae numeratur primo Societas charitatis S. Vincentii a Paulo nuncupata, quae auctoritati subest supremi Moderatoris presb. saecul. mission.; de qua re paulo inferius nonnulla ulterius adnotabimus. Tale etiam est Institutum sororum a sac. Corde Iesu et Maria, et a perpetua adoratione SSm̃i Sacramenti dicta de Picpus; quod cum coalescat sodalium virorum domibus, itemque domibus mulierum, sancitum est, ut mulieres praeter obedientiam communi Generalissae debitam Superiori virorum itidem obtemperent. Neque aliter est de Instituto presbyterorum vulgo *preti missionarii della compagnia di Maria*, cui adnexa est societas puellarum nuncupatarum *figlie della sapienza*, quae uni eidemque Superiori subiectae sunt. Denique (haec enim memorasse sufficiat) Institutum sor. charit. Ord. Teutonici regitur sub disciplina Magni Magistri Ordinis eiusdem, qui

insuper unice Instituto praeest, quin adsit Generalissa, veluti accidit in Institutis, quae modo recensuimus. Quamvis autem sorores ad haec Instituta pertinentes Superioribus huiusmodi pareant, non idcirco exemptae sunt ab omnimoda Episcoporum iurisdictione, nisi id peculiari Apostolicae Sedis venia fuerit indultum.

416. De hisce Superioribus animadvertendum est, ex disciplina S. C. tum solummodo eorumdem Institutionem ratam haberi, cum Institutum mixtam, veluti hucusque explicavimus, naturam praesefert. Secus enim timendum esset, ne quid mali exinde dimanaret. Hinc in *Rhedonen.* super inst. parvarum sororum a sacerdote Augustino Pailleur erecto die 16. Iunii 1854. huiusmodi Superioris generalis rationi S. C. noluit annuere, etiamsi fundatori permissum fuerit, ut in officio permaneret, veluti Promotor Instituti ad beneplacitum S. Sedis, salva omnimoda Ordinariorum localium iurisdictione.

### Art. V. De Cardinali Protectore.

Summarium. 417. Quibus de causis Cardinalis Protector dari soleat. – 418. S. C. precibus non adnuit, quibus imminutio auctoritatis Cardinalis Protectoris exposcitur. – 419. Quando Protectoris auctoritas exercenda sit, praefinitur a peculiaribus constitutionibus. Protectores extra Urbem non conceduntur. Vide notam. – 420. 421. Protector a Summo Pontifice eligitur. Eveniente casu mortis, eius anima suffragiis omnium iuvatur; alius Protector a Summo Pontifice expetitur. – 422. Protector Generalissam invigilat: se medium inter eam et Episcopos ponit, si qua controversia sit. – 423. Consuli debet in novis fundationibus admittendis. – 424. Generalissae et adsistentium electioni praesidet. – 425. Si Generalissa intermoriatur, Vicariam generalem ab adsistentibus electam Protector confirmat. – 426. Protector Generalissam suspendere et Vicariam eidem adsciscere potest. In casu depositionis iuxta sacros canones procedat. – 427. In *Andegaven.* integrum relinquitur Protectori ius eligendi personam sibi bene visam, quae suas gerat vices. Periculosum est in una confessarii persona Protectoris vice-gerentem cumulare.

417. Cum summa Generalissarum auctoritas aliquo temperamento cohibenda esset, itemque praesidium et columen levitati muliebri suppetere oporteret, saluberrimo consilio cogitatum est a S. C. Episc. et Regul., veluti in articulo praecedenti innuimus, ut Institutis, quae in plures dioeceses propagarentur, a Summo Pontifice Cardinalis in curia residens, uti Protector elargiretur,

cuius auctoritati Generalissae subiicerentur et cuius consilium in rebus gravibus et arduis ipsae sequerentur. Ex hac enim institutione illud etiam utilitatis dimanabat, ut Episcopi singularum domorum, quae in suis dioecesibus sitae forent, viro praefulgentem in Ecclesia Dei dignitatem gerenti illud obsequium et submissionem alacrius ac libentius exhiberent, quam alteri Episcopo in aequali dignitatis gradu constituto difficulter forsan exhibuissent. Quae quidem consilii ratio, mentis intuitu utpote providentissime iam inspecta, magis magisque confirmari meruit, postquam eiusdem utilitatem, atque adeo necessitatem experientia, magistra vitae, comprobavit.

418. Hinc, si quando preces oblatae sunt, ut Cardinalis Protectoris auctoritas, ubi aderat, vel imminueretur vel omnino tolleretur, S. C. faciles oratoribus aures minime praebuit, ac petitionem plane reiecit. Primum accidit in *Romana seu Parisien. super dec. cap.* 3. Mart. 1843; cum enim inter alia decretum editum fuisset, quo Cardinalis Protectoris potestas ita deterebatur, ut ad nihilum ferme redigi ac destrui videretur, S. C. huiusmodi decretum sua noluit sanctione munire, remque eo, quo ante erat, loco statuque reliquit. Alterum accidit in *Andegaven. inst. fil. B. M. V. Boni Pastoris* 28. Februar. 1843.; quaerebatur enim: « An supprimenda sit auctoritas Cardinalis Protectoris, eademque » transferenda in Episcopum Andegavensem? » S. C. respondit: « Negative in omnibus. »

419. Quibus vero circumstantiis Protectoris auctoritas suam exserat vim, et quam late pateat, id ex peculiarium constitutionum placito dimetiendum est. Nos, ut aliquam hac in re normam suppeditemus, titulum, quem Cardinalis Recanati (ut modo vidimus) in appendice ad constitutiones Instituti vulgo *delle canossiane* addendum proposuit, ac S. C. suo calculo comprobavit, ipsis verbis prouti polliciti sumus, modo referimus (1).

420. « *De Cardinali Protectore.* 1. SS. D. N. humiliter sup- » plicatur, ut Cardinalem, in curia residentem, Protectorem in- » stituto largiatur.

---

(1) In Anim. ad *Const. Sor. Charit. Paderbornen. 10. Mart. 1860.* §. *12. pag. 10. loc. cit.* ita perpendebatur: « Protectores extra Urbem, seu in partibus a S. Sede » non conceduntur, sed tantum Romae aliquis Cardinalis Protector, cui quaedam » dumtaxat, quae respiciunt Institutum in genere committuntur, ne iurisdictio Or- » dinariorum coerceatur, ut videre est in Instituto Boni Pastoris. »

421. » 2. Si ipse morte fungatur, Superiorissa generalis per » literas sorores omnes certiores facit, ut eius animam suis suf- » fragiis iuvare non omittant. Deinde preces Summo Pontifici » porrigit, ut in eius locum alium Cardinalem Protectorem sub- » stituat.

422. » 3. Cardinalis Protector in suam fidem ac patrocinium » universum Institutum recipit. Superiorissam generalem invigilat, » ut recte suis defungatur officiis. Medium se interponit inter » Episcopos et Generalissam, si qua controversia inter eos sub- » oriatur (1).

423. » 4. Superiorissa Protectorem consulit, quando chari- » tatis filiae in aliqua dioecesi primum instituendae sint.

424. » 5. Generalissae et adsistentium electioni praesidet ea » servata forma, quae in alio titulo sancita est.

425. » 6. Si Superiorissae obitus interveniat, antequam suum » absolverit officium, adsistentes pluribus suffragiis usque ad no- » vam electionem Vicariam generalem nominabunt, quam nomi- » nationem Cardinalis Protector confirmabit.

426. » 7. Cardinali Protectori Superiorissam ab officio su- » spendendi potestas est, quoties haec (quod absit) gravem ac » notoriam culpam admitteret. Si Generalissa se culpae huius- » modi ream praeberet, itemque si Instituto gubernando fieret » inhabilis, ipse ad nominationem Vicariae generalis procedere » poterit. In casu depositionis, servatis servandis, iuxta canoni- » cas praescriptiones procedet. »

427. In constitutionibus Instituti Andegavensis a Bono Pastore nuncupati disponitur, ut Cardinalis Protector suas facultates confessario generalitiae domus delegare possit, qui proinde eiusdem Cardinalis personam repraesentet. Iamvero huiusmodi dispositio paulo abnormior Consultori visa est: quippe periculosum videbatur in una eademque persona fori interni ministerium, et externi regiminis auctoritatem cumulare. S. C. huiusmodi articulum supprimi sua declaratione praescripsit, et firmum ac sal-

---

(1) In *Taurinen. Sup. app. inst. et const. sor. a S. Anna 8. Iun. 1846. ad 1.§.2.* S. C. explicite iussit sequentem articulum constitutionibus adiungi: « Si dissensio » inter Episcopum aliquem et Generalissam circa sororis alicuius translationem sub- » oriatur, haec ad ulteriora non procedet, sed illico Cardinalem Protectorem con- » sulat, eique curam componendi negotii relinquat. » Idem in *Anim. paup. soror. Monacen. Frisingen. 1858. pag. 8. in fin. l. c.*

vum voluit ius Cardinalis Protectoris pro eo munere personam sibi benevisam delegandi, veluti eruitur ex responso *ad 3. dub.* in paulo superius memorata Andegavensi.

### Art. VI. De Episcopi iurisdictione et auctoritate in Instituta sacrarum virginum.

Summarium. 428. Multa iam alibi de Episcopi iurisdictione praeoccupavimus. – 429. Potest Summus Pontifex Institutis votorum simplicium exemptionem concedere ab Episcoporum iurisdictione. – 430. Habetur huiusmodi exemplum in Instituto filiorum charitatis Vesuntionis. – 431. Aliud in sororibus charitatis a S. Vincentio a Paulo. – 432. Saltem circa Hispanias. – 433. Admodum expedit, ut Episcopus aliquem virum deputet, qui suas gerat vices cum facultatibus bene sibi visis. – 434. Datur exemplum ab Instituto S. Annae petitum. Deputati et confessarii munus in una eademque persona ne cumuletur. – 435. Abnorme non esset, si Generalissa cum concilio aliquem virum proponat ad munus deputati ab Episcopo eligendi. Ordinarii et extraordinarii confessoris electio ab Episcopo pendet. – 436. Episcopus nequit sese immiscere in ea, quae generale Instituti regimen respiciunt; etiamsi in sua dioecesi primaria domus existat. – 437. Itaque nullam potest immutationem in constitutionibus facere.

428. In omnibus articulis, quos hactenus conscripsimus, occasio se obtulit, imo necessitas incubuit, ut nonnulla de Episcoporum auctoritate in Instituta, de quibus agimus, identidem praelibaremus. In primo huiusce appendicis articulo, ubi brevem huiusmodi feminearum societatum historiam praetexuimus, a primis Ecclesiae temporibus easdem episcopali auctoritati paruisse narravimus, quin imo, praesertim post editam Constit. S. Pii V. incip. *Circa* ex sola Ecclesiae conniventia ipsas toleratas fuisse animadvertimus. Quando vero hoc fere ineunte saeculo post redditam Ecclesiae pacem Apostolica Sedes eo devenit, ut haec Instituta suae approbationis calculo roboraret, per modum regulae illud sancitum fuisse docuimus, ut sub omnimoda Ordinariorum iurisdictione consisterent: in quo normam desumptam fuisse vidimus a consultissima Bened. XIV. Constitutione incip. *Quamvis iusto.* Reliquis vero articulis quibus Generalissarum, adsistentium et Superiorissarum localium ministerium expenditur, ac de Cardinalis Protectoris tutela agitur, nihil exinde detractum fuisse monuimus

episcopalibus iuribus, praeterquam quod in iis, quae constitutionum observantiam respiciunt, vel ad Cardinalis Protectoris auctoritatem referantur. Quae cum ita sint, non multa speciatim de episcopali iurisdictione explicanda supersunt. Haec autem, quae sequuntur, exponere in hoc articulo non praetermittimus.

429. Quamvis enim, ut supra vidimus, Apostolica Sedes nulla alia in re tanto rigore usa fuerit, quanto usa est, ne feminarum huiusmodi instituta ab omnimoda Ordinariorum iurisdictione subtraherentur, nihilominus exinde nemo consectarium deducet, opinor, quod Summo Pontifici minime liceat coetum hunc personarum ab Episcoporum potestate auferre, aliique Superiori submittere. Pontifex enim plenissima auctoritate pollet super omnes Episcopos eorumque subditos: quocirca veluti sanctimoniales solemnibus votis obstrictas quandoque exemptionis iure ita gaudere permisit, ut Praelatis regularibus obtemperarent, ita etiam aliquando potest indulgere, ut piae feminae vota simplicia nuncupantes, quae communem agunt vitam, immunes sint ab Ordinariorum iurisdictione, eique pareant, cui Summus Pontifex easdem parere praescripserit. Eumdem vero rem hanc facto praestitisse plura exempla demonstrant.

430. Alias mentionem fecimus de Instituto Filiarum charitatis Vesuntionis, quae iuxta constitutiones a s. m. Pio VII. approbatas Apostolicis Literis 14. Dec. 1819. ab ordinaria Episcoporum iurisdictione exemptae sunt: ac propterea Episcopis tantummodo reservata est iurisdictio a Conc. Trid. delegata; quamquam circa sanctimoniales eiusdem Instituti, quae in Italia sunt, per alias Literas Apostolicas s. m. Greg. XVI. Iun. 1840. huiusmodi privilegium conceptis verbis revocatum fuit.

431. Aliud exemplum suppetunt Sorores charitatis a S. Vincentio a Paulo institutae, saltem circa eas, quae in regnis Hispaniarum commorantur. Scitum est, quod attinet ad pias hasce virgines, iuxta constitutiones Congregationis presbyt. saecul. missionis a pluribus Pontificibus confirmatas, Superioribus eiusdem Congregationis adnexam esse curam gubernationemque virginum earumdem, ac supremam erga illas auctoritatem exercendi. Iamvero, supplicante Ferdinando VII., Hispaniarum rege, s. m. Pius VII. suis Apostolicis Literis diei 22. Iun. 1818. ita indulsit: « Nos itaque... omnes et singulas charitatis puellas, earumque » societatem ac domos in regnis Hispaniarum a quacumque Pa-

» triarchae Indiarum, vel cuiusvis alterius iurisdictione ac sub-
» iectione prorsus eximentes ac liberantes, omnimodae iurisdi-
» ctioni, obedientiae, superioritati ac dependentiae moderni ac
» pro tempore existentis Vicarii Generalis Congregationis presby-
» terorum saecularium Missionis S. Vincentii a Paulo nuncupatae,
» perpetuo et integre subiicimus atque supponimus. »

432. Haec valere consulto diximus *saltem* circa puellas charitatis Hispaniarum regi in temporalibus obtemperantes. Quod enim ad ceteras attinet, non adest, quoad sciamus, ulla Apostolicae Sedis dispositio, quae regulae generali de eorum subiectione derogaverit. Hac de re controversia quaedam pluribus comprehensa dubiis apud S. C. Episc. et Regul. paucis abhinc annis excitata est, quae tamen neque in plenario auditorio proposita et discussa, neque definita unquam fuit. In quo animadvertendum arbitror, a nemine posse negari, tanta cum laude a Moderatore memoratae Congregationis Missionis harum sacrarum virginum institutum dirigi consuescere, ut nihil desiderandum supersit: nam florentissima eiusdem conditio huius rei locupletissimum praebet documentum, cum earumdem numerus, paucis abhinc annis (anno 1856) ad duodecim millia fere ascenderet, et in praesens prodigia suae charitatis non sine summa Ecclesiae catholicae gloria, et omnium mortalium temporali ac spirituali utilitate in singulas orbis terrarum partes saluberrime diffundat. Hinc Episcopi in earum Moderatorum vigilantia tuto conquiescere posse videntur, veluti reapse conquiescunt; nam si unum vel alterum Episcopum excipias, nullus in eiusdem Instituti administrationem sese immiscet, ac liberam ab omni parte potestatem Moderatoris Congregationis Missionis relinquit. Enimvero Sacra Congregatio Episc. et Regul. si quid incommodi deprehendisset, oblatam ex modo indicata controversia occasionem abire minime sivisset, ut remedium apponeret, et remedii curam Episcopis commendaret, eoque magis quod super huiusmodi rei definitione enixis precibus insisteretur. Quapropter prudentius Episcopi sese gesturi esse videntur, si a sua in eisdem puellis potestate exercenda se temperent; dummodo tamen detrimentum inde non timeatur: tum enim Moderatorem Congregationis Missionis tempestive poterunt admonere, qui certe statim opportuna consilia capere non detrectabit: itidem, si opus sit, ad S. C. Episc. et Regul. sese vertere non haesitabunt.

433. Episcopi tot tantisque pastoralis ministerii negotiis distenti ac impediti haud ita facile frequentibus sanctimonialium necessitatibus, praesertim minutioribus, per se praesto esse queunt: at ceteroquin etiamsi de rebus in se levibus nonnunquam agatur, si tamen personarum naturam inspicias, huiusmodi non sunt, et subitam idoneamque medicinam exposcunt, ne malum initio neglectum disciplinae robur enervet, et progressu temporis exitium importet. Itaque maxime opportunum est, ut ecclesiasticus vir ab eodem Episcopo deputetur, qui in moderamine ac ductu sanctimonialium Episcopi eiusdem gerat vices, et a monialibus, data opportunitate, facillime consuli possit. Huic Episcopus eas facultates delegare potest, quas eidem tribuere in Domino expediens visum sibi fuerit. Curandum est, ut hic ecclesiasticus vir ille non sit, qui sive ordinarie sive extraordinarie monialium confessiones excipit; nam res periculi plena videtur eidem personae externum communitatis regimen, et internam animarum moderationem concedere.

434. Super hoc argumento in Taurinen. Sororum a S. Anna Consultor hanc, quae sequitur, dispositionem proposuit, eamque Sacer Ordo comprobavit: « Episcopus virum ecclesiasticum de» putat directoris nomine insignitum, qui suas gerat vices apud » sorores. Ipse determinat, quibus facultatibus pollere debeat, » eumque poterit ad arbitrium ab hoc officio removere. Supe» riorissa pro opportunitate directorem adibit, et nihil arduum » et grave, nisi eius consilio exquisito, suscipiet. » Eadem dispositio ipsis fere terminis adoptata est in Instituto Sororum a S. Magdalena iuxta sententiam eiusdem Consultoris. Quod vero in una persona officium directoris et confessoris minime cumulandum sit, idem Consultor in suo voto, quod pro Instituto S. Annae conscripsit, ostendit, incommodis allatis, quae hac ex re usuvenisse experientia testatur; itaque deleri autumavit etiam haec verba, ut confessarium in directorem saltem data gravi circumstantia liceret eligere. Et in Andegaven. 28. Februar. 1845. *ad 3. dub.* ex declaratione S. Congregationis suppressus est articulus 33., ubi confessario directoris officium ex lege erat adnexum, et sartum tectumque servatum est ius Ordinarii in directorem eligendi personam, quae sibi magis bene visa fuisset.

435. Huiusmodi directoris electio ad Episcopum proprie pertinet; attamen abnorme non esset, si Superiorissa, audito consilio,

virum aliquem ecclesiasticum Episcopo proponeret, qui sibi ad hoc explendum officium magis idoneus videatur. Ita porro evenit in Ancillarum charitatis Instituto; nam S. Congr. *Capitis 26. §. 3.* expungi iussit dispositionem quandam, qua directoris electio Superiorissae tribuebatur, et indulsit tantummodo, ut virum suo et consilii iudicio aptiorem proponere ipsi liceret.

Iuxta Constit. *Pastoralis curae* Bened. XIV. soli Episcopo potestas est nominandi ecclesiasticum virum, qui cum ordinarie tum extraordinarie sororum confessionem excipiat. Itaque in memorata Andegaven. *ad 3. dub.* S. C. de medio tolli iussit articulum, in quo sancitum fuerat, ut huiusmodi nominationis ius sororibus inhaereret. Penes Institutum Ancillarum charitatis loco mox allegato solummodo permittitur, ut Superiorissa, audito suo consilio (ut modo de directore cautum fuisse vidimus), ecclesiasticum virum, qui ad hoc officium videatur aptior, Episcopo praesentare valeat.

436. Quamvis Episcopus omnimodam super domibus in sua dioecesi constitutis auctoritatem exercere queat, nihilominus in ea, quae generale totius Instituti regimen respiciunt, sese nequit ingerere, etiamsi primaria Instituti domus (vulgo *casa madre*) in sua dioecesi reperiatur. Id enim circa Sorores sacratissimi Cordis (vulgo *Dame del S. Cuore*) s. m. Greg. XVI. luculentissime declaravit contra Parisiensem Archiepiscopum, qui ex eo, quod Parisiis domus primaria constituta erat, peculiare ius in universam Societatem se obtinuisse autumabat, prout colligitur ex epistola Cardinali Pedicini Protectori ab eodem Pontifice die 16. Iunii 1842. data.

437. Hinc sequitur, quod nullam immutationem constitutionibus afferre possit, praesertim si ab Apostolica Sede constitutiones ipsae approbatae fuerint. S. C. Episc. et Regul. in constitutionibus Instituti Taurinen. Sor. a S. Anna dispositionem deleri iussit, qua Episcopo facultas attribuebatur particularia statuta conficiendi. *Taurinen. Sup. ap. const. sor. a S. Anna* 8. Iun. 1846. *ad 1. dub.* §. *8.* Attamen §. 6. etiam declaratum est, « nulla- » tenus illi tutelae derogari, quam sacri canones Episcopo super » bonis temporalibus adscribunt. »

—

### Art. VII. Miscellanea ad instituta votorum simplicium pertinentia.

Summarium. 438. Praeter confessarium non admittitur director in spiritualibus. – 439. Quaelibet domus rationem Generalissae et consilio reddat. Item pensionem solvat pro communibus expensis. – 440. Beneplacitum Apostolicum necessarium est in alienationibus. – 441. Scopus cuiuslibet Instituti sit certus, nec ultra eius limites extendatur. – 442. Exorbitans a iure est, confessarii nominationem Generalissae tribuere. – 443. Conscientiae manifestatio nonnisi voluntaria hodie admittitur, et quomodo. – 444. Generalissa non potest puellas admittere sine dote. – 445. Dotis dominium monasteria non acquirunt, nisi ob mortem dotatae. – 446. Domus aperiri nequeunt sine licentia Episcopi localis. – 447. Episcopo adimi nequit potestas explorandae voluntatis. – 448. Novitiae tempore novitiatus a domo, ubi sunt, transferri non debent. – 449. In articulo mortis parochi vel alterius sacerdotis advocandi obligatio in constitutionibus est exprimenda. – 450. Ante admissionem fides de Baptismo, Chrismate, aliisque est requirenda. – 451. Sorores ad servitia sibi praestanda ab Episcopo adsumi non debent. – 452. Non admittuntur ab Apostolica Sede aliae Litaniae praeter eas, quae iam ab Ecclesia sunt probatae. – 453. Novitiatus biennalis non est reducendus. Ante vestitionem et professionem fiant sacra exercitia. – 454. Ablutio corporalium et aliorum, quae ad Sacrificium spectant, nonnisi a clerico, sine venia Apostolica fieri debet. – 455. In translatione primariae domus facultas Apostolica requiritur. – 456. Quando Institutum est late diffusum aliquae domus praefiniantur, ubi sacra exercitia fiant. – 457. Novitiae separate vivant a professis. Culpabiles ad poenam in novitiatum non relegentur. – 458. Utrum dotes pro monachandis relictae applicari possint puellis in Instituta votorum simplicium ingressuris; quae requirantur. – 459. Huiusmodi Instituta non sunt exempta a iurisdictione parochiali. – 460. Sorores votorum simplicium clausurae voto obstrictae poenis a Conc. Trid. non subsunt, si clausuram violent. Si quis ingrediatur earum monasterium, contrahit excommunicationem, quando ab Episcopis sit expresse constituta. – 461. S. C. *solitum servari* iussit in *Recanaten.*, ubi Episcopus contra clausurae violatores censuras inflixerat. – 462. De causa *Bergomen. Fil. a soc. Cord. Iesu* S. C. declaravit: Institutum esse adprobandum, constitutiones autem esse laudandas. Praeter tria consueta vota admisit clausurae votum uti promissionem solummodo. Votum sese exercendi in proximorum utilitatem, et non quaerendi instituti munera, uti praescriptiones obligationesque a constitutionibus iniunctas eadem S. C. retinuit. Declaravit etiam clausuram esse statuendam iuxta constitutiones. – 463. Admittendam esse Generalissam. Dependentiam sororum ab Ordi-

nariis statuendam esse iuxta ea, quae in constitutionibus ordinata fuerant. Durationem novitiatus, dispensationem votorum, Superiorissarum aliarumque officialium electionem faciendas esse cum dependentia ab Ordinario. Admissionem ad habitum peragendam esse cum Ordinarii permissu. Idem dicendum de dimissione. Pro deputatione confessarii ordinarii servandam esse Benedicti XIV. Constit. *Pastoralis curae.* Tam fundationes, quam suppressiones fieri debere de consensu Ordinarii. In alienatione bonorum requiri debere beneplacitum Apostolicum. Cardin. Protectorem non esse concedendum. Quae fuerit huius negationis causa, ex coniectura innuitur. Generale capitulum convocandum et celebrandum esse sub dependentia ab Ordinario, in cuius dioecesi moratur Generalissa. Primam votorum professionem fieri debere, praevia exploratione per Ordinarium facta. Votum esse promissionem de meliori bono possibili. Dotem taxandam ante tirocinium, sed non exsolvendam, nisi emissa professione. In formula votorum omittenda verba *ma solubili dalla superiora* et cur. Exprimendum esse, quod vota sint simplicia, et reformanda vocabula *professio, professa.* Caeremoniale ab Episcopo esse approbandum. Iuxta suprascriptas reformationes corrigendum esse constitutionum textum. – 464. Hasce resolutiones excepit decretum S. Congregationis, et Breve Apostolicum pro approbatione instituti. Deinceps idem evenit pro approbatione constitutionum. Referuntur singulatim nonnullae dispositiones ab exemplari constitutionum approbatarum desumptae. – 465. Anno 1858., latius propagatis domibus, aliquae reformationes propositae fuerunt, quae a S. Congr. approbatae sunt, eaeque singulatim referuntur.

438. Quamvis, ut diximus in articulo antecedenti, in huiusmodi Institutis director in rebus externis admittatur, qui Episcopi vices agat, non tamen approbatur director spiritualis, cum huic rei iam provisum sit per patrem spiritualem, seu confessarium, qui in qualibet Instituti domo deputari debet. Vide opusc. cit. *Method. p. 7. Animadv. ad constit. inst. paup. soror.* Monacen. Frisingen. 1858.

439. Quaelibet domus rationem reddat de bonorum administratione Generalissae et eius adsistentibus. Generalissa cum adsistentibus cuilibet domui certam taxam poterit imponere ad subeundas communes Instituti impensas. Animad. in cit. *Monacen. Frisingen. l. c. p. 8.*

440. Pro alienationibus aliisque contractibus alienationis nomine venientibus, reservatio beneplaciti Apostolici exprimenda est in constitutionibus, veluti videre est in Animad. ad *Monacen.*

*Frisingen.* modo allegatam l. c. Idem videre est in singulis fere animadversionibus saepe memorati opusculi *Methodus etc.* reportatis. Huc accedit declaratio S. C. Conc. apud Zamboni verbo *Monasterium Tom. IV. §. II. n. 1. p. 435.* « S. C. Conc. censuit, » moniales Turris Speculi comprehendi in decreto hac re edito ex » mente ipsius S. Congregationis ; ideoque expedire, ut Summus » Pontifex ex sententia S. Congregationis declaret, eas non posse » illius bona absque licentia alienare. » Porro scitum est, sanctimoniales huiusce monasterii Turris Speculi vota simplicia nuncupare. Itidem cum quaedam Congregatio presbyterorum saecularium vota simplicia profitentium contenderet, sibi non subesse obligationem exorandi beneplacitum Apostolicum in alienatione bonorum ad se pertinentium, S. C. Episc. et Regul. die 28. Iulii 1829. contrariam sententiam protulit. Beneplaciti Apostolici necessitatem locum habere debere etiam in America circa alienationem bonorum ad religiosa Instituta pertinentium iuxta Extr. *Ambitiosae* S. C. Episc. et Regul. scripsit cuidam Americae Episcopo die 20. Iunii 1865. Analecta iuris Pontif. 1867. pag. 891.

441. Scopus cuiusque Instituti praefinitus esse debet, neque extendi ultra scopi eiusdem limites atque naturam. Consul. *l. c.* Animadv. ad *const. sor. filiar. Paderbornen.* 10. Mart. 1860. §. *pag. 9.* Animad. *in const. Sor. a Sancto Thoma Parisien.* 27. Iun. 1860. §. *1. pag. 20.*

442. Exorbitans a iure reputatur in Animad. *ibid.* §. *5.* concedere Superiorissae facultatem nominandi et proponendi confessarium; siquidem eius deputandi ius Episcopo iuxta Constit. Bened. XIV. *Pastoralis* relinquendum est. Id enim nonnisi rarissime gravissimisque de causis permissum esse reperitur, ea insuper limitatione adhibita, ut Episcopus confessarium nominatum vel propositum possit pro suo prudenti arbitrio minime confirmare.

443. Circa propriae conscientiae manifestationem pro constanti regula a S. C. Episc. et Regul. hodie receptum est, ut facultativa dumtaxat, non obligatoria sit, eademque coerceatur ad externas et publicas constitutionum transgressiones, et progressus in virtute. Id in omnibus fere Animadv. citati opusculi repetitur, adeoque superfluum arbitramur S. C. effata singulatim citare. Quin imo novissime usu inductum est, ut articulus huiusmodi omnino deleatur.

444. Superiorissae non est relinquenda facultas, ut novitias admittat sine dote; id enim aliquam alienationis speciem sapere videtur; ita in *Animad. in const. sor. fil. Paderbornen.* 10. Mart. 1860. §. *9. p. 10. l. c.* Item nec facultas dotem imminuendi *Animad. ad const. a Praesent. Albien.* 23 Iul. 1850. §. *8. pag. 19. et alibi l. c.*

445. Monasteria votorum simplicium dominium dotum non acquirunt, nisi eveniente obitu monialium, ad quas eaedem pertinent. Itaque si eas expendere contingat aut alienare, facultas petenda est a S. C. Episc. et Regul., quae illud exigit, ut in bonis Instituti hypothecaria inscriptio pro summa doti aequipollente suscipiatur, eaque deleri nequeat, nisi cum sanctimonialis morte defuncta fuerit. Hoc porro a S. C. Episc. et Regul. rescriptum fuit anno 1852. cuidam Episcopo.

446. Domus simplices aperiri nequeunt sine licentia localis Episcopi; at vero domus novitiatus non erigantur sine venia Apostolicae Sedis; *Animadv. ad Paderbornen. loc. cit.* §. *15. pag. 10;* neque item provinciae constituantur absque eiusdem venia; *l. c. Animad. in const. sor. fil. Cor. Marianopolitana* 25. Apr. 1860. §. *4. pag. 12.*

447. Episcopo non adimatur ius explorandi voluntatem novitiarum *Animadv. in const. ancill. paup. Limburgen.* 23. Mart. 1860. §. *6. p. 11.*

448. Novitiae a domo novitiatus, hoc durante, non sunt avellendae, ut in alias domus transferantur: sed ibidem remanere debent toto tempore novitiatus; *Animadv. ad const. Limburgen. loc. cit.* §. *7. pag. 11.* et alibi passim.

449. Exprimatur, quod parochus, vel alius sacerdos in articulo mortis sit advocandus, qui moribundis adsistentiam praestare debeat, praeterquam quod eisdem Sacramenta administret. *Animadv. ad const. sor. fil. char. Marianopolitana* 25. Apr. 1860. §. *3. pag. 12. et Bellicien. loc. cit. n. 13. pag. 15.* et alibi passim.

450. Antequam novitiae recipiantur, testimonialem fidem de Baptismate, Confirmatione, et de morum probitate exhibeant; *Animadv. ad const. sor. fil. charit. Marianopolitana* 25. Apr. 1860. §. *5. pag. 12.* et alibi passim in citato opusculo *Methodus* etc.

451. Ne sorores in episcopiis ad servitia praestanda admittantur. *Animadv. ad const. Marianop. loc. cit.* §. *11.*

452. Non admittuntur ab Apostolica Sede aliae Litaniae, quam illae, quae ab eadem approbatae fuerint, nempe Sanctorum, ac B. M. V. *Animadv. ad const. Marianopolit. loc. cit.* §. *12.* et passim in *Animad. opusc. cit.*

453. Quando novitiatus ad biennium constitutus est, non est minuendus ac reducendus; *Animadv. ad const. fil. Mariae Gerunden.* 8. Maii 1860. §. 1. *pag. 14.* Item in *Animadv. ad const. soror. S. Ioseph.* 6. Iun. 1860. §. *7. pag. 15., Bellicien.,* et alibi.

Sorores ante visitationem ac professionem spiritualia peragant exercitia. *Animadv. ad const. soror. Bellic. loc. cit.*

454. Ablutio corporalium, purificatorii et pallarum spectat ad clericos, qui saltem subdiaconi sint ; aliter necessaria est Apostolica venia. *Animadv. ad const. sor. a S. Ioseph. Burgen.* 6. Iunii 1860. §. *12. pag. 15.* Item in *Animadv. ad const. soror. a S. Ioseph. Camberien.* 9. Iunii 1860. §. *18. pag. 17.*

455. Pro translatione primariae domus facultas Apostolica exquiratur. *Animadv. ad const. a S. Maria* 11. Iul. 1860. §. *7. pag. 18. l. c.*

456. Cum difficillimum sit in Institutis latius diffusis statuere unam domum, ubi omnes sorores ad spiritualia exercitia peragenda conveniant, expedit, ut domus determinentur, ubi plurium domorum sorores commode coire valeant; quae designatio a Generalissa fieri potest. *Animadv. ad constit. soror. a Praesent. Albien.* 23. Iulii 1860. §. *9. pag. 19. l. c.*

457. Novitiae separatae esse debent a professis; nec expediens videtur sorores culpabiles ob poenam in novitiatum mitti; id enim scandalum novitiis afferre potest. *Animadv. ad const. soror. miser. Baiocen.* 20. Febr. 1861. §. *4. pag. 23.*

458. Subsidia dotalia pro monialibus relicta applicari possunt puellis vota simplicia profitentibus, dummodo 1. Institutum a S. Sede fuerit approbatum; 2. vota in perpetuum emittantur; 3. secus a fundatore dispositum non fuerit. Namque SSmus D. N. ope S. C. Episc. et Regul. sequens Rescriptum edi iussit: « Ex » audientia SSmi die 12. Nov. 1847. SSmus D. N. Pius Papa IX. » prospicere cupiens Institutis sanctimonialium votorum simpli- » cium, quae in dies ubique augentur, huius generalis decreti » tenore benigne indulget, ut sanctimoniales virgines votorum » simplicium subsidia dotalia pro monialibus relicta, servatis ta- » men aliis de iure aut ex praescripto testatorum servandis, as-

» sequi possint et valeant, dummodo earum instituta ab Apo-
» stolica Sede sint approbata, vota simplicia perpetuo emittant,
» nec testatores expresse edicant, subsidia dotalia concedenda
» dumtaxat esse monachandis in monasteriis, in quibus solemnia
» vota emittuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. »
Idem SSmus D. N. Mexicanis Episcopis die 19. Decembris 1851.
facultatem tribuit ad decennium, ut dicta subsidia dotalia puel-
lis, quae Congregationem sororum charitatis (quae vota perpe-
tua non emittunt) ingrediuntur, conferri possent.

459. Sorores votorum simplicium ordinarie a parochi iuris-
disctione exemptas non abire constat ex plurimis S. C. Episc.
et Regul. resolutionibus, et nominatim 3. Iul. 1712., 1. Iul. 1796.
circa Tertiarias S. Francisci, et 1. Iulii 1796. circa conservatorium
S. Mariae de Nive. Sed et S. Congr. Conc. idipsum pluries de-
claravit, ut videre est ex *Bononien. Exempt.* 10. Iunii 1790.
aliisque collectis in folio ad eamdem causam §. *Ad id.* Vide
etiam *Animadv. ad const. soror. a Nazareth* 27. Sept. 1861.,
*Catalaunen.* §. *2. pag. 27. Method.* etc.

460. Die 1. Aug. 1839. S. C. Episc. et Regul. duo, quae se-
quuntur, dubia resolvenda proposita sunt: « 1. Utrum si non sint
» solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram
» servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Triden-
» tina Synodo edictis, ubi Episcopus clausuram restituerit. 2. U-
» trum etiam excommunicationis incurrat poenam, qui sine li-
» centia ingrediatur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo
» restituta fuerit? » S. Congr. respondit: « Ad 1. Negative quoad
» poenas sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescri-
» ptas; affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impo-
» sitas. Ad 2. Affirmative, si ab Episcopo decreta fuerit. »

461. Notandum tamen est, quod S. C. Episc. et Regul., cum
clausurae lex sub censuris in monasteriis votorum simplicium ab
Episcopis imposita fuisset, et proinde contra eam reclamatum
esset, *solitum servari* responderit in *Recanaten.* 18. Iunii 1728.,
23. Sept. 1757. et 10. Mart. 1758.

462. Huic de femineis votorum simplicium Institutis appen-
dici non sine aliquo, ut opinamur, utilitatis fructu addimus re-
lationem de quadam causa, cui titulus *Bergomen. Super app. inst.
et const. fil. a Sac. Corde Iesu nuncup.* Multa enim scitu opportuna et
usui utilissima in eadem occurrunt, quae similibus in casibus nor-

mam afferre possunt. Ioseph Benaglio sacerd. Bergomen. an. 1831. Institutum filiarum a S.Cord. Iesu Bergomi fundavit, eoque demortuo nobilis familia Verzeri idem fovendum suscepit. Eiusdem finis eo tendit, ut per vota obedientiae, castitatis ac paupertatis, necnon per obligationem sese in proximorum utilitatem impendendi sorores sub Superiorissa generali scholas internas et externas regant, parocho in doctrina christiana tradenda suppetias ferant, spiritualia feminis exercitia suppeditent, in valetudinariis et privatis domibus pauperum aegrotorum curam obeant, aliaque id genus charitatis officia persolvant. Dividuntur in choristas, coadiutrices et operarias. Anno 1841. Theresia Verzeri, Superiorissa generalis, literis instructa commendatitiis Antistitum Lauden., Cremonen., Parisien. et Comen., in quorum dioeceses Instituti domus invectae fuerant, supplex a S. C. Episc. et Regul. Institutum eiusque constitutiones approbari postulavit. Itaque, exquisito de more voto unius ex S. Congregationis Consultoribus, in comitiis diei 14. Maii 1841. sequentia dubia proposita sunt:

463. « 1. An, et quomodo laudandum sit institutum S. Cord. » Iesu, seu potius approbandum praeterea sit una cum consti- » tutionibus?

» Et quatenus affirmative etiam quoad constitutiones,

» 2. An admittenda sint sex vota (1), et singula expresse » simplicia declaranda sint?

» 3. An et quomodo clausura statuenda sit?

» 4. An admittenda sit Superiorissa generalis?

» 5. An et quae dependentia statuenda sit erga Ordinarios » pro respectivis domibus, necnon pro Superiorissa generali, et » an sequendae sint in hac parte dispositiones a Bened. XIV. » statutae in Constit. *Quamvis iusto?*

» 6. An in arbitrio Superiorissae generalis relinquenda sit » duratio novitiatus, dispensatio votorum, electio Superiorissa- » rum et officialium maiorum?

---

(1) Praeter tria consueta vota penes filias S. Cord. Iesu emittebantur vota sese impendendi in proximorum utilitatem, servandi clausuram, et non quaerendi Instituti munera. At vero S. Congr. ex hisce tribus primum retinuit potius uti promissionem, quam uti votum proprie dictum ; duo reliqua inserta fuerunt in constitutionibus neque uti promissiones, neque uti vota, sed tamquam speciales Instituti praescriptiones obligationesque.

» 7. An in admissione puellarum intercedere debeat Ordi-
» narii permissio?

» 8. An approbandum sit quidquid pro Religiosarum dimissione
» disponitur?

» 9. An pro deputatione confessariorum tam ordinariorum,
» quam extraordinariorum praescribendum sit, ut Constit. Be-
» ned. XIV. incip. *Pastoralis curae* inhaereatur?

» 10. An declarandum sit, quod pro fundationibus et sup-
» pressionibus domorum praeter Ordinarii consensum impetran-
» dum sit beneplacitum Apostolicum?

» 11. An expresse declarandum sit, quod pro alienatione bo-
» norum sarta tectaque maneat Constitutio *Ambitiosae* cum aliis
» canonicis sanctionibus?

» 12. An et quomodo Cardinalis Protector sit concedendus?

» 13. An et quis praeesse debeat capitulo generali?

» 14. An et quomodo facienda sit prima votorum professio?

» 15. An et quomodo approbandae sint modificationes a Con-
» sultore propositae?

» 16. An et quomodo aliae ulterius modificationes locum ha-
» bere possint in casu? »

Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. Institutum esse approbandum per literas Apostolicas
» in forma Brevis, constitutiones vero esse laudandas.

» Ad 2. Affirmative quoad utramque partem.

» Ad 3. Affirmative iuxta formulas votorum.

» Ad 4. Affirmative.

» Ad 5. Affirmative iuxta Constit. Benedicti XIV. *Quamvis*
» *iusto* (1).

» Ad 6. Negative; sed haec omnia fiant cum dependentia ab
» Ordinario.

» Ad 7. Affirmative quoad admissionem ad habitum.

» Ad 8. Affirmative dependenter ab Ordinario.

» Ad 9. Affirmative (2).

---

(1) Adnotandum est, quod cum in constitutionibus adamussim determinatum postea fuisset, quomodo Institutum ipsum, eiusque suprema Antistita ab Ordinariis pendere debeat, hinc SSmus D. N. in suis Apostolicis Literis diei 13. Nov. 1847. huic praescriptioni derogatum diserte voluerit.

(2) Hinc est, quod S. C. Episc. et Regul. communiter ac passim sanctionem de confessario singulis trienniis immutando nedum admittit, sed et districte praecipit. Analecta Mar.-Ap. 1867. pag. 543. et seq.

» Ad 10. Fundationes fieri debere de Ordinarii consensu: » suppressiones vero cum S. Sedis facultate. (S. m. Greg. XVI. » praescripsit, ut haec resolutio immutaretur, subrogata hac: *tam* » *fundationes, quam suppressiones fiant de consensu Ordinarii*).

» Ad 11. Affirmative.

» Ad 12. Affirmative, si SSmo placuerit. (S. m. Greg. XVI. » subrogari voluit: *negative*, et ita Card. Protectorem exclusit).

» Ad 13. Convocandum esse et celebrandum sub dependentia » Emi Protectoris, certiorato Ordinario loci (1).

» Ad 14. Affirmative, praevia approbatione et exploratione » Ordinarii.

» Ad 15. §. I. Definiatur votum theologice, nempe *promissio* » *de meliori bono, quod sit possibile*.

» §. II. Tertiae classis sorores dicantur operariae.

» §. III. Vota operariarum non reputentur perpetua, sed per- » durare debent, donec operaria manserit in Societate, a qua ta- » men potest discedere.

» Ad 16. I. Dos taxetur quidem ante tirocinium, sed non » persolvatur, nisi cum vota emissa fuerint.

» II. In formula votorum omittantur verba *ma solubili dalla* » *superiora*: nam Superiorissa non solvit vota dimissarum soro- » rum, sed vota per se cessant ea praevia conditione, cum dimit- » titur a societate soror.

» III. Utique in constitutionibus, ubi opus est, exprimatur, » vota omnia Societatis esse simplicia, et omittantur seu refor- » mentur vocabula *professio, professa*.

» IV. Sacrum caeremoniale, quod memoratur in constitutio- » nibus, approbetur ab Ordinario.

» V. Iuxta suprascriptas reformationes efformetur constitu- » tionum textus. »

464. Hasce resolutiones exceperunt decretum S. Cong. et Apostolicae Literae in forma Brevis a s. m. Greg. XVI. editae in-

(1) Ob exclusionem Cardinalis Protectoris a Greg. XVI. factam subrogatum fuit: *Convocandum et celebrandum esse sub dependentia Ordinarii loci, in quo moratur Superiorissa generalis*. Coniicere licet idcirco ab eo Summo Pontifice Card. Protectorem Instituto forsitan denegatum fuisse, quia per id temporis aliquae controversiae in quibusdam Institutis subortae fuerant ob hanc ipsam Cardinalis Protectoris concessionem. Ceterum sequiori tempore diuturna experientia comprobavit, quantum utilitatis Institutis huius generis afferat Cardinalis Protectoris institutio.

cip. *Cum divina* diei 11. Iun. 1841. Subinde anno 1847. Filiae S. Cord. Iesu iterum supplices S. Congr. adierunt, ut constitutiones iuxta resolutionem S. Congr. reformatas approbaret. Precibus annuit S. Congr. suo decreto die 11. Oct. 1847., quod suis Apostolicis Literis incip. *Cum maxima* 13. Nov. eiusdem anni confirmavit s. m. Pius PP. IX.

Ex constitutionibus, quales eadem S. Congregatio suo decreto approbavit confirmavitque Pontifex, editis eo anno typis Propagandae Fidei, excerpsimus aliqua cognitu, veluti opinamur, nequaquam inutilia, quae ad haec rediguntur:

Sorores vota perpetua nuncupant, quae tantummodo a Summo Pontifice resolvi possunt. Superiorissa generalis, quoad vivit, Instituto praeest, eaque est sub inspectione et obedientia Summi Pontificis, Ordinariorum, omniumque legitimorum Superiorum.

Adest capitulum generale, quod unoquoque sexennio celebratur. Constat ex 4 assistentibus et 12 consiliariis. Hae omnes non secus ac Generalissa a capitulo generali eliguntur.

Superiorissas locales Generalissa nominat.

Superiorissa precatur Episcopum, ut confessarium, quem ipsa proponit, domui religiosae deputet.

Societas capitalia fundosque stabiles possidere potest: sed singulae domus possidendi iure carent; quae insuper neque proprietate pollent eorum, quae in usum iisdem suppeditantur.

Administratio sub potestate Generalissae geritur: ea tamen alienationes facere nequit sine consensu in scriptis capituli generalis et beneplacito Apostolico.

Novitiatus ad duos annos protrahitur: at Generalissa quibusdam in casibus unius anni dispensationem tribuere potest. Votum paupertatis, quod sorores emittunt, in eo situm est, ut libere quacumque de re disponendi iure destituantur.

Ex venia s. m. Gregor. XVI. quaelibet domus oratorium obtinet cum facultate inibi SSmam Eucharistiam asservandi, ubi functiones sacrae peraguntur, non excepta ea, quae quadraginta horarum nomine venit. Si ecclesia externa desit, sacello interiori privilegium inest peragendi omnes, quas diximus, sacras functiones.

Obtenta a Superiorissa venia, sorores in domibus privatis possunt infirmas invisere.

Institutum habet domum, quae nuncupatur *paradisus*, ubi so-

rores aetate defectae, vel morbo debilitatae quietam et placidam vitam traducunt.

Capitulo potestas est Generalissam deponendi, et exauctorandi. Eadem, ut eligi queat, annos habeat octo professionis, et quadraginta aetatis: in casibus extraordinariis triginta aetatis anni, quinque professionis satis esse queunt.

Determinati sunt novem casus, quibus absolutam haec habet auctoritatem, itemque alii sex, quibus ab Ordinario pendere debet.

465. Anno 1857. cum Institutum multo latius propagatum fuisset, pluresque domos in diversis ditionibus recenseret, filiae S. Cord. Iesu iuxta ea, quae in constitutionibus praevisa fuerant *Cap. 2.*, a S. Cong. Episc. et Regul. expostularunt, ut duae Vicariae provinciales instituerentur, quibus alicuius certae provinciae domus invigilandae ac tuendae forent. Qua de re constitutionibus additio facta est, qua eae summatim nimirum, non vero, prout iacent, quae sequuntur, praescriptiones continebantur. Vicariae provinciales a Generalissa eliguntur, auditis adsistentibus et consiliariis. Earumdem munus ad sex annos perdurat; sed iterum eligi queunt. Ipsis tres consiliariae adsciscuntur, inter quas una admonitricis partem agit. De suo regimine rationem Generalissae reddunt. Capitulo generali intersunt, quin tamen consiliariarum numerus imminuatur. Domos sibi subiectas invisendi ius habent. Ab Ordinario pendent iuxta sacros canones et constitutiones Instituti. Generale capitulum novos poterit vicariatus erigere, sed capituli resolutio iudicio S. C. Episc. et Regul. submitti debebit. Itaque S. C. edito decreto die 25. Aug. 1857. Episcopo Brixiensi (e nobili familia Bergomensi Verzeri, Instituti, uti vidimus, patrona ac fautrice) impertivit « facultatem consti- » tuendi duas Vicarias provinciales una cum respectivis domibus » iuxta preces, necnon approbandi regulas, prout in suprascripto » exemplari circa Vicarias provinciales. »

### Art. VII. De tribus consultationibus votorum simplicium instituta respicientibus.

Summarium. 466. De tribus consultationibus ad votorum simplicium materiam pertinentibus. – 467. Facti species causae N. N. *Super iure succedendi.* – 468. Vota monialium Gallicarum in praesenti rerum statu uti simplicia aestimantur. – 469. Definitio dominii ac distinctio in *rădicale* et *actuale.* Simpliciter professi actuale emittunt, radicale retinent. –

470. Itaque haereditates et legata sibi obvenientia capere possunt; quin monasterium dictas haereditates ac legata et alia obtinere, vel de iis disponere possit. – 471. Quomodo vero Religiosi simpliciter voventes licite disponere valeant, a peculiaribus instituti constitutionibus fere semper determinatur. – 472. Affertur exemplum cleric. excalc. S. Crucis, vulgo *Passionisti,* aliorumque similium. – 473. Rescriptum s. Poenitentiariae, quo Regularibus utriusque sexus in Belgio bona acquirendi, retinendi et administrandi copiam facit. Aliud eiusdem generis pro monialibus Sanctissimi Redemptoris in eodem regno. – 474. Sequuntur tria alia Sacrae Congreg. Episc. et Regul. rescripta eiusdem generis pro Religiosis Galliarum. – 475. Resolutio in causa N. N. *Super iure succedendi,* qua doctrinae hactenus allatae confirmantur. – 476. An privilegia spiritualia Regularibus concessa lucrentur sanctimoniales Galliarum in Ordinibus regularibus approbatis. An votum ingrediendi Religionem ab iisdem emissum sit reservatum S. Sedi. An super earumdem votis dispensare possint Ordinarii. An resolutiones heic editae Regulares masculini sexus respiciant. – 477. Facti species causae N. N. *Restit. dotis.* Decreverat Episcopus, ut ex libellarum duobus millibus et quingentis duo millia monasterio *ad quod* traderentur, quingentae monasterio *a quo* remanerent. – 478. Quid sacra Rota, S. C. Conc. et S. C. Episc. et Regul. responderint circa dotis restitutionem in casibus particularibus. – 479. Rectissimas huius rei normas S. Congreg. Episc. et Regul. tradidit Vicario Capitulari Ferrariensi. – 480. S. Congreg. Episc. et Regul. in N. N. decretum Episcopi confirmavit. – 481. Postulata S. Cong. Episc. et Regul. in causa N. N. facta referuntur. Primum de facultate scholas externas retinendi agebat. – 482. Secundum de chori et divini officii obligatione. – 483. Tertium de novitiatu ac ritu servando in professione votorum. – 484. Quartum de votorum duratione. – 485. Quintum de tempore, quo vota emitti deberent. – 486. Dubia in specie proposita, eorumque resolutiones. – 487. Duo Rescripta S. C. Episc. et Regul. pro facultate retinendi scholas publicas.

466. Ad calcem huiusce de votis simplicibus articuli tres addimus consultationes cum adiectis declarationibus S. C. Episc. et Regul., in quarum una agitur de iure restitutionis dotis, ex qua confirmatur, sanctimoniales vota simplicia nuncupantes dominium suorum bonorum non amittere: in altera de iure succedendi in bona ad easdem post professionem delata, ex qua idem argumentum pressius ac penitius evolvitur et constabilitur; in ultima tandem de facultate publicas retinendi scholas sermo est, necnon de aliis adiunctis votorum simplicium materiam respicientibus. Prima sit causa N. N. *super iure succedendi.*

467. Novum in dioecesi N. N. Institutum fundatum est, cuius tres enumerantur domus; una videlicet in principe dioecesis N. N. urbe, eademque maior: duae aliae in duabus aliis dioecesibus. Regulam S. Clarae et constitutiones a S. Colletta nuncupatas, Capucinarum proprias, observant sorores, nullamque dotem Instituto afferunt, solo divinae providentiae subsidio subnixae. Cum tamen ex S. Sedis sanctione earumdem vota, ut fit de ceteris monialibus in Galliis, tantummodo simplicia esse debeant et sint, et tamen iuxta leges civiles, quae in Galliis obtinent, iura civica ob ingressum in Institutum minime eaedem sorores amittant, et insuper renuntiatio ad futuras haereditates non sustineatur, nisi fuerit emissa, postquam haereditates actu delatae sunt, illud usu in eodem Instituto invectum fuerat, ut quidquid sorores ex haereditatibus aliisque titulis consequerentur, consanguineis perfruendum relinquerent, idque ab iis recipere satis haberent, quod ab ipsis accipi posset. Hoc autem in aeris alieni exstinctionem vel quotidianas necessitates erogabatur (1).

Cum itaque forte accidisset, ut cuidam sorori de domo ac patria unius ex duabus memoratis dioecesibus haereditas delata fuisset, eiusdem consanguinei quidquam plane monasterio exsolvere detrectabant. Itaque, cunctis amicabilibus experimentis in irritum cessis, duo, quae paulo post *(sub num. 475.)* apponentur, dubia S. C. Episc. et Regul. resolvenda oblata sunt.

468. In consultatione, quae de more eam in rem pro meo munere a me conscripta, et Emis Patribus distributa fuit, non pauca disserebantur, quae hoc argumentum pertingunt. Liceat calamo paulo fusiori depromere quae ibidem perleguntur: neque enim absque fructu id fore arbitramur. Itaque statuebatur ante omnia, a S. Sede cautum fuisse, ut in praesenti rerum statu

---

(1) Adnotandum est, narrari hic quidquid factum fuisse exponeretur, quin edicatur, an illa erogatio recte procederet, necne. Ceterum, si ea bona in rem monasterii versa et commixta fuissent, certe nullam aliam in causam impendi potuissent, praeterquam in acquirenda stabilia bona certa ac tuta, vulgo *investimenti*. Si tamen haec bonorum versio et commixtio in monasterii rem locum non habuerit, cum monialis dotem non constituant, nihil vetare posse videtur, quominus monialis ipsa consensum praebere potuisset, ut in monasterii necessitates cum venia Superiorum expenderentur: tum enim ut res licite perfici queat, adest venia Superiorum; ut vero valide, adest monialis assensio, quae dominium radicale non amittit.

vota a monialibus in Galliis emissa simplicia tantummodo sint, prout ex declaratione S. Poenitentiariae colligitur, quae sequitur. « S. Poenitentiaria, denuo mature perpensis, et in examen de- » ductis, quae a dilecto Vic. Gen. Tolosano proponuntur, prae- » habitoque super his oraculo SSmi D. N. Pii Papae VIII. de » eiusdem Sanctitatis Suae mandato respondet, standum esse in » decisis, hoc est, vota, quae in praesenti rerum statu a monia- » libus in regno Galliarum emittuntur, uti vota simplicia a S. Sede » aestimari. » Datum Romae in S. Poenit. die 19. Maii 1829.

469. Hisce positis, in primis repetebatur definitio dominii, quam ex Ferrario superius *n. 313. pag. 274.* exscripsimus; idemque dominium in *actuale* ac *radicale* discriminari subdebatur, allata eiusdem Ferrarii auctoritate, quae fuse legitur ibidem *n. 314. et seq. p. 275.* Ex quo inferebatur, Religiosos simpliciter professos e dominii actualis, minime vero radicalis iure cadere.

470. Subinde animadvertebatur, eosdem, quippe qui dominium radicale conservant, haereditates, legata, aliosque rerum acquirendarum titulos obtinere, itemque licite ac valide de rebus suis libere disponere posse, dummodo id in suum commodum nequaquam faciant. Ceteroquin vero Institutum, cui addicti sunt, nihil iuris, ordinarie loquendo, sibi vindicare fas esse statuebatur in bonis, quae ad peculiaria eiusdem Instituti membra pertinent. Itaque ad rem afferebatur resolutio a S. C. Episc. et Regul. edita in *Anagnina Super iure testandi* 18. Febr. 1853. Vide sup. *n. 318. pag. 276.*

471. Praeterea silentio non praetermittebatur, ut plurimum accidere, quod particularia statuta modum ac limitem personis religiosis imponant, quo eam, quam habent, disponendi facultatem exercere ac moderari debeant; id quod in *Anagnina* nullimode factum fuerat, adeoque resolutio Religiosae illi, de qua agebatur, licitam ac liberam de suis bonis disponendi facultatem adiudicaverat.

472. In exemplum afferebantur ea, quae superius *n. 320. et seq. pag. 277. ac seq.* de clericis excalceatis (vulgo *Passionisti*), de presbyteris SSmi Redemptoris (vulgo *Liguorini*, ac *Redentoristi*), aliisque in specialibus sui cuiusque Instituti constitutionibus hanc in rem provisa sunt.

473. Post haec in consultatione referebantur aliquae declarationes, quae licet pro Gallia ac Belgio ob speciales locorum

circumstantias editae fuerint, haud parum proderit lectoribus nostris, si eorum oculis hic subiiciamus. Itaque S. Poenitentiaria circa sanctimoniales veterum Ordinum approbatorum, quorum vota a S. Sede uti simplicia habentur, responsum sequentis tenoris edidit die 1. Dec. 1820.: « S. Poenitentiaria intelligens, velle » omnino gubernium, ut vetus illud decretum diei 18. Feb. 1809. » a Regularibus regni Belgici observetur, quo proprietas, possessio » et administratio bonorum, quae ad eos pervenerunt, singulis » Religiosis ac monialibus vindicetur, concedit, de expressa au- » ctoritate Apostolica Regularibus utriusque sexus iam solemni- » ter professis, ut ea bona acquirere, retinere ac administrare, » deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non ob- » stante voto paupertatis, dummodo cum debita a Superioribus » legitimis dependentia hoc faciant », et alias die 30. Nov. 1842. pro monialibus SSmi Redemptoris pariter in Belgio rescripsit: « Episcopo Brugen. ex Apostolica facultate concedit indulgendi » monialibus, ut, cum plena ab ipsomet dependentia, bona, quae » ad illas spectant, vel pertinere iure successionis, aliasve legi- » timo iure possunt, recipere, retinere, administrare, deque iis » contractus inire, atque in pios honestosque usus, praesertim » vero in bonum monasterii per actus inter vivos sive causa mor- » tis etiam per testamentum disponere possint. »

474. Speciatim vero pro Galliis die 20. Ian. 1836. rescripsit S. C. Episc. et Regul. Episcopo Mimatensi in haec verba: « Iu- » cundissimum mihi fuit, quod cognovi ex literis Amplitudinis » Tuae diei 15. Dec. *p. p.* relate ad etc. Haec quidem de prima » literarum parte. Restat, ut pauca addam quoad secundam, in » qua de votis monialium regni Galliarum nonnullas quaestiones » proponebas. Scias igitur oportet, ab Apostolica Sede declaratum » fuisse, vota, quae in praesenti rerum statu in Galliarum regno » a monialibus emittuntur, simplicia censeri, et Episcopos, ex » speciali declaratione Sanctitatis Suae super eisdem, excepto » castitatis voto, data ratione sufficienti, rebus sic stantibus, » dispensare posse. Praeterea cum paupertatis votum constanter » et integre servari non possit, eisdem monialibus permittitur, » ut cum debita a Superioribus legitimis dependentia, actus ci- » viles emittant ad haereditates obtinendas, si ad illas iuxta leges » civiles vocatae sint, tum etiam, ut ad bonum communitatis, » vel ad praecavendas lites inter familias testamentum condant.

» Puto equidem literis Ampl. Tuae satisfecisse, et interim fausta » omnia adprecor a Deo. Romae 2. Ian. 1837. »

Et anno 1836. S. C. ediderat sequens Rescriptum: « Ex au- » dientia SSmi.... 1836. Sanctitas Sua, attenta Episcopi Torna- » cen. attestatione, benigne annuit, et propterea mandavit eidem » committi, ut veris etc. pro sua indulgeat facultate... renovandi » religiosam renuntiationem, seu dispositionem post emissam pro- » fessionem de avitis bonis sibi legitime debitis, applicando par- » tem suorum bonorum ab eodem Episcopo... determinari favore » sui monasterii, et quod remanet, ad sublevandam indigentiam » suorum consanguineorum et affinium. Romae etc. »

Et duobus post annis per aliud Rescriptum eidem Episcopo remissum pressius casum nostrum acu tangens eadem S. C. Episc. et Regul. sequens indultum elargita est: « Ex audientia SSmi sub » die 30. Martii 1838. Sanctitas Sua, attenta relatione Episcopi Tor- » nacensis, benigne annuit, ac propterea mandavit committi eidem, » ut etc. attentis narratis pro suo arbitrio et conscientia uti pos- » sit et valeat petita facultate ad quinquennium dumtaxat, in- » dulgendi monialibus in monasteriis suae dioecesis degentibus, » ut cum plena ab Ordinario dependentia bona quae ad ipsas » spectant, vel pervenire iure successionis, alioque legitimo iure » possunt, recipere, retinere, administrare, deque iis contractus » inire, atque in pios honestosque usus, praesertim vero in bo- » num monasterii per actus inter vivos, sive causa mortis etiam » per testamentum disponere possint. Curet autem praefatus Epi- » scopus, ut moniales tantummodo actus huiusmodi emittant, » minime vero implicentur in bonorum administratione, sed ipsam » idoneis personis et praesertim iis, qui curam respectivi mona- » sterii habent, committant, ne ullo modo a regulari observantia » distrahantur. Contrariis quibusque non obstantibus. Romae etc.»

475. Quibus expositis ad ipsius, cuius synopsim dedimus, consultationis calcem gravissimo Emorum Patrum iudicio duo dubia, prout in supplici oblato libello concepta fuerant, sine immutatione proposita sunt, videlicet:

1. « An in statu praesentis disciplinae moniales praedictae » S. Clarae possint consuetudinem servare de reclamanda por- » tione haereditatis, quae ipsis ex lege civili attribuitur?

2. » An possint supradicti in casu parentes (quo vocabulo » denotabantur consanguinei, qui superius petitam haereditatem

» monasterio denegare dicti sunt) tuta conscientia, quando plu-
» ries admoniti fuerint, iura monialis recusare, attenta praeser-
» tim paupertate dictae communitatis? »

Itaque Emi Patres in generalibus comitiis diei 14. Aug. an. 1863. rescripserunt: « Ad 1. Affirmative, salvis, quoad administrationem, » usum et dispositionem, constitutionibus Instituti. Ad 2. Trans-» mittatur ad S. Poenitentiariam. »

Porro S. Poenitentiaria, ad quam secundi dubii resolutio, utpote conscientiae casum praeseferens, amandata fuerat, affirmativam sententiam edere non dubitavit, quam S. Congregationi Episc. et Regul. ex officio significare non omisit.

476. Ex iis, quae paulo ante innuimus, et ex literis S. C. Episc. et Regul. Episcopo Mimatensi perscriptis, et in N. N. *Super successione* modo relatis colligitur, id quod alias non semel S. Poenitentiaria, ac eadem S. Congreg. Episc. et Regul. declaravit, in praesenti rerum statu, vota, quae a monialibus in Galliis emittuntur, veluti simplicia a S. Sede reputari, et, data sufficienti ratione, a votis ipsis Episcopos posse dispensare.

Qua super re iuvat addere dubia ab Episcopo Cenomanensi proposita, ac responsiones S. Poenitentiariae tenoris subsequentis:

1. « An privilegia spiritualia Regularibus concessa, v. g. in-» dulgentiae, nihilominus permaneant?

2. » An votum ingrediendi Religionem Sedi Apostolicae adhuc » sit reservatum?

3. » An Ordinarius super votis a monialibns emissis, data » ratione sufficienti, dispensare possit, voto perpetuae castitatis » remanente?

4. » An de votis virorum idem dicendum sit, ac de votis mo-» nialium, uti videtur?

» Examinatis huiusmodi quaestionibus in signatura S. Poeni-» tentiariae, factaque SSmo D. N. relatione in audientia diei 11. » Decembris 1835., S. Poenitentiaria respondit:

» Ad 1. Sorores monasteriorum Galliae lucrari posse indul-» gentias omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum monia-» lium solemnia vota emittentium secundum Institutum seu re-» gulam respectivam concessae fuerunt, idque ex indulto a SSmo » D. N. Gregorio XVI. confirmato.

» Ad 2. Affirmative; sed votum mulieris, cuius intentio re-» spexerit ad monasteria, prout nunc in Galliis existunt, non est

» reservatum: quia scilicet monasteria eadem a Sede Apostolica, » attentis peculiaribus circumstantiis, non tamquam Ordines vere » ac proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum » aestimantur.

» Ad 3. Ex Sanctitatis Suae declaratione Episcopos Gallia- » rum, rebus sic stantibus, posse dispensare.

» Ad 4. Decreta per S. Poenitentiariam alias edita spectare » solummodo ad moniales. »

Quas resolutiones Emus Card. Poenitentiarius Maior Emo Card. Praefecto S. C. Episc. et Regul. communicavit suis literis diei 2. Ianuarii 1836.

Quod pertinet ad resolutionem tertii dubii, ne quid aequivocum irrepat, recolenda sunt, quae diximus paullo superius in hac appendice *n. 354.*, videlicet quod discrimen ponendum sit inter vota simplicia, quae in Galliis sorores emittunt in Ordinibus antiquis votorum solemnium, et inter alia item simplicia vota, quae sorores emittunt in novellis hisce, de quibus agimus, Institutis: quippe Episcopis a S. Sede concessum est, ut circa prima dispensare queant, minime vero circa secunda.

477. In quodam oppido dioecesis N. exstat religiosa domus virginum Deo sacrarum, simplicia vota ad annum duratura profitentium, quae ab Episcopo Card. Giberto fundata fuerat, ac propriis constitutionibus instructa, quae ab insequentibus Episcopis nedum confirmatae, sed et insuper ampliatae adauctaeque fuerunt. Ad spiritualem sororum dotem quod attinet, si eaedem « ob meram animi levitatem discedere voluerint, aut ob deme- » rita fuerint dimissae, pro primo anno certam alimentariam pen- » sionem persolvant, et anno exacto etiamsi de uno mense, neque » dotem, neque muliebrem apparatum repetendi ius habeant. » Dumtaxat pro primis quatuor annis facultas datur Episcopo, ut partem dotis, quae sibi placuerit, sorori egredienti, vel dimissae restitui sinat. At vero post huiusmodi quadriennium totam dotem irrevocabiliter domui cedere statutum est.

In huiusmodi domum recepta fuerat quaedam puella, quae in dotem tria millia libellarum Mediolanensium attulerat, pactoque per solemne instrumentum fuerat conventum, ut, si eadem puella de monasterio discederet, constitutionum dispositioni standum esset: interim vero alio pacto conveniebatur, ut quingentae ex libellis praedictis in expensas vestitionis ac professionis erogarentur.

Post sexdecim annos eadem ob valetudinis causam e monasterio dicti oppidi discesserat, seseque in monasterium Ursulinarum alio in loco receperat, ibique vota solemnia nuncupaverat. Qua occasione ex decreto dioecesani Episcopi Antistita monasterii eius oppidi duo ex dictis tribus libellarum millibus monasterii Ursulinarum Abbatissae persolverat: adeoque, detractis quingentis, quae in vestitionis et receptionis expensas erogatae fuerant, monasterio dicti oppidi solummodo libellae quingentae relictae fuerant.

At vero puellae frater, qui de suo privato aere memoratam dotem constituerat atque persolverat, silente puella et monasterio Ursulinarum, totam dotem sibi restituendam propugnabat: eaque de re S. C. Episc. et Regul. supplici oblato libello, rem definiendam detulit. S. C., prout in more positum habet, in primis Episcopum, deinceps partes omnes, quarum intererat, in scriptis interrogavit. Post haec consultatio Emis Patribus, typis edita, distributa fuit, cuius haec erat summa:

478. Perpendebatur in primis, non agi in casu de monialibus vota solemnia professis, quae inter Regulares proprie dictos accensentur, adeoque doctrinas, quae sanctimonialium propriae sunt, dicti oppidi monasterio non posse accommodari. Vide Card. de Luca *Disc. 177. num. 9. et 10. de dote*, qui praeterea materiam ad huiusmodi dotes pertinentem fuse tractat *Disc. 77. de Reg.*

At vero, sepositis Doctorum opinionibus, quae diversae pro rerum diversitate vel partium studio comperiebantur, decisiones quaedam S. Rotae Romanae ac declarationes nonnullae tum S. Congr. Conc., tum S. C. Episc. et Regul. afferebantur. S. Rota Romana in *Avenionen. Pecuniaria* 15. Martii 1792. *coram Caccia* docet, sodales e Societate Iesu recuperare singula bona, quae intuitu et contemplatione ingressus eorum in Collegium Societatis ab iis transferuntur. Accedebat exemplum Oblatarum septem dolorum Neapolis, apud quas dotis restitutioni locum esse tradit S. Rota in *Romana Primogenitурae de Caesar.* 13. Ianuar. 1687. *coram Decano, Decis. 12. tom. 15. P. I. Nuperrim.* Quin imo in hac decisione cum ageretur de quadam Oblata monasterii Almae Urbis nomine Turris Speculorum, quae ab eodem egressa fuerat, sacer Ordo pronuntiavit, locum esse restitutioni totius dotis, primo videlicet in scutatis mille, secundo in reliquis tercentum; *Decis. 248. l. c.*

Sequuntur declarationes S. C. Conc., quarum prima est *Bononien.* 14. April. 1725. Res erat ibidem de quadam Laura apud Oblatas Servitas recepta demortuaque, cuius dos in censum data fuerat matri suae, reservatis fructibus ac sorte favore monasterii. Matrem hanc suam haeredem nominaverat Laura, eaque fructus decursos post aditam haereditatem monasterio denegabat. At Sacr. Congreg. resolvit *monasterium agere posse pro fructibus decursis ac non solutis.* Unde deducitur, sortem sine contradictione monasterio relictam fuisse. Monemus, ex folio non colligi, an Oblatae in ea religiosa domo vota simplicia emitterent, vel ibidem convictum agerent sine ulla votorum obligatione. Altera est *Placentina Dotis* resoluta die 14. Ianuar. 1730.; in ea Clara Polli in collegium Oblatarum ingressa, post paucos menses ab emissa votorum simplicium professione ad plures abiit; factoque dubio: *An sit restituenda dos in casu?* S. C. respondit: *Negative.* At contra in *Civit. Castell.* 3. Mart. 1792., in qua agebatur de religiosa domo votorum simplicium (quae vota post duos a professione annos perpetuae evadebant) S. Cong. respondit, locum esse repetitioni dotum favore sororum carnalium de Angelinis, quae de monasterio legitime discesserant.

Ultimo loco afferebatur quoddam Rescriptum ac deinceps duae literae S. Congr. Episc. et Regul. ex authenticis eiusdem S. Congr. libris per me excerptae. Rescriptum datum erat diebus 1. ac 16. Decemb. 1758., ac Episcopo Comensi directum, cui praeter alia iniungebatur, quod *collegium teneatur dotes ab eis* (sororibus, quae de collegio aufugerant) *perceptas, necnon mobilia existentia in earum cubiculis restituere.*

Literarum prima scripta erat Episcopo Assisiensi anno 1772., cui S. C. significabat, petitam veniam sese non posse elargiri, ut dos ab una e sororibus tertiariis in collegium allata absque onere reintegrationis posset in eiusdem domus necessitates expendi; et ratio adducebatur *ne detrimentum pateretur puella, si forte e conservatorio discederet, eique dotem restituere oporteret.* Cumque sorores iterum enixius institissent, S. C. unum ex parvis censibus, qui exiguum sane conservatorii patrimonium conflabant, alienari maluit, addito reintegrationis onere, quam dotis ad puellam pertinentis consumptionem sine onere huiusmodi permittere.

479. Alterae literae datae erant Vicario Capitulari *Ferrarien.* die 16. Ian. 1772., quas latine redditas per omnem partem exhi-

bemus : « Ad literas a te S. C. Episc. et Regul. datas, quibus te » edoceri cupis, quomodo gerere te debeas circa Oblatas, quae » frequenter egrediuntur e conservatoriis et collegiis, sive Ordi- » nario sive Praelato regulari subiectis, dotemque sibi restitui » contendunt in ingressu vel a consanguineis, vel a locis piis » dotalium subsidiorum titulo persolutam, Emi Patres tibi rescribi » mandarunt, ut hisce in casibus normam sumas ab Instituto » et constitutionibus legitime approbatis cuiuscumque conserva- » torii et collegii. Quando vero eaedem congruam regulam non » suppeditant, in primis animadvertendum tibi est, an Oblatae vel » Tertiariae adstringantur aliquo voto vel iuramento permanendi » in conservatorio vel collegio, e quo egredi volunt, quo quidem » in casu, cum speciale a S. Sede indultum impetrandum sit, ad » eamdem S. Sedem declarare pertinet in singulis casibus, num » dotis restitutioni locus sit, necne ; et an ipsa dos restituenda » sit puellae discedenti, an locis piis, quae subsidia dotalia per- » solverunt. Quod si nulla perseverantiae lege adstringantur, per- » pendendum tibi est, huiusmodi conservatoria sine clausurae lege » solummodo a S. Sede tolerata, minime vero probata censeri iu- » xta celebratam Constit. s. m. Pii V., adeoque hisce in casibus » decisio pendet ab ordinariis contractuum legibus, idque ita in- » telligendum, ut dotalia subsidia a locis piis persoluta non sint » Oblatis tradenda circa proprietatem, sed iterum iisdem locis » piis recidere debeant. Haec tibi significanda erant, et in Do- » mino valeas. »

Quibus in consultatione memorata praestitutis, sapientissimo Patrum Emorum iudicio dubium die 14. Aug. 1863. proponebatur: *An et quomodo partiali vel totali dotis restitutioni locus sit in casu?* Iidem Patres rescripserunt: *Provisum per decretum Episcopi*, quod superius innuimus *n. 477. v. Post sexdecim. (p. 338).*

480. Sequitur nunc causa N. N. *Super nonnullis Episcopi postulatis quoad duo suae dioecesis monasteria sanctimonialium virginum.*

Ex voto R.P.D. Consultoris haec, quae sequuntur, colligere erat:

Cum laica potestas duo monasteria Benedictinarum in civitate N., alterum Franciscanarum in civitate N., restitui permisisset, Ordinarius quasdam instructiones a S. C. Episc. et Regul. expostulavit circa conditiones a laica potestate appositas, nempe: « 1. Ut in monasteriis publicae pro puellis scholae habeantur.

2. Ut postulantes habitum induant religiosum tantummodo postquam viginti annos attigerint, vota solemnia (ita improprie vocata) per triennium post annos viginti et unum emittant, in perpetuum vero eadem nuncupent post annos triginta tres. »

Cum vero huiusmodi dispositiones universim in regno, in quo eadem monasteria sita erant, observarentur, neque aliter se res habere possent, idem Ordinarius provisiones quasdam precario iniit, cum praesertim magnae religioni utilitati haec monasteria futura esse dignoscerentur.

481. Itaque quinque dubia condita sunt, quae sequuntur:

*Primum* versatur super facultate retinendi publicas scholas, et clausuram ad hoc opus moderandi. S. C., habita horum temporum ratione, pluribus asceteriis, quae recensentur inter contemplativa, permisit, ut publicas haberent scholas, et nominatim in *Placentina*, de qua postea. In eo regno educatio puellarum committebatur masculis ludimagistris; cui incommodo consultum foret, si petita facultas concessa fuisset. Ad hoc autem necesse erat, ut clausura iuxta hunc finem temperaretur.

482. *Secundum* versatur circa chori et officii divini obligationem. Porro haec lex, seu potius consuetudo universalis, quae monachas ad horas canonicas obligat, potest afficere moniales professas, non autem eas, quae voto simplici temporaneo adstringuntur. Sed tantum eaedem ad hoc obligatae censentur, ut communitatis ordini sese conforment, quae causa cessat, si illae in scholis regendis sint occupatae. Cum tamen in hisce monasteriis eae reperiantur, quae iam vota solemnia potuerunt emittere, ratio postulat, ut cum alteris dispensetur circa onera, quae grave nimis efficerent scholae munus et regulae observantiam. Dubitatur autem, num Superiores regulares huiusmodi dispensationis dandae privilegium obtineant (Cfr S. Liguori *Theol. Moral. lib. 4. n. 63 et 142*). Concedunt communiter Doctores, quod Praelati, etiam inferiores, possint ex causa, puta studiorum et simili dispensare, sicut in aliis observantiis cum suis subditis, ut non recitent officium; in nostro tamen themate non agitur de casu speciali, sed extraordinario, et in quo plures sanctimoniales ex regula deberent hoc vinculo liberari.

483. *Tertium* agit de novitiatu coercito ad annos a laica potestate praescriptos. Iamvero non posset Ordinarius huic rei sese opponere, nisi cum offensione laicae potestatis, et detrimento in

damnum animarum profecturo. Ceterum instituta votorum simplicium nostris temporibus non amplius difficultatem ingerunt.

Agitur etiam de ritu in professione servato; namque penes dicta monasteria adhibebatur in emittendis simplicibus votis formula votorum solemnium iuxta Pontificale Romanum. Indecens vero est, eas solemnitates usurpare, quae pro solemnibus votis praescribuntur.

484. *Quartum* quaerit, quoadusque huiusmodi vota obligare possint; praesertim cum iuxta intentionem voventis sint perpetua, quamvis extrinsecus sint ad tempus. Quod profecto efficit, ut vota sint plane simplicia reputanda. Ceterum esset, si non mendacium, saltem indecens simulatio, quod vovens aliud verbis, aliud animo intenderet. Nihilominus aequum esse videbatur, ut omnia indulta, gratiae, privilegia, quae monialibus propria sunt, iisdem communicarentur.

485. *Quintum* agit de tempore emittendi vota. Ait enim Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 16. de Regul.:* « finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant. » Id vero patitur exceptionem in Societate Iesu et pro Regularibus per id tempus ducatus Hetruriae.

486. In Congregatione diei 2. April. 1841. sequentia dubia proposita sunt:

1. « An duobus monasteriis dioecesis N. N. permittendum sit, » ut publicam pro puellis scholam habere prosequantur, adeoque » facultates Episcopo tribuendae sint pro clausura ita moderanda, » ut necessarius ad eas scholas accessus minime prohibeatur?

2. » An facultates in eodem casu Episcopo tribuendae sint » pro moderandis aliis utriusque respective Instituti observatio- » nibus ita, ut compatibiles sint cum novo docendi ministerio, » et praesertim quoad peculiares sanctimoniales scholis addictas, » an permittendum sit, ut in diebus, quibus scholae patent, di- » spensatio et commutatio circa obligationem divini officii iis » concedatur?

3. » An circa novitiatum et admissionem ad prima vota trienna- » lia possit Episcopus sese conformare gubernii praescriptionibus; » et an conveniat, ut in recipienda professione dictorum votorum » utatur ritu Pontificalis idest eo ritu, quo Episcopi utuntur in » recipiendis professionibus votorum solemnium?

4. » An haec vota triennalia in conscientia et intentione voventis debeant eamdem obligare in perpetuum, et an eam constituant in statu verae Religiosae? Et quatenus haec perpetuitas excludi debeat, quid dicendum sit de illis monialibus, quae praeterito tempore ea vota emiserunt cum intentione sese in perpetuum obligandi?

5. » An post dicta vota triennalia, quae quolibet triennio renovari queunt, debeant sanctimoniales admitti ad professionem solemnem votorum perpetuorum, et an in hac re exspectare conveniat, ut triginta tres anni compleantur iuxta gubernii praescriptionem? »

Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. Affirmative iuxta decretum in *Placentina* 18. Iulii 1834., et iuxta Rescripta alias edita.

» Ad 2. Affirmative in omnibus, arbitrio et prudentiae Episcopi.

» Ad 3. Ex gravibus causis affirmative, donec aliter a S. Sede praescriptum fuerit, non servato tamen ritu pro professionibus votorum solemnium adhibendo.

» Ad 4. Vota ad triennium emissa non esse solemnia, nec expedire, ut piae illae virgines, dum verbis triennalia illa pronuntiant, animum habeant obligandi se votis perpetuis. Quodsi earum aliqua illum habuerit, recurrat Episcopus ad S. Poenitentiariam, si eidem vel dispensationem vel commutationem votorum cum interna illa voluntate peractorum, licet verbis triennalia nuncupaverit, impertiendam censeat. Supplicandum autem SSmo, ut, licet moniales, de quibus agitur, Religiosae non sint veri nominis, velit benigne easdem participes decernere omnibus gratiis et favoribus spiritualibus, quibus potirentur, si professae solemnium fuissent.

» Ad 5. Affirmative, peracto tamen novitiatu ante solemnem professionem, facta vero facultate Episcopo reducendi illum saltem ad tres menses, si ita in Domino expedire censuerit.

» Et facta a me infrascripto S. C. Episc. et Regul. Subsecretario relatione etc. Sanctitas Sua resolutionem S. C. quoad 1. 2. et 3. dubium in omnibus approbavit; quoad vero 4. iussit post verba *supplicandum SSmo* substitui sequentia: – ut moniales, de quibus agitur, dignetur participes decernere gratiis et favoribus spiritualibus, ac si votorum solemnium professionem emisissent.– Relate autem ad 5. dubium, loco clausulae: *peracto tamen no-*

» *vitiatu*, mandavit aliam substitui, nempe: *peractis spiritualibus* » *exercitiis per tempus Episcopo bene visum*.- A. Bizzarri, Subsecr.»

487. Sequitur Rescriptum in *Placentina* diei 18. Iulii 1834., de qua in resolutione ad primum dubium. Idem nos superius retulimus in hoc capite *n. 93.*, sed hic ad maiorem lectoris commoditatem repetitum damus. « S. C. pariter annuit, ut loco se» parato a clausura scholae erigantur pro illarum ( puellarum ) » instructione atque educatione, in quibus magistrae deputentur, » ut eisdem dent operam sub immediata obedientia Ordinarii » et dependentia Superiorissae, cui, aut uni vel alteri ex monia» libus ab eadem designandis sit facultas concedendi veniam egre» diendi a clausura tempore necessario, cum dispensatione hora» rum canonicarum, ut iisdem scholis invigilent easque dirigant. »

In alia circumstantia adhibitum est sequens Rescriptum: « S. C. » annuit, ut moniales externae puellarum institutioni vacare pos» sint, atque ideo permittit, ut duae moniales a Superiorissa de» putandae a clausura egredi, atque diebus et horis assignatis » in scholis versari possint, iterum in clausuram reversurae. »

## CAPUT SEXTUM.

### De sexto relationis capite pertinente ad Seminarium.

« I. Quot sint in seminario alumni?
» II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur?

Summarium. 1. De formali seminariorum statu agendum suscipitur. – 2. In hoc capite Benedictinae Instructionis ordini non adamussim per omnia inhaerebitur. – 3. Quae cautiones adhibendae sint ab Episcopis in seminariis, quorum ad scholas admittuntur adolescentes externi. – 4. Interest perquam maxime puerorum institutioni invigilare. – 5. Ecclesiastici adolescentes ad vitam ecclesiasticae professioni consentaneam, et sacras scientias informari debent. – 6. In quo potissimum situs sit ecclesiasticae disciplinae finis, docet S. Carolus Borromaeus. – 7. Ad hunc finem consequendum conducunt seminariorum constitutiones, necnon moderatores et magistri. – 8. Ex Ecclesiae instituto quaelibet communitates specialibus suis constitutionibus instrui debent. – 9. 10. 11. Norma pro concinnandis seminariorum constitutionibus a S. Carolo Borromaeo desumi potest, itemque a Crispino, ex quo nonnulla decerpuntur. Alumni prius admittendi de dioecesi sint; iidemque duodecim annorum (quae dictio

accuratius enucleatur) et ex legitimis nuptiis, quin suffragetur hunc in finem legitimatio per subsequens matrimonium. – 12. Sciant legere ac scribere; sint pauperes at non mendici. – 13. In admissione eorum quae cavenda sint. – 14. 15. Singulis mensibus confiteantur et Eucharistiam sumant; in anno bis aut saltem semel spiritualibus vacent exercitiis iuxta methodum S. Ignatii de Loyola. – 16. De aliis pietatis operibus. – 17. Quolibet anno vacationes alumnis concedantur, et rusticationis domus comparetur: cavendum vero, ne interim nimio torpescant otio. – 18. Si rusticationis domus haberi nequeat; qua ratione invigilari debeant, edocetur. – 19. In aliquibus Synodis, ac nominatim in Romana anni 1725. sancitum est, ut ordinandi saltem per sex menses in seminario detineantur. Ubi huiusmodi sanctio invecta est, quomodo se gerere debeant Episcopi. – 20. De quaestione, an alumni gratis admissi seminario expensas reficere debeant, si Ecclesiae castra deserant. – 21. Triplex efficitur hypothesis. – 22. Si in fundatione locorum gratuitorum nulla conditio fuerit prorsus adiecta, negative respondetur. – 23. Aliter sentiendum, si adsit dispositio synodalis aut legitima consuetudo, ut expensae restituantur. – 24. 25. Item restituendas esse, si id in fundatione seminarii vel in erectione locorum gratuitorum cautum fuerit, colligitur ex resolutione duarum peculiarium causarum. – 26. Loca gratuita plerumque iuripatronatus activo et passivo obnoxia sunt, et idcirco iuxta illud conferuntur. Affertur species causae *Spoletanae*. – 27. 28. Item et *Montisfalisci* ac *Ferentin*. – 29. S. C. Conc. in suis responsionibus ad relationem de statu inculcat, ut in seminario loca statuantur, quibus adolescentes pauperes, nulla vel modica soluta pensione, enutriantur. – 30. De alumnorum confessario; quam in suo fungendo munere rationem hic tenere debeat. – 31. Confessarii munus cum munere rectoris ne cumuletur. – 32. De rectore; quibus ipse facultatibus praeditus esse oporteat. In quo consistere debeat eiusdem officium. – 33. Episcopus rectorem aliosque moderatores eligere nequit sine consilio deputatorum, quod audire tenetur, minime vero sequi. – 34. Rectoris electio ad Religiosos pertinet, si his seminarii regimen creditum fuerit. – 35. De quaestione, an expediat, seminaria dioecesana religiosis institutis regenda tradere. Sunt qui negant; sunt qui affirmant. – 36. Quando vero hac de re Sanctam Sedem adire expediat, rectius videtur prudenti Episcoporum iudicio relinquere. Nam ceteroquin Ordinario pro huiusmodi traditione Apostolicum beneplacitum intercedere debet, eaque praesertim tenenda conditio, ut Episcoporum iura, quoad fieri potest, sarta tecta remaneant. – 37. Exempla seminariorum Regularibus traditorum innuuntur. – 38. S. C. C. in *Viglevanen.* declaravit, alumnos a rectore regulari nominandos approbari debere ab Episcopo. Redituum exactionem et administrationem non spectare privative ad Episcopum cum deputatis, sed faciendam cum participatione, consensu et mandato

Episcopi. Religiosos teneri rationem reddere coram Episcopo et deputatis. Episcopum ac Vicarium Capitularem posse pro lubitu seminarium in spiritualibus ac temporalibus visitare; magistros non indigere approbatione Episcopi vel Vicarii Capitularis. Religiosos non teneri restituere proventus pro tempore, quo seminarium clausum stetit; posse eosdem alumnos non dioecesanos admittere, sed cum Episcopi licentia. – 39. De seminariis, quae speciatim Societati Iesu tradita fuerunt. S. Congr. in *Americana* annuit pro facultate seminarium eidem tradendi, sed alumnos nominandos ab Episcopo, et seminarium esse debere sub patrocinio, protectione et subiectione Episcopi. – 40. De seminario *Albanen.* sodalibus scholar. piar. tradito, deque conditionibus appositis. S. C. rescripsit, ab iisdem reddendam esse rationem convictus seminarii, et edendos esse libros, de quibus agebatur. – 41. Eadem S. Congr. in *Conimbricen.* declaravit, constare de seminarii libertate, nec esse locum exercitio functionum ac iurium parochialium. – 42. Pluries etiam in S. C. Episc. et Regul. de seminariis agere contigit. Refertur facti species causae *Parmen.*, in qua parochus iurisdictionem suam in seminario Barnabitis tradito exercere contendebat. – 43. S. C. parochi petitionem admisit salva sanctione Conc. Trid. et Constit. *Circumspecta.* – 44. Affertur locus modo allegatus Concilii Tridentini et Constit. *Circumspecta.* – 45. Indulta a S. Sede concessa Maristis et Sulpitianis circa seminaria sibi regenda tradita. – 46. Refertur facti species causae *Setinae* inter parochum et presbyteros Societatis Iesu. – 47. Qui fuerit huiusce causae exitus. – 48. De causa Lucana *Exemptionis* penes S. Cong. Conc. – 49. Dubiorum propositio ac resolutio.

1. In nona paragrapho primi capitis (vol. I. pag. 119. sqs.) multa de hoc seminariorum argumento praeoccupare debuimus. Quemadmodum vero eo loco, quo generatim de materiali ecclesiarum locorumque piorum statu egimus, speciatim locuti sumus de seminariis materialiter consideratis, ita etiam et hoc loco, quo de formali earumdem ecclesiarum statu agimus, speciatim quoque de seminariis formaliter consideratis disserere nos oportet. Parum profecto foret a fundamentis seminariorum molem exstruere, ibique commoditates omnes apte disponere, quae sive ad habitationem, sive ad gymnasia aliaque huiusmodi pertinent, nisi eadem providentia et consilio interiori huiusce communitatis formae consuleretur, sapienti ea instituta regiminis ratione, qua alumni sub moderatorum suorum ductu finem propositum consequi possint. Haud absimilis est hominis ratio, cuius corpori tametsi decus inest ac pulchritudo, sive mirificam membrorum dispositionem,

sive oris venustatem spectes, attamen nisi vitae spiraculum eidem accedat, anima nempe, quae membris motum imprimit, et mirifica humani ingenii portenta excitat, nihil superest, nisi cadaver exanime, marmoreae vel ligneae statuae simillimum.

2. Iamvero antequam ad hanc materiam propius accedamus, illud monitum volumus, quaestionibus hoc in capite iuxta ordinem Benedictinae Instructionis propositis ita adamussim aliquatenus nos instituros, ut nonnulla ante praelibemus, quae postea attingi deberent, itemque ne subiectam huius capitis materiam nonnumquam paulo latius evolvamus, quam certi statique eius limites pati videantur. Id enim cum maiori ordinis claritati, tum pleniori rerum tractationi dubio procul inserviet; ex quo facilem nobis huius licentiae veniam a benigno lectore adpromittimus.

3. Illustratione vacat prima paragraphus, in qua inquiritur, quot numero sint in seminario alumni, ceu quisque videt. Nihilominus non abs re hic fore censemus, si pauca de alumnis internis et externis moneamus. Aliquando siquidem accidit, ut ad gymnasia alicuius seminarii clerici admittantur, qui in civitate penes proprios, aliorumve privatorum lares inhabitant. Id quidem Episcopos sine magna aliqua ratione permittere non debere S. C. C., in suis ad eos literis animadvertit; externorum enim commercium nonnisi saeculi habitus evagationemque cum interiorum adolescentium animis communicat. Quando vero sive ex conventione cum municipio, uti alicubi accidit, sive ex antiquissima consuetudine, aliove quocumque necessario titulo a seminarii gymnasiis clericos civitatis excludere non datur, tum S. C. solet Episcopis maximam vigilantiam cautionemque inculcare, ne quid exinde detrimenti clerici in seminario commorantes ullimode patiantur; idque praesertim veluti legem servari mandat, ut clerici externi sive in gymnasiis, sive in ecclesia (quando ad consuetas alumnorum preces conveniant) separata subsellia occupent, et ita, sive stant, sive moventur, segregati sint, ut nullum cum internis alumnis sermonem interserere, multoque minus literulas clanculum dare, aut salutationes aliaque mandata forinsecus peragere unquam valeant, adiecta poena, ut, qui hanc in partem peccaverint, a seminarii liminibus ad tempus, vel perpetuo iuxta peccati gravitatem arceantur.

4. Quod pertinet ad secundam paragraphum, in qua disquiritur, an alumni in ecclesiastica disciplina recte instituantur, celebris

est ac verissima illa Venusini poetae sententia: « Quo semel est » imbuta recens, servabit odorem testa diu; » congruit enim cum testimonio divini Spiritus, qui *Prov. 22. v. 6.* ait: « Ado- » lescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab » ea. » Itaque providentissima mater Ecclesia filios suos, qui in sortem Domini vocantur, quanta maxima diligentia potest, a primis unguiculis bonitatem, disciplinam et scientiam edoceri curat. Huc porro pertinet seminariorum institutio, legesque saluberrimae in mirifico illo decreto Conc. Trident. *Sess. 23. cap. 18. de Reform.* sancitae pro recto eorumdem regimine; huc pertinet tanto studio Episcopis inculcata sollicitudo ac vigilantia, ut clerici in disciplina ecclesiastica instituantur, prout enuntiat Benedictinae instructionis haec, quam aggredimur, paragraphus.

5. Porro ecclesiasticae disciplinae institutio duo habet capita; unum vitae rationem ecclesiasticae professioni consentaneam respicit, alterum scientiarum facultates, quibus imbui debet is, qui Ecclesiae ministeriis exercendis sese mancipabit. De hoc secundo capite iuxta instructionis Benedictinae ordinem in sequenti paragrapho tertia specialiter agendum est. Nunc de primo.

6. Quem ad finem in ecclesiastica disciplina seminariorum alumni debeant informari, et in quo finis idem situs sit, perbelle tradit S. Carolus Borromaeus (*De sem. inst. p. III. c. 1.* apud Bened. XIV. *Instit. eccl. 59. num. 2.*): « Sunt igitur ea potis- » simum de causa seminaria erecta, ut in iis boni strenuique » operarii ad curationem animarum, quas suo pretiosissimo San- » guine Christus redemit, instituantur, et ii quidem adolescentes » (qui ob aetatem, cum tenera sit et proclivior ad voluptates, » et flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas, » in operibus virtutum erudiri debent), ut eam vitae perfectionem » adipiscantur, quae in iis, qui doctores populorum futuri sunt, » elucere debet, et severioribus disciplinae legibus coercendi. » Et sane Tridentini Patres disertissime caveri voluerunt, ut in seminaria illi tantum recipiantur, « quorum indoles et voluntas » spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservitu- » ros. » Atque adeo ex eorumdem Patrum mente uno verbo ea omnia dirigantur, « ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum » seminarium sit ». Quae quidem loquendi ratio adeo valuit, ut in posterum huiusmodi collegia clericalia nomen hoc seponerent, ac proprie seminaria vocitarentur. Quocirca iuxta inolitam in

praesens loquendi formam discrimen magnum positum est inter collegia laicalia et seminaria dioecesana: in illis enim satis est, ut adolescentuli ad probitatem catholico viro (quoniam catholici sumus) apprime dignam, ac bonas artes severioresque disciplinas condoceantur; in his illud praeterea poscitur, ut sacerdotalis professionis studium et habitudinem induant, unaque sacras eas addiscant disciplinas, quae ad multiformia catholicae fidei ministeria necessariae sunt et perutiles.

7. Iamvero ut finem hunc facile ac tuto quis consequi possit, duo potissimum requiruntur, nimirum certa legum et institutionum ratio, qua seminarii regimen stabiliter ac perpetuo gubernetur, ac dein moderatorum creatio et constitutio, qui legum institutorumque illorum observantiam scite et efficaciter urgeant.

8. Ad primum quod attinet, ea est ecclesiasticae disciplinae consuetudo, ut, ubi aliqua multorum capitum communitas coalescat, ibi peculiarium constitutionum corpus redigatur, ac perpetuo servandum demandetur. Suas proprias ex Ecclesiae praescripto constitutiones habent regularium virorum Religiones, suas monasteria sanctimonialium, suas Capitula cathedralium ac collegiatarum, suas laicorum piae sodalitates. Suas itaque habeat etiam clericorum seminarium; id enim diserte praescripserunt Tridentini Patres his verbis: « Quae omnia atque alia ad rem » opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum » canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout » Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque, ut semper ob» serventur, saepius visitando dent operam. » Quibus ex verbis colligitur, Episcopos in conficiendis seminarii constitutionibus duorum horumce deputatorum consilium adhibere debere, ceu diserte declaravit S. C. Conc. in *Salernitana* Iulii 1589. *Lib. 6. decret. pag. 22. ad secundum*, quam per extensum mox dabimus; quamvis non omittendum, Episcopum non teneri ad eorum consilium sequendum, veluti modo ostendemus.

9. Qui concinnandis seminarii constitutionibus manum apponit, rectissimas sanctissimasque normas mutuari poterit a S. Carolo Borromaeo *de inst. seminarii*, si praesertim Patrum Tridentinorum menti velit inhaerere. Nemo siquidem alius eorumdem mentem penitius assecutus est et expressit, quam sanctissimus ac sapientissimus ille vir, qui tantam in admirabili illo consessu fovendo ac sollicitando, postquam inceptus iam fuerat, partem obtinuit.

10. Sed enimvero summis veluti labiis aliqua degustabimus ex Crisp. *Vis. past. p. II.* §. *31. a num. 10. et seq.* potissimum excerpta, quae ita se habent.

11. Qui alumni in seminarium recipiuntur, ex civitate ac dioecesi ii sint, ac peculiariter ex illis oppidis, quae piae seminarii aedi aliquem proventum afferunt sive titulo contributionis, sive alia quacumque legitima causa. Ex Tridentino Concilio ad minimum duodecim annos nati sint.

Quod pertinet ad hanc Patrum Tridentinorum dispositionem circa aetatem duodecim annorum, quaeri potest, an dictio *ad minimum* ita accipienda sit, quod pueri intelligantur aetatis ante annum duodecimum, ita ut illud verbum aequivaleat particulae *saltem*, ceu aliquando fit penes latinos, ac finem significet, ultra quem pueri nequeant admitti; an contra pueri, quorum aetas excedat duodecimum annum, accipi debeant, et ea dictio *ad minimum* exprimat principium, ex quo aetas computanda sit. Prima opinio ex eo suaderi videtur, quod Concilii Tridentini Patres alumnos excipi praeceperint a *teneris annis*, quando vitiorum habitus eos nondum possederit. At si ultra duodecimum annum alumni admittantur, iam praetergressa erit aetas, in qua innocentia, ut plurimum, evanuerit, et malitiae aditus patefactus sit. Non ita pridem huiusmodi quaestio S. Congr. Conc. resolvenda delata est in *Tarentina Alumni semin.* 6. Maii. 1865. *per sum. prec.*, in qua, cum Metropolitanum Capitulum ius obtineret eligendi duos alumnos in seminario dioecesano Tarenti ad duo gratuita loca perfruenda, unusque locus ex hisce duobus vacasset, plures pueri eligendi sese obtulerunt, unus nempe annorum tredecim, alius annorum novem, alius octo, aliique minoris etiam aetatis. Itaque canonici Tarenti S. C. sciscitati sunt, an in urnam electionis is tantummodo, qui tredecim annos attigerat, foret immittendus, an vero etiam reliqui. Porro Eminentissimi Patres rescripserunt: *Servetur dispositio Conc. Trid.*, mihique aliunde innotuit, eam fuisse Eñorum Patrum mentem (quamvis non deessent aliqui cordati viri, qui aliter autumarent), ut verbum *ad minimum* intelligendum esset iuxta sensum secundae opinionis, idest, quod illi, qui annum duodecimum non attigissent, ab urna excludi plane deberent.

Hanc utique sententiam expresse tenet Frances *De eccl. cathed. cap. 18. n. 57. ac n. 132.* Quin imo eam adprobasse vi-

detur S. Carolus Borromaeus *Inst. sem. Acta Eccles. Mediolan. p. V.*, ibi enim aetatem determinans, qua iuvenes admittendi sunt, incipit ab anno quintodecimo, in quo pueri grammaticae addiscendae ordinarie idonei censentur. Tantum aberat, ut eos, qui subter aetatem duodecim annorum habiles esse duceret ac vellet, qui in seminaria Mediolanensi provinciae subdita recipi possent!

Moneri tamen debet, ea, quae modo dicta sunt, coercenda esse ad seminaria clericorum gratis alendorum, quae pro necessitate ecclesiarum iuxta mentem Patrum Tridentinorum (*Sess. 23. cap. 18. de Reform.*) erigi debent, minime vero extendenda ad alia collegia, ex. gr. ab aliquo pio fundatore constituta pro puerorum institutione, licet hi habitu clericali incederent. Hoc enim in casu (si videlicet nullam aetatem speciali lege testator praefinivit) quamlibet aetatem sufficere, dummodo aptam ad addiscendum, tenuit Rota in *Decis. 296. p. X.* et *Decis. 84. p. XI. Recent.* Dubium erat, an iuvenes *Asconae supra decem annos sint admittendi.* Vid. *Decis. 296. in princ.* Iamvero *dixerunt domini* (*ibi n. 5.*) *admittendos esse pueros et iuvenes Asconae in quacumque aetate habiles ad omnes literas addiscendas*, ibique retinendos usque dum doctoris gradum possent assumere. Quae decisio confirmata fuit in dicta *Decis. 84. num. 2. et seq. part. XI.*

Attamen omnino oportet, ut nati sint ex legitimo connubio. Neque suffragaretur, quod filii illegitimi legitimationem acquisivissent; nam de spuriis declaratum hoc fuisse a S. C. Conc. tradit prae aliis Gallemart ad *Sess. 23. cap. 18. num. 5.* et Pax Iord. *Var. eluc. tom. 2. lib. 7. tit. 4. num. 9.* apud S. Congr. Conc. in *Nullius Dispens.* 16. Iul. 1836. §. *Summus (in fin.).* Idipsum S. C. de adulterinis confirmavit in hac ipsa *Nullius*, cuius haec species erat: Vir quidam, constante adhuc matrimonio cum uxore sua, tres filios adulterinos ab alia muliere susceperat. Uxore demortua, idem vir mulierem hanc in secundas duxerat nuptias. Cum igitur tres eos filios regali decreto quamvis adulterinos, uti legitimos haberi impetrasset, enixe contendit ex dispensatione sibi concedi, ut in seminarium clericorum ad catholicam educationem obtinendam cooptarentur; at vero, re discussa die 13. sequentis Augusti, S. Congr., tametsi moderatorum seminarii accederet suffragatio itemque ipsius Episcopi amica sententia, responsum negativum praebuit.

12. Ex Trid. Synodo alumni, cum recipiuntur, competenter legendi et scribendi facultate praediti sint. Quamvis autem ditiorum hominum filii excludi non debeant, modo suo sumptu alantur, et Deo Ecclesiaeque inservire maluerint, nihilominus pauperum filii praecipue sunt eligendi; in quo paupertas confundi non debet cum mendicitate: mendicos siquidem non admittebat S. Carolus Borromaeus (*Inst. sem. p. I.* §. *Omnia*), veluti animadvertit Ioan. de Ioanne *Hist. semin. cap. 10.*

13. In recipiendis alumnis « maxima cautio (verba sunt S. Ca» rol. Borr. *loc. cit.*) adhibenda est; neque solum ingenium et » habilitas ad studia literarum functionesque ecclesiasticas exer» cendas spectetur; sed multo magis morum ac disciplinae in » singulis ratio habeatur: quales enim ii fuerint, qui admitten» tur, tales prorsus e seminario fructus existent. »

14. Alumni singulis saltem mensibus confessario peccata sua confiteantur, et iuxta eiusdem iudicium ad sacram Synaxim accedant. Antequam annuum studiorum curriculum inchoetur, et, quoad fieri potest, medio etiam anno saltem per pauciores dies, alumni spiritualibus exercitiis operam dent, a studio interim feriati, ac piis commentationibus dumtaxat intenti. Super detinendis alumnis in hoc spiritualium exercitiorum secessu adest praescriptio s. m. Clementis VIII. in Apostolicis Literis incip. *Ea semper fuit* 23. Iunii 1592. §. *2.*, et hanc ad rem idem Pontifex indulgentiarum etiam thesauros aperuit, ut videre est §. *4.* Hasce Apostolicas Literas affert doctissimus Theiner in opere. *Il seminario ecclesiastico, o gli 8 giorni (in Append. pag. 29.) Roma Coll. Urb. 1834.*

15. Ceterum valde exoptandum est, ut in spiritualibus exercitiis peragendis admirabilis illius libri ratio adoptetur, quem S. Ignatius composuit Sedis Apostolicae iudicio et omnium utilitate comprobatum.

16. Quolibet mane antequam ad pluteum, studio vacaturi, considant, congruo temporis spatio mentem suam pia aliqua meditatione exerceant, sacrum Missae Sacrificium audiant et parvum B. M. V. officium publice recitent. Post prandium et coenam (quo tempore lectio alicuius libri praesertim sacri non omittatur) SS̃mum Eucharistiae Sacramentum, brevi saltem tempore, adoraturi conveniant. Quando vero angustia temporis minime prohibeat, aliquod temporis spatium alicui ex iis piis libellis legendo

consacretur, qui ad spiritum in via salutis dirigendum et studio pietatis inflammandum inserviunt et vulgo *ascetici* appellantur.

17. Singulis annis post confectum anni scholastici curriculum aliquod temporis alumnis concedatur, quo animum ab exantlatis laboribus relaxare, viresque vegetiores ad novi anni labores suscipiendos recipere valeant. Quoad fieri potest, enitendum est, ut domus rusticationi huic addicta praesto sit. Quam in rem instat, data opportunitate, S. C. in literis, quas Episcoporum relationibus rescribit: et si quando comperiat ex his, domum hanc ab eis comparatam fuisse, non omittit eisdem significare, rem hanc sibi ita gratam accidisse quam quod gratissimum. Sed enimvero cautissime providendum est, ne feriarum tempore ita otio torpeant, ut vitiis, quae ex illo enascuntur, indulgeant: quod assequi facile fuerit, si animi recreationes cum aliqua occupatione ita temperentur, ut nullum temporis spatium relinquatur otiosum et vacuum.

18. Si tamen ob peculiares difficultates domus haec non suppetat, et fieri nequeat, quin alumni ad suas quisque domos, volvente vacationum tempore, dilabantur, ibique demorentur, tum diligentissime praecavendum est, ut a vicario foraneo, aut parocho, vel alio aliquo sacerdote ex Episcopi speciali mandato invigilentur, eo nempe consilio, ut vitam seminarii alumno minime dissentaneam semper et ubique servent. Quapropter in seminarium haudquaquam recipiantur, nisi testimonialem vicarii foranei, parochi aut delegati sacerdotis fidem de vitae ratione, uti par est, exacta fideliter exhibeant. Crisp. *loc. cit. Vis. Past. p. II. §. 31. n. 28.* formulam literarum affert, quas S. Carol. Borromaeus scribere solitus erat parochis, dum alumnos ad suas quosque domos demittebat. Ibi porro praescribitur, et ordine disponitur, quidquid alumni praestare eo temporis intervallo deberent, de quo a parochis ipsis testimonium perhibendum erat, cum ad seminarium iidem reciperentur.

19. Nec alienum ab hoc loco putamus animadvertere, quod Bened. XIV. habet *de Syn. dioec. lib. XI. cap. 2. n. 11. et 12.*, complures videlicet esse synodales constitutiones, quibus praescribitur, pluresque adesse dioeceses, ubi pro lege observatur, ut sacri Ordines nemini conferantur, qui vel multos annos, vel saltem definitum aliquod temporis spatium in seminario non transegerit. Inter huiusmodi Synodos silentio praeteriri non debet

Conc. Romanum anni 1725., in quo, innovato capite Concilii Turonensis anni 813., ita statuitur *Tit. 50. c. 2.*: « Omnes ad » sacros Ordines promovendos per sex saltem menses continuos » ante ordinationem in seminariis respective, vel episcopiis apud » Episcopos omnino, sacro hoc etiam approbante Concilio, com- » morari debere decernimus: alias nunc pro tunc ab Ordinibus » suscipiendis reiectos esse sciant, nec cum eis nisi prudenti Epi- » scoporum arbitrio dispensandum. » Consulatur Ioan. de Ioanne *Hist. sem. cap. 6. n. 15. et seq.* « In iis itaque (sequitur Ben. XIV. » *l. c.*) dioecesibus, in quibus seminarium adest, et lex ista iam- » pridem inducta dignoscitur... satis erit Episcopo huiusmodi legis » observantiam constanter diligenterque tueri. » Quod si lex ista non adsit, tunc « oportet (ita idem Pontifex *n. 12.*) Episcopum » suavibus modis suam mentem ac desiderium unicuique decla- » rare, simulque rationes ostendere, ob quas recta disciplinae » ratio postulat, neminem ad sacros Ordines promoveri, qui in » seminario episcopali assidue, vel aliquot saltem annorum, aut » mensium numero commoratus non fuerit. » Quod si ad hoc declinandum paupertas ab aliquo fortasse praetexatur, idoneum responsum praebet idem Pontifex, patrimonium scilicet (sine quo nemo, nisi aliter provisus sit, ad Ordines admitti potest) eidem utique necessario in promptu esse debere, cuius fructus satis sunt, aut saltem parva accessione augeri possunt ita, ut necessarias ad seminarium compensandum impensas proferre queat.

20. Omnia seminaria, ut plurimum, habent loca gratuita, seu tenentur obligatione gratis recipiendi alendique aliquos adolescentulos; idque consentaneum est menti Patrum Tridentinorum, qui pauperum filios praecipue eligi volunt, ut in seminarium admittantur, quin tamen excludantur ditiores, modo suis sumptibus alantur. Cum ea tantum de causa iidem Patres alumnos hac beneficentia frui voluerint, ut vitam sacerdotalem in Ecclesiae animarumque utilitatem ingrediantur, quaestio subnascitur, an ii alumni ad solvendum quidquid pro iis a seminario fuerit impensum cogi possint eo casu, quo legitimam aetatem ingressi, castris Ecclesiae relictis, saecularem vitam amplectantur.

21. In qua pertractanda quaestione distinguendum esse arbitror: aut enim *primo* in actu, quo gratuita ea loca fundata sunt, nulla plane conditio fuit imposita; aut *secundo*, licet nihil in fundatione praescriptum fuerit, attamen ex lege synodali,

vel consuetudine legitima inductum est, ut adolescentes, qui ad vitam saecularem transeunt, ad alimentorum restitutionem adstringantur; aut *tertio* loca gratuita ex lege fundationis seminarii, aut ex pia donatione instituta fuerunt, ac seminarii institutor, vel donator eam conditionem adiecit, ut adolescentes ad alimentorum sumptus restituendos adigantur, si maturo tempore Ecclesiae vexilla deserant.

22. Ad primum ex triplici hac hypothesi constituta quod attinet, negative respondendum esse videtur, nam « ex Conc. Trid. » *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, (ita folium S. C. Conc. in *Ferrarien. Com. vol. 16. Dec. 1820.* §. *Primum*) oecumenica Syno» dus *pauperum filios praecipue eligi vult*, qui seminarii sumptibus » admittantur; numquam tamen certam exegit scientiam, quae » haberi non posset, illos in vocatione mansuros, multoque minus » pro expensarum restitutione, si adolescentes e statu ecclesia» stico se deinde subtraxerint, cautionem postulavit; sed voluit » tantum, ut ii dumtaxat eligerentur, *quorum indoles et voluntas* » *spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.*» Huic sententiae adstipulatur pene universalis consuetudo omnium dioeceseon, quae, ut plurimum, nullam ab hisce ecclesiastici tyrocinii desertoribus exigunt restitutionem.

23. Aliter sentiendum esse videtur, si de secunda hypothesi agatur; nam reapse in pluribus Synodis hanc cautionem praescriptam fuisse constat, ut adolescentes, qui Ecclesiae valedicunt, sumptus, quos fecerit, seminario restituant; adeoque in actu admissionis sponsorem exhibere coguntur; ita porro in Synodo Burdigalensi anno 1583. *Tom. 15. Conc. gen. pag. 992.*, in Synodo Mechliniensi 1609. *Tit. 20. cap. 4.*, in Synodo Cameracensi *Part. II. tit. 21. cap. 17.* statutum fuisse testatur van-Espen *Iur. Eccl. Part. II. sect. 1. tit. XI. de sem. cler. cap. 1. n. 15.* et *cap. 2. n. 6.*, ex eoque idipsum tenere videtur S. C. Conc. in dicto fol. causae *Ferrarien.* §. *Accedit.* Iamvero si huiusmodi obligatio vim habet, cum a Synodo fuerit inducta, pronum est, suam exserere vim etiam tum, cum a consuetudine legitima causam habeat. Addi potest Seminarium Romanum, pro quo statutum est, ut alumni se obligent ad alimentorum impendia solvenda, si triennio post legitimam aetatem ad Ordines evecti non fuerint. (S. C. C. in *Romana*, relata sine die et anno in Analecta Mart.–Apr. 1867. pag. 635.).

24. Tertia superest hypothesis, pro qua solvenda duplicem S. C. Conc. declarationem possumus afferre. Ex decreto Card. Roma, Episcopi Tiburtini, tum edito, cum Tibure seminarium fundavit, cautum fuerat, ut alumnorum parentes caverent, sese alimenta restituturos eo casu, quo alumni non ascenderent ad sacros Ordines, vel ante completum studiorum curriculum a seminario absque Episcopi venia discederent. Seminario Tiburtino paulo post applicata sunt bona quaedam Conventuum, quae in loco Vicovarii sita erant, onusque superadditum, quod transactione anni 1745. firmatum fuit, ut tres Vicovarii alumnos gratis aleret, cautione tamen a parentibus accepta, expensas seminario ipsos restituturos, si quando alumni ad saecularem vitam redirent. Cum itaque super utroque articulo controversia suborta fuisset, tria, quae sequuntur, concinnata sunt dubia: « 1. An vener. seminarium Tiburis » teneatur ad formam transactionis anni 1745. accipere et re- » tinere tres alumnos a communitate Vicovarii, eiusque Prioribus » nominatos, ita ut sit danda manutentio in casu? Et quatenus » affirmative, 2. An liceat Rmo Episcopo Tiburtino arctare eos- » dem alumnos ad emittendam obligationem reficiendi alimenta » seminario in casu, quo vel non ascendant ad sacros Ordines, » vel ante completa studia discedant e dicto seminario sine li- » centia Rmi Episcopi? Et quatenus affirmative, 3. An et in » quam causam sit eroganda summa per eosdem alumnos vigore » huius obligationis reficienda in casu? » Emi Patres post plures propositiones, tandem in *Tiburtina* 11. Martii 1752. rescripserunt: « Ad 1. Affirmative. Ad 2. Affirmative. Ad 3. In commo- » dum seminarii arbitrio Episcopi cum consilio deputatorum, et » amplius. »

25. Altera declaratio edita fuit in memorata *Ferrarien. Commut. vol.*, cuius haec species erat: Nicolaus Gavioli duo gratuita loca suo aere perpetuo constituerat, additis conditionibus, ut conferrentur adolescentibus Ferrariensibus ea paupertate laborantibus, ex qua stipendium seu pensionem consuetam persolvere nequirent, utque sponsorem exhiberent, qui alimenta se refecturum adpromitteret, si quando iidem adolescentuli vitam sacerdotalem, sive saecularem sive regularem maturo tempore non susciperent, quo casu adveniente, expensarum reficiendarum pecunia in tot pro testatore celebrandas Missas insumeretur. Aliquo tempore mens testatoris adamussim adimpleta est: sed progressu tempo-

ris, cum obligatio exhibendi sponsorem non mediocrem difficultatem parare compertum fuisset, a S. C. Conc. commutatio voluntatis petita est in id, ut cautio deleretur, et subrogaretur conditio obligatioque liberalem aliquam professionem amplectendi. Hinc dubium propositum fuit: « An et quomodo sit annuendum » precibus in casu? » S. Congr. die 20. Ianuarii 1821. rescribendum censuit: « Affirmative pro deletione cautionis tantum, et » imposito arbitrio Archiepiscopi aliquo onere omnibus alumnis » recedentibus a statu ecclesiastico in suffragium ad formam te- » stamenti; et idem Archiepiscopus curet, ut non admittantur » nisi habentes requisita S. Conc. Trid., et, cognita mutatione » eorum voluntatis, a seminario dimittat, facto verbo cum SSmo.» Porro supervacaneum est, animadvertere, nulla commutationis venia opus fuisse, nisi obligatio a testatore imposita alicuius roboris efficaciaeque fuisse visa foret.

26. Huiusmodi gratuita loca saepenumero iuripatronatus activo et passivo obnoxia sunt. Quaestiones itaque hoc in casu ortu faciles resolvi possunt generalibus iis regulis, quibus resolvuntur huiusmodi quaestiones super beneficiis (congrua congruis nempe referendo) super capellaniis laicalibus, subsidiis dotalibus, aliisque similibus. Nihilominus recentissimas duas addimus declarationes S. C. Episc. et Regul. et aliam antiquiorem S. C. C. Prima haec est: Spoletano seminario bona capellaniae in oppido Castrilacus erectae anno 1659. applicata fuerunt, onere adiecto retinendi unum vel plures alumnos illius oppidi iuxta redituum vires, quae, satisfactis oneribus, superessent. Quamvis vero nullum verbum de iure nominandi alumnos factum fuisset, nihilominus municipium pluribus vicibus, transacto saeculo, ius nominandi exercuisse comprobabatur. Postea capellaniae bona alumno retinendo imparia fuerant effecta, adeoque ab alumno recipiendo cessatum est. At ipsa bona in melius adducta, quin etiam in pristinum statum restituta sunt, unique alumno recipiendo locus iterum factus est. Contendebat Archiepiscopus, sibi liberum esse eum eligere iuvenem ex eo oppido, qui sibi magis visus in Domino fuisset, ideoque iuvenem quemdam Sinibaldium reapse nominavit. In sua iura redintegrari postulante municipio in *Spoletana Iuris nomin.* 23. Mart. 1860. apud S. C. Episc. et Regul., dubium disceptatum fuit: « An et quomodo constet de iure no- » minandi alumnum favore municipii Castrilacus in casu? » Re-

scriptum prodiit: « Affirmative in omnibus, servata tamen pro » hac vice nominatione Sinibaldi. »

27. Altera haec est. R. P. D. Perugini, sacrista Pontificius ope fiduciae a suo haerede die 2. Decembr. 1829. explicatae, locum unum gratuitum in seminario Montisfalisci instituerat, ad eumque vocaverat iuvenem unum a Terra Gradularum illius dioecesis (ex quo ortum duxerat pius testator), eoque deficiente iuvenem alium, qui de aliquo Montisfalisci dioecesis oppido esset oriundus. Marinius quidam, testatoris consanguineus, ortus ex patre Gradulensi, at vero talis, qui Gradulis oriundus dici nequiret, (quippe eius pater domicilium Urbeveteri statuerat, ibique Marinium filium susceperat) eum locum gratuitum prae iuvenibus e Gradulis vere oriundis sibi adiudicari propugnabat, ea nixus ratione, quod ex aliquibus documentis post emissam fiduciae declarationem in seminarii tabulario repertis constaret, praelationem in eo perfruendo loco consanguineis testatoris esse dandam. Cum tamen Emi Patres S. C. Episc. et Regul. animadvertissent, in actu fiduciae nullum verbum de consanguineis fieri, proposito dubio: « An » et quomodo annuendum sit precibus Marini pro assequendo » eodem loco in casu? » responsum negativum ediderunt in *Montisfalisci Super susp. aut nomin. loc. grat. in semin.* die 22. Augusti 1862.

28. Aliam a S. Congr. Conc. editam declarationem nosse non erit inutile. Card. Carpineo loca quatuor gratuita in seminario Ferentino instituerat pro tuitione quatuor convictorum « *uno per* » *ciaschedun castello della mia casa, che sono Scavolino, Gattara,* » *Bascio, e Miratoio.*» Cum accidisset, ut e loco Miratorii nullus adesset idoneus adolescens, Marchio de Cavaleriis, ad quem iuvenem nominandi ius ex testamento pertinebat, alium e loco Scavolini adolescentem nominavit: quem rector seminarii admittere recusabat, utpote e Miratorii loco minime exortum. Controversia ad S. Congr. Conc. deducta, dubium propositum fuit: « An liceat » Marchioni de Cavaleriis nominare alumnos seminarii ex quo- » cumque loco ex designatis per Cardinalem de Carpineo, defi- » ciente idoneo in altero ex castris in testamento praescriptis in » casu? » S. Congr. Conc. in *Pennen., seu Feretana* 10. Iun. 1741. respondit: « Affirmative et amplius. »

29. Quoniam de locis gratuitis incidit sermo, praestat adiicere, eam esse disciplinam S. C. Conc. in responsionibus, quas

ad relationes de statu dioeceseon conscribere solet Episcopis, ut, data opportunitate, iisdem commendet et inculcet, ut aliquos saltem adolescentulos ex pauperioribus melioris spei in seminarium nulla aut saltem modica pensione recipiant. Id inter alia praescriptum fuit Archiepiscopo Mechlinien. die 27. Sept. 1839., Episcopo Brugen. 3. Septembris eiusdem anni, Episcopo Sabinen. 5. Novembr. eiusdem anni, Episcopo Hyeracen. 27. Mart. 1840.

30. Ad finem assequendum, quem sibi Patres Tridentini in seminariorum erectione proposuerunt, duo requiri monuimus, nempe constitutiones ac dein moderatores earumdem exsecutioni praefectos. Praecipui seminariorum moderatores sunt confessarius, rector ac magistri scholarum. De hisce ultimis sermo habebitur in sequenti paragrapho, in qua ea consectabimur, quae ad studia pertinent. Confessarius, de quo primo loco eloquemur, haud multa consideranda nobis exhibet. Cum enim eiusdem ministerium circa secretas fori interni latebras versetur, nobis, qui externi fori sanctiones exquirimus, datum non est, hanc provinciam quodammodo alienam invadere. Nihilominus monita quaedam referimus ad rem opportunissima, quae praebuit S. Carolus Borromaeus *Part. I. cap. 1. de inst. sem.* apud van-Espen *Part. II. tit. XI. de sem. cap. 1. num. 17.* « Studeat (confessarius) in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriae voluntatis abnegationem, veram obedientiam, fraternam charitatem inserere, internascentia opimorum beneficiorum, vel divitiarum desideria salutaribus monitionibus exstinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat, solam denique illis Dei gloriam et animarum salutem procurandam esse doceat et expetendam. »

Insuper in *Part. II. cap. 4.*, quod *de officio confessarii* inscribitur, ita sanctus Cardinalis, inquit: « Confessarius seminarii illud secum reputet, ex se, rectaque sui muneris administratione pendere eorum, qui in seminario vivunt, in omni virtute progressum.

» Quare turpe sibi fore, nisi ita vivat, et in omni vitae parte ita se gerat, ut ex ipsius vita moribusque omnis virtutis atque officii exempla peti possint.

» Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, charitate, officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem tueatur.

» Familiae totius pax et concordia eius curae sit: quare animorum offensiones, si quae suboriantur, sedare confestim omni ratione studeat.

» Vitam et mores uniuscuiusque, quantum fieri possit, explo-
» ratos habeat, ut vel ad officium revocare errantes, vel in via
» Domini incitare ingressos possit. »

Illud vero hic praeterire nolumus, munus rectoris cum confessarii munere non esse plane cumulandum. Nam ex parte alumnorum valde timendum foret, ne cum animae suae periculo ei sui cordis maculas sordesque detegere reformident, cui imperium ac potestas est sese exterius improperandi ac poenis coercendi. Ex parte vero rectoris periculum adest, ne notitiis in confessione acquisitis uti velit, aut videatur uti in exercendis extrinsecus sui ministerii partibus, quae res odium contra sanctissimum Poenitentiae Sacramentum in animis adolescentium creare possit.

31. Restat de rectore loqui, cuius dotes affabre pingit S. Carolus Borromaeus *(Instit. sem. pag. 2. cap. 1. §. Rector)* hisce verbis: « Rector igitur sit prae ceteris aetate provectus, auctoritate gra-
» vis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus
» disciplinae clericalis, ac eius praecipue, quae ad seminarium
» spectat, maximeque expediret, ut ex eorum numero eligeretur,
» qui olim in seminario fuerint instituti, atque ecclesiasticae di-
» sciplinae retinens ac studiosus, et in iis sit intelligens rebus,
» quae sunt temporalis administrationis; omnium primus, eique
» ceteri cuiuscumque ordinis, tam qui in seminario praecipuo,
» quam qui in aliis degunt, in functione munerum suorum, ac
» in omnibus prorsus rebus, quae ad seminarii referuntur utili-
» tatem, obtemperare teneantur. » Hunc S. Caroli locum pene de verbo ad verbum illustrandum suscepit Ioannes de Ioanne *Histor. semin. cap. 18.*

32. Praeterea circa rectoris officium haec habet S. Carolus Borromaeus *(loc. cit. pag. 2. cap. 2. de Rectore):* « Illud saepius
» rector animo reputet, quam grave suis humeris onus incumbat,
» cum ab eorum, qui in seminario vivunt, recta institutione
» totius dioeceseos reformatio pendeat. Quapropter, ut qui illius
» fidei commissi sunt, eos e seminario fructus percipiant, quos
» Ecclesia sancta, et Trid. Conc. praecipue sibi proposuit, quam
» diligentissime curet, ut in se ipso eas ad vivum virtutes ex-
» primat, quas in clericis requiret: ita ut, qui illi subiecti sunt,
» in eo tamquam in speculo expressam videant eius virtutis ima-
» ginem, quae illis omni studio sit effingenda: memineritque,
» exemplum vivum esse doctrinam, nec ipsi minus cum taceat,

» quam cum loquatur, esse alios ad pietatem incitandos. Divinae » in primis gloriae amplificationem, clericorum in omni virtute » perfectionem semper ante oculos habeat, et ad eum finem omnes » cogitationes et curas referat. Studeat, ut quae ad spiritualem » profectum pertinent, recte atque ordine administrentur, ut quo- » tidianae et aliae statae exercitationes, nisi necessaria de causa » non intermittantur. » Modo laudatus de Ioanne inter alia suadet, ut rector, qui graviori aetate fuerit affectus, viresque nimis attritas ad tantum munus alacriter sustinendum habeat, hoc labore deoneratus, honorifico praefecti studiorum munere decoretur.

33. Circa rectoris electionem animadvertenda est declaratio Sacrae Congr. Concilii in *Fundana Deput. off. sem.* 26. Mart. 1689., in qua, disputato dubio: « An Episcopus potuerit et possit de- » putare rectorem atque officiales seminarii absque consilio de- » putatorum a Capitulo? » responsum fuit: « Negative; » et altero addito dubio: « An Episcopus in revisione et solidatione compu- » torum dicti rectoris debuerit sequi consilium deputatorum? » responsum fuit: «Teneri adhibere consilium, non sequi.» *(Lib. 39. decret. pag. 129. et seq.).*

34. De rectoris electione cum deputatorum consilio ab Episcopis peragenda Bened. XIV. *de Syn. dioec. Lib. V. c. II. n. 9.* limitationem ponit, si seminarium alicui ex regularibus Ordinibus moderandum fuerit concreditum. Quae quidem res aditum nobis aperit, ut nonnulla de seminariis, quorum cura ac regimen regularibus Ordinibus traditum est, non sine utilitatis forsitan fructu subiiciamus.

35. Nonnulli Doctores seminaria Regularibus moderanda tradita non approbant. Inter hos numeratur Pignatell. *Consult. 81. tom. 9. n. 152.;* ita enim scribit: « Hos iuvenes expediret dirigi » ac instrui non per Religiosos, qui ad finem particularem pro- » movendi suos Ordines magis collimant, et praestantissima in- » genia ad suam Religionem alliciunt ac pertrahere nituntur, » aut saltem sui Instituti ritus ac caeremonias potissimum in- » stillant, qui non ita conveniunt viventibus inter homines sae- » culares, ut experientia constat; sed per saeculares sacerdotes, » viros probatos et industrios, et in munere suo exercitatos, qui » paucis annis tenella illa germina ad maturitatem perducere, et » postea Sedi Apostolicae, vel Episcopis ad missiones subeundas » praesentare possent. » Porro haec ultima verba addit Pigna-

tellus, quia iuxta suam sententiam alumni tres in classes dividi deberent, quorum prima ad chori servitium aliasque functiones et necessitates divini cultus, altera ad paroecialem rem administrandam, ultima ad missiones infidelibus vel haereticis suppeditandas dirigatur et informetur. Idem sentit Ioannes de Ioanne *Hist. sem.*, qui *cap. 16.* pluribus ostendere satagit, seminariorum gubernationem Regularibus non esse amandandam ob utilitatem ipsorum Regularium, ob maius alumnorum bonum, ob commoditates in ecclesias derivantes, ob tuendam Episcoporum dignitatem. Neque desunt, qui animo perpendunt, in clero saeculari scientiarum studium ac laudem ex magisterio Regularibus relicto deficere, ac propemodum excidere. Quidquid enim adolescentes in conficiendo studiorum curriculo sibi comparant, leve prorsus et miserum est, si diuturno studio minime excolatur et amplificetur. Iamvero experientia constare iidem aiunt, ecclesiasticos viros studiis valedicere, nisi palaestram in promptu habeant, quae ad ingenium actu exercendum eos adigat et exstimulet. Haec profecto palaestra cathedrae sunt facultatum omnigenarum, quae seminaria utique suis in parietibus connumerare debent.

36. Quidquid vero sit de horum sententia, monendum est ante omnia, non licere Episcopis seminariorum regimen, inconsulta Apostolica Sede, regularibus Ordinibus aliisque Institutis gerendum tradere. Nam primo haec res duplicis deputationis (nempe tum duorum seniorum canonicorum, tum duorum de Capitulo totidemque de clero) iura a sacrosancto Concilio attributa laedit imminuitque. Deinde quamvis Episcopus, quoad vivit, sua iura super seminariis Regularibus aliisve Institutis cedere possit, nequit attamen praevertere ac tollere iura successorum suorum. Quibus praecipue de causis necesse est, ut Apostolica Sedes accedat, quae sanctioni Tridentinae deroget. Necessitas Apostolici beneplaciti comprobatur auctoritate Bened. XIV. *de Synod. dioeces. Lib. V. cap. 11. num. 9.*, atque adeo S. Congregationis Episc. et Regul.; namque in saepius memorato opusc. *Method., quae a S. C. etc.* in animadversionibus super *const. Congregationis presbyter. Concep. B. M. V. a S. Mehenno, pag. 25. n. 5.*, ita traditur: « Cum ex Conc. Trid. seminaria ad Episcopos, adhibito deputa» torum consilio omnino spectent, eorum curam non possunt alicui » Instituto committere, inconsulta Apostolica Sede, licet Institu» tum ipsum in genere pro directione seminariorum ab Apostolica

» Sede approbatum fuerit. Hinc in singulis casibus oportet Summi » Pontifícis licentiam obtinere.» Idem traditur in Animadv. *Super app. piae Congregationis mission. S. Francisci Salesii pag. 32. §. 4.* in memorato opusculo. Tandem eadem S. C. in decreto pro Maristis diei 15. Iunii 1860., et itidem in decreto pro Sulpitianis diei 18. Iulii 1863. (quorum Institutum pro seminariorum directione proprie fundatum est) ex speciali gratia indulsit, ut seminaria dioecesana in spiritualibus ac temporalibus moderanda suscipere possint iuxta modum et conditiones ibidem adiectas.

Quando itaque Apostolicam Sedem consulere expediat, quae seminarium regularibus Ordinibus aliisve Institutis tradere permittat, Ordinariorum prudenti arbitrio relinquendum est; porro placet praecipue Michael Thomas *De var. coll. ad util. pub. const. pag. 457.* apud Ioann. de Ioanne *loc. cit.;* ait enim: « De ra- » tione gubernandi haec ipsa collegia neque dictum est quid- » quam, neque dici commode poterat: sed omnia arbitrio Episco- » porum sunt demandata. » Hac in re illud speciatim de sodalibus Societatis Iesu addimus, sicubi ex Episcoporum relationibus innotescat, eos benemeritis istis de Ecclesia et civili societate sodalibus sua dioecesana seminaria credidisse, non omittere, generatim loquendo, S. C. in responsionibus suum Episcopis ipsis gaudium ostendere, et specialem laudem impertiri. Horum sodalium laudi adscribendum etiam est, quod SSmus D. N., cum seminarium Senogalliae, quae urbs tanto cive gloriatur, suo sumptu constituisset, nulli alii, praeterquam quod his D. Ignatii asseclis eius ephebei moderationem tradere constituerit.

37. Hisce obiter praelibatis, consultius arbitramur, ad ea exponenda gradum facere, quae servari debent, quando Episcopi magis e re seminarii sui duxerint, aliquem Ordinem religiosum ad clericalem iuventutem instituendam in seminarium arcessere. Res, de qua agitur, huiusmodi est, ut normas generatim et ubique servandas praebere non sinat, nisi quod haec una regula stabiliri posse videtur, quod Episcopo sarta tecta servanda sunt iura a Conc. Tridentino in *Decret. cap. 18. Sess. 23. de Reform.* attributa, excepto tamen iure Regularibus integro relicto, rectorem ac magistros scholarum eos eligendi, quos ipsi censuerint, quin Episcopi approbationem reportare adigantur, eosdemque examinandi ac probandi, ut cernere est in sequenti *Viglevanen.* ad *dub. 8. ac 9.* Ceterum res exemplis fiet planior, atque adeo exinde

normas huiusmodi in casibus opportunissimas licebit arripere. Haec itaque ordine mox afferemus.

38. Petrus Marianus Sormannus, Episcopus Viglevanen., seminarium dioecesanum a suo praedecessore Somaschensibus concreditum, et in deterius delapsum, relevandum curavit accessione quorumdam bonorum, factaque cum dictis Patribus conventione Apostolicis Literis corroborata ad rectiorem eiusdem institutionem. Subinde summam libellarum 3256 pio loco donavit, addita conditione, ut viginti alumni gratis ibi alerentur ad cantum habiles, quorum duodecim a successoribus Episcopis, reliqui octo a rectoribus pro tempore eiusdem Congr. admitterentur; hac tamen adiecta lege, quod semper admitti deberent ipsius germani fratris eiusque descendentium consanguinitate, affinitate ac etiam spirituali cognatione propinqui, nedum praelative sed etiam in exclusionem eorum, qui minus essent indonei in seminario iam recepti. Insuper legem adiecit, ut dicti Patres circa oeconomicam administrationem in certis casibus cum consensu Episcoporum procederent, atque si quando viginti alumni in seminario non manuteneantur, reditus numero alumnorum pares apud virum ab Episcopo deligendum deponerentur. Sormanno vita functo, viginti illi alumni illud impetraverunt, ut extra seminarium studia prosequi possent, atque adeo, feriis insecutis, suas quique domos petierunt ita, ut seminarium iam a decennio clausum existeret. Capitulum et deputati eiusdem seminarii, in quo Somaschenses habitare non desiverant, suas querelas apud S. C. Conc. detulerunt, in eaque plurima dubia resolvenda proposita sunt, ut sequitur:

« 1. An omnes alumni sint eligendi per Episcopum? Et quatenus affirmative,

» 2. An illi octo nominandi per P. Rectorem eiusdem seminarii indigeant examine et approbatione Episcopi, ut admittantur in casu?

» 3. An exactio redituum assignatorum pro alimonia alumnorum spectet privative ad Episcopum, illorumque administratio ad eumdem Episcopum cum consilio deputatorum seminarii, excluso Rectore seminarii? Et quatenus affirmative,

» 4. An saltem administratio et exactio facienda sit per dictum Rectorem cum participatione tamen, consensu et mandato Episcopi pro tempore in casu?

» 5. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de ad-
» ministratis Episcopo cum assistentia deputatorum seminarii in
» casu?

» 6. An liceat Episcopo cum assistentia, ut supra, quoties
» voluerit, visitare seminarium tam in spiritualibus, quam in
» temporalibus in casu?

» 7. An idem cum assistentia, ut supra, licitum sit Capitulo,
» seu Vicario Capitulari, sede vacante, in casu?

» 8. An magistri missi a Congregatione Somaschensi ad ser-
» vitium seminarii pro grammatica, rhetorica et casibus conscien-
» tiae debeant examinari et probari ab Episcopo?

» 9. An hoc ipsum tempore sedis vacantis spectet ad Capi-
» tulum, ut supra in casu?

» 10. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de
» annuis libris 3256 pro toto tempore, quo in seminario non fue-
» runt alumni, et cui, ac quibus remediis cogi possint in casu?

» 11. An iidem teneantur restituere pro eodem tempore, quo
» seminarium mansit clausum, proventus pro eorum manuten-
» tione et salario assignatos in casu?

» 12. An PP. Somaschensibus ultra praefixum numerum vi-
» ginti alumnorum liceat in seminario recipere alios convictores
» de aliena dioecesi in casu?»

S. Congregatio die 13. Ianuar. 1714. distulit propositionem, die vero 27. eiusdem mensis et anni respondit:

« Ad 1. Negative. Ad 2. Indigere approbatione Episcopi. Ad 3.
» Negative. Ad 4. Affirmative. Ad 5. 6. et 7. Affirmative. Ad 8.
» Negative. Ad 9. Negative. Ad 10. Affirmative Episcopo, ac per
» eum cogi iuris remediis. Ad 11. Negative. Ad 12. Affirmative
» de licentia Episcopi, et amplius in omnibus. » Ita legitur in tomo IX. *Thesaur. resol. ad ann. 1740. pag. 183. et 184.*

39. Episcopus Conceptionis in America meridionali seminarium a tristi, qua versabatur, conditione erigendum curaverat, ita ut in clericorum adolescentium usum commode aperiri posset: at, deficientibus magistris e clero saeculari, rem egit cum Generali Societatis Iesu, ut hos religiosos viros gubernationi praeficeret. Nulla neque in regulis D. Ignatii, neque in ordinationibus generalibus prohibitio acceptandi seminariorum regimen exstabat. Aderat vero declaratio generalis Congregationis sub Sancto Francisco Borgia anni 1655., cui aliae etiam duae similes declara-

tiones accedebant, in quibus, re multum agitata, constitutum fuerat, seminariorum gubernationem admittendam non videri; « si » tamen (sunt verba decreti) fundatio perpetua et insignis huiusmodi seminariorum ita fieret, ut simul esset coniunctum » collegium nostrum, unde promoveretur et abundaret Societas » operariis idoneis, et libera eidem Societati gubernatio committeretur, placuit admitti posse ex dispensatione Praepositi Generalis et non aliter; sed si quando admitteretur tale munus, » constituit Congregatio, ne praeceptores huiusmodi seminarii darentur separati ab iis, qui in scholis nostris pro Societatis » nostrae instituto praelegunt. » Addebatur, quod Pius IV. seminarium clericorum Urbis commisit curae et regimini PP. Societatis, uti legitur in Bulla 134. Urbani VIII. §. *4, tom. 3.* « Ipsumque seminarium sic erectum et institutum curae, regimini et » administrationi Praepositi Generalis et presbyterorum Societatis Iesu, et sui et Romani Pontificis pro tempore existentis » in dicta Urbe Vicarii in spiritualibus generalis tutelae, patrocinio et protectioni commisit. » His itaque positis Episcopus memoratus a S. Congregatione exoravit sibi concedi, ut seminarii sui regimen sodalibus Societatis Iesu committere posset: hinc proposito dubio: « An et quomodo petitis sit annuendum? » S. C. die 13. Iun. 1722. *in Americana* rescripsit: « Pro facultate; ita » tamen ut alumni nominentur ab Episcopo, et seminarium sit » sub patrocinio, protectione et subiectione Episcopi. » *Thes. resol. tom. 2. pag. 189. et seq.* Vide Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. V. cap. 11. 9.,* ubi idem Pontifex haec addit: « Sub iisdem legibus, » alia quoque Episcoporum seminaria aliorum Regularium gubernio reperiuntur commissa; cura siquidem seminariorum Albani et Senogalliae tradita est Clericis Regularibus Scholarum » Piarum nuncupatis: et nos ipsi seminarii nostri Bononiensis » regimen dedimus Clericis Regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabiti,* » non amotis quidem deputatis, qui, iuxta enuntiatas Tridentini » sanctiones, seminarii disciplinae atque administrationi invigilent, sed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita.»

40. S. m. Clemens XI. suis Apostolicis Literis Albanense seminarium Clericis Regularibus Scholarum Piarum regendum dederat, hisce appositis conditionibus: « 1. Quod praeter usum » perpetuumque regimen et ministerium eorumdem seminarii et » ecclesiae in omnibus et per omnia salva remaneat in reliquis

» iurisdictio Ordinarii exercenda quoad seminarium iuxta nor-
» mam S. Conc. Trid. et S. Congregationis eiusdem interpretis
» decreta. 2. Quod ex reditibus seminarii ipsi Patres alantur;
» unus tamen et idem sit cibus et potus, et unica mensa tam
» illis et convictoribus quam alumnis. 3. Singulis quibusque
» mensibus ad instituti seminarii optimam conservationem et
» administrationem saltem coram Ordinario congregatio habea-
» tur, eique intersint canonici ad id ex norma sacri Conc. Trid.
» deputati, et P. Rector pro tempore, qui suam de re, quae in
» consultationem cadit, sententiam proferat, ut inde, quae coram
» Deo potiora et praestantiora esse existimaverit, Ordinarius ipse
» deliberet. 4. Ad seminarium et ecclesiam spectet quidquid eo-
» rum respective contemplatione in posterum quomodocumque
» provenerit. Ceterum si quid Patribus ipsismet nominatim expres-
» sis ex donatione, legato, vel alio quocumque titulo, aut quo-
» modolibet in futurum fuerit relictum, vel aliter ab istis acqui-
» situm in redituum seminarii ratione nullatenus computetur.
» 5. Demum rationem redituum seminarii Emus Episcopus, vel
» eius Vicarius Generalis iuxta formam a Conc. Trid. praescriptam
» singulis annis exiget a P. Rectore et dicti seminarii ministris.»

Iidem Patres in uno eodemque libro reditus expensasque alumnorum et convictorum promiscue adnotandi usum induxerant, deque utrisque rationem deputatis reddere soliti fuerant. At vero Cardinalis Episcopus peculiari decreto statuit, ut dicti Patres distinctos libros conficerent, in quibus separatim rationes dati et accepti pro seminario ac convictoribus describerentur. Decreto paruere Patres; sed librum ad convictores pertinentem ostendere rationemque reddere detrectabant. Re itaque ad S. C. deducta et concinnato dubio: « An a Patribus Scholarum Piarum » reddenda sit ratio convictus seminarii, et edendi sint libri, de » quibus agitur in casu? » Emi Patres in *Albanen.* 23. Iun. 1742. rescripserunt: « Affirmative »; et iterum proposita causa 1. Sept. eiusdem anni iidem Patres steterunt *in decisis et amplius.*

41. Episcopus Conimbricen. cum seminarium fundavisset intra limites parochiae S. Petri, Pios Operarios Congregationis Aragonensis, quorum institutum commune est cum missionariis, ad illud moderandum advocavit. Statuta insuper condidit, quibus praeter alia illud exemit a iurisdictione parochi, subiecitque rectori tum in adimplemento paschalis praecepti, quod in ecclesia seminarii

impleri voluit, tum in administratione Sacramentorum tempore infirmitatis ac sepulturae morte superveniente, quae profecto dispositio communiter servabatur in Hispania, ubicumque seminaria a Regularibus gubernari contingeret. Haec statuta in forma generica a Summo Pontifice confirmata fuerant. At vero conquestus est parochus S. Petri, suamque iurisdictionem iudicialiter vindicare studuit. Sed, re a Rectore seminarii ad S. C. Conc. deducta, in *Conimbricen. Exempt. semin.* die 12. Mart. 1757. dubium resolvendum suppositum fuit: « An sit locus exercitio iu- » rium et functionum parochialium in seminario Conimbricen., » seu potius constet de libertate eiusdem seminarii in casu? » S. C. rescripsit: « Negative ad primam partem, affirmative ad » secundam. » Cumque causa iterum recognita fuisset die 18. Iunii eiusdem anni, Emi Patres *steterunt in decisis et amplius.*

42. Contigit ultimis hisce temporibus, ut etiam in S. Cong. Episc. et Regul. de seminariis pluries ageretur. Et quidem primo in una *Parmen. Exempt. a iurisdictione parochiali* die 21. Iulii 1848. quaerebatur: « An et quatenus sustineantur aut potius » revocari debeant decreta Episcopi Parmen. super exemptione a » iurisdictione parochiali ducalis collegii a Maria Ludovica nuncu- » pati sub cura Clericorum Regularium S. Pauli, vulgo *Barnabiti.*»

In ea porro de collegio agebatur, quod, etiamsi dioecesanum clericorum seminarium non esset attamen sub Episcopi iurisdictione et subiectione versabatur. Primitus a presbyteris saecularibus ipsum gubernabatur; at vero anno 1833. ex Mariae Ludovicae munificentia Barnabitis moderandum traditum fuerat: qui proinde eius regimen suscipientes eo ingressi sunt, regularemque ibi familiam conflaverunt: etenim duodecim sacerdotes praeter laicos sub unius Superioris moderamine ibi numerabantur.

Parochus loci, in cuius ambitu collegium situm erat, pacifice super eo iura parochialia exercuerat usque ad annum 1827., quo anno ad diem 11. Augusti Episcopus decretum edere censuit, quo Barnabitis potestatem faciebat administrandi Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae atque etiam Extremae Unctionis iis, qui sequuntur, videlicet: « 1. Omnibus et singulis ceteris clericis et » fratribus huiusmodi ven. Congregationis. 2. Adolescentulis in » loco et habitatione eiusdem Congregationis studiorum et edu- » cationis causa degentibus. 3. Mercenariis, famulis, operariis, » servis, servitio eiusdem Congregationis addictis, et in eadem

» domo manentibus. 4. Hospitibus quibusvis etiam saecularibus » et extraneis, quos in eiusdem Congregationis habitationibus » reperiri contigerit. 5. Quibuscumque aliis personis in supradi- » cto, vel quovis alio collegio cler. regul. S. Pauli in hac nostra » civitate vel dioecesi futuro, improviso morbo correptis, in casu, » quo propter repentinam necessitatem non daretur spatium li- » centiam a parocho petendi. 6. Exsequias eorum omnium, qui » inter ipsos decesserint, peragendi. »

Cum parochus penes S. C. Episc. et Regul. contra huiusmodi decretum reclamasset, partes de more monitae auditaeque sunt. Barnabitae Constitutionibus Apostolicis nitebantur, quae pro sua Congregatione a Sede Apostolica editae fuerant: ibi vero de seminariis nullum plane verbum erat. Deinde communicationem invocabant privilegiorum, quae Theatinis, Benedictinis ac speciatim sodalibus Societatis Iesu ex Apostolica venia competunt.

Parochus autem pro se consuetudinem militare contendebat, quae eatenus invaluerat; quin et ipsos sacros canones sibi suffragari subiiciebat, quibus derogare nefas est Episcopis absque Apostolico placito.

43. S. C. die superius dicta ad dubium in causae titulo propositum, ac modo relatum *n. 2.* rescribendum censuit: « Decre- » tum Episcopi esse reformandum iuxta mentem – mens est, quod » firmo remanente decreti dicti tenore quoad omnes et singulos » clericos et fratres Congregationis S. Pauli, et relate ad eorum » domesticos et familiares, qui Religiosis actu inserviunt, com- » prehensis illis praefatae domus, qui intra eius septa resident, » et sub eorumdem obedientia vivunt iuxta praescriptum S. Conc. » Trid. *Sess. 24. cap. 11. de Reform.* et Constit. s. m. Greg. XIII. » incipien. *Circumspecta* diei 25. Nov. 1580. pro alumnis, seu » adolescentulis, hospitibus perpetuis, commensalibus, aliisque » personis in memorato decreto enuntiatis, iura parochi in casu » mortis sarta remaneant; ac insuper Superior dicti collegii no- » tulam Religiosorum, alumnorum, commensalium, hospitum, » famulorum et aliarum personarum in eadem domo degentium » parocho quotannis dare teneatur. » *Datum Romae 21. Iul. 1848.* Sic legitur in *Regest. Episc. anni 1848.* Quoniam in hac declaratione allegatur Concilii Tridentini et Constitutionis Pontificiae sanctio, operae pretium ducimus, utramque heic adnectere. Itaque in citato *cap. 11. Sess. 24. de Reform.* sic statuitur, quod

circa personas addictas cum aliis coetibus, tum potissimum monasteriis, sive ii famuli sint, sive quocumque alio nomine veniant, nihil detractum esse censeatur iurisdictioni Ordinariorum, quibus etiam utpote delegatis a S. Sede, eaedem personae subiiciuntur. At vero excipiuntur ii, qui « praedictis locis..... actu serviunt, » et intra eorum septa ac domus resident, subque eorum obe- » dientia vivunt. »

44. In Constit. Greg. XIII., quae incipit *Circumspecta* pro Religione Hierosolymitana proprie edita (vid. Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 135.*) Tridentina lex ampliori modo declarata est, namque ibi praecipitur, ut Ordinariorum iurisdictioni plene obnoxii sint « ipsorum militum vicarii, capellani, ministri, servientes, adscri- » pti, coloni, procuratores, familiares. – Attamen subiungitur: » exceptis tamen iis, qui ecclesiis aliisque locis dictorum militum » actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident, ac sub » eorum obedientia vivunt, (quae omnia debere simul concurrere » intelligantur), sive iis, qui legitime et secundum regulam prae- » dictae Religionis professionem fecerint, de qua loci Ordinario » constare debeat. »

45. S. C. alias etiam occasionem habuit agendi de iuribus parochorum super seminariis. Id siquidem accidit in decreto die 15. Iunii 1860, quod pro Maristis idem sacer Ordo edendum censuit, necnon in alio decreto diei 17. Iulii 1863. pro Sulpitianis promulgato: namque eadem ratione, qua cum Maristis fecerat, iuri canonico et Conc. Trid. derogans, facultatem eisdem indulsit (1) « administrandi tam sociis, quam alumnis seminariorum infirmis » sacrum Viaticum, necnon iisdem in articulo mortis constitutis » Sacramentum Extremae Unctionis, de licentia tamen respectivi » Ordinarii, ac salvis iuribus parochialibus ad formam sacrorum » canonum quoad funeralia absolvenda; acceptandi ab Ordinariis » directionem seminariorum, quin in singulis casibus recursus » ad S. Sedem habeatur, uti peragendum esset ex Apostolicis » sanctionibus: necnon seminaria eorum directioni concredita ad- » ministrandi tam in spiritualibus, quam in temporalibus sine » deputatorum interventu, qui iuxta Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 18.* » *de Reform.* disciplinae et administrationi bonorum invigilare de-

(1) Decretum ferme simile edidit pro Eudistis die 19. Feb. 1864. Analect. Ian.-Feb. 1867. pag. 510. Item pro Oratorianis ibi. Mar.-Apr. pag. 634.

» berent, ita tamen ut in omnibus tam Superior generalis, quam » socii dependere a respectivo Ordinario, et rationem redituum » in fine cuiuslibet anni reddere tenerentur, praesentibus duobus » de Capitulo, totidemque de clero civitatis. Praesens vero in- » dultum ad decennium tantum erit duraturum, eoque elapso » iterum ad Sanctam Sedem erit recurrendum. »

46. De *Setina* agendum superest, quae tametsi definitivo responso dimissa non fuerit, plura tamen scitu utilia continet ac digna, quae referantur. Aderat in civitate Setina religiosa Societatis Iesu domus et item ecclesia, quae, post praeteriti saeculi illius Religionis inclytae suppressionem, in usum seminarii dioecesani a S. Sede Episcopo tradita fuerat. Anno 1861. placuit Vicario Apostolico, per id tempus Setinam ecclesiam administranti, seminarium iam presbyteris saecularibus concreditum in sodales memoratae Societatis transferre. Seminarii igitur regimen Patres illi adepti sunt, et religiosam inibi familiam constituerunt. Loci parochus, qui antehac sua in seminario et ecclesia iura exercuerat, eadem etiam post eam innovationem tueri se posse putabat. Itaque supplex S. C. Episc. et Regul. adiit, multaque declarari postulavit, videlicet: An ecclesia et sodalitates laicales ibi erectae a iurisdictione parochiali immunes forent? An Religiosis et alumnis aliisque seminario addictis Sacramenta conferendi ius parochus retineret? An eorumdem obitu eveniente, parochus exsequias celebrare et emolumenta exigere posset? ac tandem: An in Sabbato sancto idem parochus seminarium, ut antea, benedicere posset?

Pro exemptione Religiosorum, quippe qui familiam religiosam efformarent, nulla dubitatio oriri poterat; at vero de alumnis, aliisque seminario inservientibus non parum ambigebatur.

Itaque, auditis utrimque partibus, ex S. Congregationis instituto consultatio elucubrata est, ibique omnia iuris et facti momenta pro utraque parte exposita fuerunt. Typis edita ea consultatione, compertum est, S. Congregationem Episc. et Regul. alias hoc in argumento versatam fuisse, scilicet in *Parmen.*, et in decretis editis pro Maristis ac Sulpitianis, quae omnia superius in medium allata sunt, qua de re consultationi appendix, typis item data, adiuncta est. Non erat id novum et disciplinae Sacri Ordinis inusitatum: hoc vero ipsum fieri debuisse existimatum fuit, ut debita officii pars obiretur, procul certe ab omni studio

oppugnandi inclytam eam Sodalitatem de bonis artibus, de christiana iuventutis institutione ac de Ecclesia tam bene meritam, de qua ego scilicet optime nullo non tempore sensi, et libenter ostendi, quoties de ea loqui incidit sermo. Post haec Rmus P. Praepositus Generalis, adlecto cum omnigenae doctrinae, tum potissimum rerum canonicarum consultissimo viro Camillo Tarquini ex eadem Societate, memoriam typis edidit, ubi parochi deductiones refellebantur, et obliqua via consultationis animadversionibus occurrebatur.

Isthaec porro memoria multo ingenio et canonici iuris apparatu praecellebat. Eo vero praecipue spectabat, ut comprobaret, seminarium *in facto* censendum veluti accessorium religiosae familiae, adeoque de exemptione participare, quae familiae religiosae competeret. Quo posito, sanctio Tridentina in *cap. 11. Sess. 25. de Reform.* necnon Greg. XIII. Constit. incipien. *Circumspecta* id quod probandum assumptum fuerat, *in iure* confirmabat. Eo accedebat Societati Iesu disertissime facta communicatio privilegiorum, quae Somaschensibus ad seminaria ab hisce directa e parochorum iure eximenda Pontifices elargiti fuerant, necnon auctoritas aliquorum Doctorum, ac nominatim Schmalzgrueber, *Consil. tom. 1. cons. 32.*

47. Cum petitio parochi multiplices articulos comprehenderet, una sub dubii formula omnia quaestionum capita congesta fuerunt; at S. C., re discussa in comitiis diei 8. Iul. 1864. resolutionem, distulit, praecipiendo, ut iterum proponeretur, divisis dubiis.

At vero Rmus P. Generalis, pacis inter utrumque clerum, hisce praesertim temporibus tam necessariae, maxime cupidus aliam iniit viam. SSmus D. N., haud inscio Praefecto S. C. Episc. et Regul. (id quod in memorata memoria primo narratum fuerat) eidem Praeposito auctor extiterat, ut seminarii Setini moderamen assumeret. Quoniam vero id in scriptis redactum nequaquam fuerat, ab eodem Summo Pontifice ope eiusdem S. Congregationis supplex expostulavit, ut quod oretenus permiserat, editae Rescripti formulae consignare dignaretur. Quocirca in audientia diei 3. Septemb. 1864. « SSmus annuit iuxta preces cum » exemptione tam seminarii, quam adnexae ecclesiae una confra- » ternitatibus ibi erectis a iurisdictione parochi, salva tamen eidem » parocho quarta funeraria in casu obitus alumnorum et semina- » rio actu inservientium, dummodo intra eiusdam seminarii septa

» resideant, necnon praedictis confraternitatibus adscriptorum, » quatenus confratres in enuntiata ecclesia iure sepulturae gau- » deant; ita tamen, ut seminarium et confraternitates maneant » sub patrocinio, protectione et subiectione Episcopi. Contra- » riis etc., et notificetur Episcopo. »

Et recte quidem: nam parochus pro certo habere poterat, nulli melius, quam illius Societatis Patribus alumnorum aliorumque animas credi commendarique posse.

Postquam haec a nobis perscripta fuerant in cognitionem devenimus Apostolicarum Literarum s. m. Benedicti XIV. diei 7. Sept. 1753., in quibus collegia et seminaria erecta et erigenda sub cura Patrum Societatis Iesu in Indiis regi fidelissimo subiectis declarantur exempta et libera ab omni potestate parochorum in iis, quae admnistrationem SSmae Eucharistiae etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus, quae ad animarum curam pertinent. In hisce Literis mentio fit similis exemptionis diei 20. Nov. 1749. concessae iisdem Patribus Societatis Iesu pro Collegio Illyrico civitatis Lauretanae. Vide ephemeridem, cui titulus. *Analecta Iur. Pont.* de mense Nov. et Dec. 1864. col. 1106. fasc. 65.

48. Finem imponat huic articulo causa Lucana *Exemptionis* apud S.C. Conc. agitata. In Lucana civitate exstat collegiata S. Michaelis in Foro, in qua Capitulum ex decano, novem canonicis, totidemque capellanis coalescit. Ex privilegio a s. m. Leone X. elargito die 28. Iunii 1518. decanus immediate Apostolicae Sedi, canonici vero capellanique et clerici aliique inservientes decano et Apostolicae Sedi quoad omnia subiecti sunt. Accedit decretum die 25. Sept. 1667. a speciali Congregatione ex s. m. Clementis IX. auctoritate editum, quo declaratur, decanum super collegiata eiusque personis ac bonis esse Ordinarium, ac proinde iurisdictionem ordinariam obtinere. Sub Pontificatu s. m. Sixti V. in eadem collegiata seminarium erectum fuit, idemque collegiatae et chori servitio addictum et sub iurisdictione ac disciplina decani et Capituli constitutum et circa omnia subiectum. Anno 1852. Lucanus Archiepiscopus aliquos in hoc seminario iurisdictionis actus exercere posse autumabat, acriter contradicente Capitulo, ne quid novi induceretur. Quocirca penes S. C. Concilii pluries ea de re actum est, dubiis propositis, quae sequuntur:

49. I. « An alumni seminarii decanalis legibus ac mandatis » Archiepiscopi dioecesani subiaceant in casu?

II. » An Archiepiscopus dioecesanus dictos alumnos e sua » dioecesi et ab Ordinibus excludere possit, quia non obediunt » suis legibus et mandatis, quotiescumque in iis requisita a sacris » canonibus ac praecipue Trident. Concil. concurrant in casu?

III. » An excepto examine coram Ordinario, iudicium de re- » liquis conditionibus respective necessariis pro suscipiendis Or- » dinibus specialiter quoad doctrinam et mores ad Archiepisco- » pum, seu potius ad decanum pertineat in casu?

IV. » An et quonam numero admitti debeant alumni in eodem » seminario independenter ab Archiepiscopi auctoritate in casu?

V. » An praeter scholas grammaticae et musices superiorum » etiam ac sacrarum facultatum instituta tradi possint in eodem » seminario independenter ab Archiepiscopi auctoritate in casu? »

S. C. Conc. die 29. Maii 1852. rescripsit:

Ad I. Negative, exceptis dispositionibus Tridentini super exemptis.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad IV. Arbitrio decani.

Ad V. Affirmative.

« III. Quibusnam studiis vacent, et quo profectu? »

Summarium. 50. Ad efformandum perfecti sacerdotis exemplar non sufficit probitas morum, sed insuper scientia rerum praesertim sacrarum exposcitur. – 51. Quibus studiis alumni operam dare debeant ex decreto Conc. Tridentini. – 52. Quae facultates hodie communiter in seminariis tradi soleant. – 53. De seminariis magno et parvo; quale sit tam unum quam alterum, exponitur. – 54. Quanti intersit studium eloquentiae, tradit Bened. XIV. – 55. Philosophicis facultatibus non uno tantum anno dandam esse operam hisce praesertim temporibus S. C. C. pro re nata inculcat. – 56. Si alumnos ad aliquod gymnasium vel universitatem in civitate docendos mitti contingat, expedit domi repetitorem constituere. – 57. De quaestione nuperrime in Galliis excitata, num expediat in seminariis ethnicos auctores explicare, quam diremit SS̃mus D. N. suis ad Gallos Episcopos encyclicis Literis. – 58. De magistris generatim, quales ii esse debeant. – 59. Speciatim vero de magistris seminariorum clericalium. Curandum est, ut omnes plane sint de coetu ecclesiastico. Amo-

tionem magistri laici, uti talis non improbavit S. C. Conc. in *Lucana*, concessa eidem annua pensione. – 60. Magistrorum munus in seminariis non est perpetuum sed amovibile ad nutum. – 61. At amotio decernenda non est sine rationabili causa. – 62. In electione et amotione magistrorum Episcopus deputatos audire tenetur. – 63. De indultis studiorum causa, quibus gaudent discentes et docentes in publicis Universitatibus theologiam et sacram Scripturam; hi fructus beneficiales percipiunt, etsi non resideant. - 64. Quod extendi posse videtur etiam ad seminaria magnae celebritatis. – 65. Minime vero ad seminaria communia: aliquando specialis venia ab Apostolica Sede expetitur. – 66. 67. Praedictum privilegium complectitur etiam discentes ac docentes ius civile et canonicum, sive coniunctim sive disiunctim. – 68. Haec indulta non conceduntur, nisi cum Episcopi consensu. Quem hic, accedente iusta causa, negare nequit. Aliter patet ad Superiorem recursus. – 69. Pro discentibus indultum huiusmodi non suffragatur ultra aetatem annorum 25. – 70. Pro beneficiatis almae Urbis hoc indultum non conceditur ultra triennium. – 71. Item non suffragatur pro discentibus, qui curae parochiali praepositi sunt. – 72. Praeter haec indulta ex iure concessa sunt et alia concessa ex speciali privilegio, quae eo fortius Episcopi arbitrio committuntur. – 73. Haec indulta non extenduntur ad distributiones chorales, quas indultarii amittunt. – 74. Quid si distributionum cumulus fructus beneficiales notabiliter exsuperet. – 75. Quid si praebenda in distributionibus tota consistat, vel fructus praebendae prae distributionibus tenuissimi sint. – 76. Ad hunc effectum requiriturne, ut praebenda non ascendat ad unam tertiam partem, an vero ad duas ex tribus partibus distributionum. Potior videtur Fagnani sententia primam quaestionis partem propugnantis. – 77. Aliquando, sed raro nimis et gravissimis intercedentibus causis, Apostolica Sedes facultatem alicui Episcopo impertita est tribuendi gradus academicos adinstar catholicarum Universitatum.

50. Ad efformandum sacri administri perfectum exemplar satis non est institutio ecclesiasticae disciplinae, qua imbui debet quicumque in sortem Domini vocatus fuerit: illud praeterea requiritur, ut scientiis, praesertim ecclesiasticis, probe sit excultus et sic Ecclesiae ministeria scite persolvere valeat. Itaque ad rem S. Carolus Borromaeus (*Inst. sem. p. 1. c. 9.* §. *Omnia*) haec inde subiicit verba: « Cum igitur duo praecipue in sacerdote et » animarum pastore requirantur, probitas videlicet ac doctrina, » earum utraque in seminariis est comparanda. » Et facit adamussim, quod D. Bernardus ait *Serm. in Nat. S. Ioannis*: « Ete- » nim tantum lucere vanum; tantum ardere parum; ardere et

» lucere perfectum. » Merito igitur Bened. XIII. in sua Instructione ab Episcopis exposcit, ut referant, quibus studiis vacent alumni seminarii, et quo profectu.

51. Quae quidem aditum patefaciunt, ut duabus de rebus inquiramus, primum nimirum de huiusmodi studiis ac deinde de magistris ac moderatoribus haec studia promoventibus. Ad primum quod attinet, occurrit locus decreti Conc. Trid. in *cap. 18. Sess. 23. de Reform.* qui sic habet: « Ut vero in eadem disciplina » ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque ha» bitu clericali semper utentur, grammatices, cantus, computi ec» clesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent; sa» cram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, » atque Sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessio» nes audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremonia» rum formam ediscent. »

52. Ea est ratio studiorum in seminariis communiter hodie recepta, ut adsint ibidem gymnasia inferioris ac superioris grammaticae, humanarum literarum, rhetoricae, philosophiae, physicis disciplinis non exclusis, ac theologiae sive moralis, sive dogmaticae, sacrarum Scripturarum, iuris canonici, cantus Gregoriani, et sacrarum caeremoniarum. Quae vero seminaria ditiora sunt, alias etiam recensent disciplinas ad animum adolescentulorum in omnigena eruditionis parte excolendum. Adnotandum interea, quod scholae primis grammaticae rudimentis tradendis addictae deesse non debeant: eas enim diserte nominant Tridentini Patres; idque consentaneum prorsus est iis, quae de recipiendis pueris, antequam vitiorum habitus eos obtineant, ac nominatim, ut ad minimum duodecim annos nati sint, ab iisdem Patribus eo ipso decreto praestituta fuerant.

53. Multae sunt dioeceses, in quibus duo seminaria reperiuntur unum maius, in quo superiores disciplinae a philosophia tradi solent, alterum minus, ubi facultates inferius positae edocentur. Sed enimvero non paucae maiori quidem potiuntur, altero carent. Si quando itaque S. C. Concilii ex Episcoporum relationibus agnoscat, hunc alicubi defectum adesse, toto studio et sollicitudine eosdem admonet et accendit, ut nullum lapidem non moveant, quo tantae necessitati ad praescriptum Tridentini Concilii prospiciant, sive ampliatis laxatisque seminarii iam exstantis aedibus, sive alio funditus ad inferiorum facultatum usum exci-

tato aedificio. In quo cum omnium Episcoporum laudanda est cura ac studium S. Congregationis mandatis obsequendi, veluti quotidiana fere docet experientia, tum praecipue Galliarum Antistites, ad omne bonum opus adeo prompti alacresque, egregiam sibi laudem merentur.

Neque satis est, ut omnes, quas recensuimus, disciplinae in seminario tradantur, sed et insuper tantum in iis alumni tempus insumant, quantum ad congruum disciplinae cuiusque captum et assecutionem necessarium sit. Non infrequenter accidit, ut aliquis Episcopus in studiis enumerandis, ad quae alumni seminarii sui animum conferunt, a grammatica ad philosophiam convolet. Quocirca S. C. in responsionibus non omittit animadvertere, quod, dummodo grammatica lato sensu non sumatur, ita nimirum, quod humanas literas et rhetoricam complectatur, hasce utique humanarum literarum et rhetoricae facultates, quoad fieri potest, superaddi curet, ne clericalis institutio dici queat numeris omnibus non absoluta.

54. Quanti vero intersit, ut eloquentiae studia in seminariis excolantur, ostendit Bened. XIV. *Inst. eccl. 59. n. 14.*, qui cum novum Bononiae seminarium condidisset, ibidem esse voluit « non » futuros modo peritissimos viros (ita ipse), qui grammaticam » et humaniores literas edoceant, sed excellentem quoque elo» quentiae professorem, quae necessaria prorsus ecclesiasticis ha» betur, ut clerici verba ad populum faciant, christianae legis » disciplinam explanent, aliisque rite muneribus perfungantur. » Deus ipse in sacris Literis sermonis ornamenta saepius adhi» buit, uti comprobat Mabillonius *(De stud. monasticis part. 2.* » *cap. II.): Ceterum quantum acuminis in sacris divinorum Va*» *tum meditationibus adest! Quanta in elocutionibus gratia! Quanta* » *troporum ac figurarum varietas? Quis non miretur in moralium* » *libris brevitatem et apophthegmatum energiam? In Prophetis vir*» *tutis ac vitii expressas ad vivum imagines, et obiurgationum* » *minarumque pondera?* »

55. Illud etiam aliquando contigit, ut Episcopi renuntient, idque semel iterumque factum est de Episcopis Galliarum, alumnos unum tantum annum disciplinis philosophicis impendere. Quapropter S. C. C. solet eosdem admonere, ut maiori temporis spatio in studio earum facultatum suos alumnos detineant. Cum enim hisce praesertim temporibus omnigena errorum monstra,

et opinionum deliramenta (quod pessimum vitium est huius aevi) miserrime ex insanae philosophiae latebris emergant, unde tanta in Ecclesiam et civilem societatem perturbatio existit, nihil tam opportunum, quin imo necessarium occurrit, quam ut adolescentes clerici sanae ac sincerae philosophiae latices hauriant, eiusque doctrinarum peritissimi exeant. Ita enim non solum ipsi ab eo contagio praecavebunt, sed insuper idonei erunt, ut christifideles illaesos custodiant. Similis defectus eo magis arguitur, si de theologia sermo sit.

56. In aliquibus dioecesibus, ubi gymnasia superiorum disciplinarum non exstant, si adsit in civitate Universitas aut Lyceum quodcumque iisdem instructum, in usu positum est, ut adolescentes ad huius Universitatis et Lycei gymnasia mittantur, prouti, ex. gr. fit Romae, ubi adest Collegium Romanum a sodalibus Soc. Iesu directum, quod plurium Urbis Collegiorum alumni ad singulas inferiores superioresque disciplinas celebrant. Iamvero hisce in casibus summopere expedit, ut alumni domi habeant magistrum, *repetitorem* vulgo nuncupatum, qui doctrinas a professore in Universitate traditas domi ipse recolat, alumnis enucleatius evolvat, eosque exercitatiores efficiat. Ita porro fieri solet in Urbe, fecitque etiam Bened. XIV. *loc. cit. num. 15.*

57. Hic fortasse non erit alienum, mentionem de ea controversia facere, quae paucis abhinc annis in Galliis potissimum exarsit, an videlicet expediret in seminariis ethnicos auctores explicare, quo melius alumni ex iis puram latinitatem et eloquentiam addiscant. Neque enim negari potest, multos ex illis non modo fluere lutulentos ad omnem impuritatem, sed ex omni parte falsas profanasque ethnicorum sententias redolere. Iamvero quo acrius haec dissensio eruperat, eo citius resedit ac in perpetuum conquievit, postquam s. m. Pius PP. IX encyclicis Literis ad Episcopos Galliarum datis die 21. Mart. 1853. *Inter multiplices* (quas dabimus vol. III. sub. num. 59.) praeter alia enixe iis commendavit, ut ad bonum Ecclesiae ac societatis rectam cleri institutionem curarent; adolescentes clericos ad omnem virtutem, pietatem, humilitatem et ecclesiasticum spiritum informare pergerent, simulque efficerent, ut humanis literis ac disciplinis severioribus praesertim sacris imbuerentur ab omni procul erroris periculo immunes, necnon veram loquendi scribendique elegantiam et eloquentiam addiscerent sive a sapientissimis sanctorum

Patrum operibus, sive a praestantioribus scriptoribus ethnicis ab omni labe purgatis, ita ut potissimum solidam perfectamque theologiae, historiae ecclesiasticae, sacrorumque canonum doctrinam ab auctoribus per Apostolicam Sedem approbatis desumptam assequi valeant. Hoc porro venerabilissimo oraculo accepto conticuere omnes, intentique docilem animum ad ea mandata peragenda converterunt. Quos inter mentione dignus est Archiepiscopus Parisiensis (Maria Aug. Dominicus Sibour), qui scilicet paulo ante celebrem quamdam ephemeridem pro excludendis in seminariis ethnicorum libris pugnantem suo decreto proscripsisset, non haesit momento temporis, quin altero decreto proscriptionem revocaret ea potissimum de causa, ut Summi Pontificis consiliis obtemperaret, eiusque animum laetificaretur. *Vid. ephem. nunc.* Civiltà Catt. *ser. 2. vol. 2. num. 75. pag. 337.* diei 7. Maii 1853. et Acta S. Sedis *vol. 2. pag. 673.*, ubi de usu librorum ethnicorum in scholis habetur epistola S. Officii anni 1867.

58. Modo de seminariorum magistris verba facienda sunt. Quod magistri eam scientiam, quam explicandi munus habent, apprime callere debeant, superfluum esset hic persequi. Praeterea morum ac vitae sanctitate gravitateque incessus, oris ac modorum polleant necesse est. Quintilianus, vir ethnicus, *lib. 1. c. 3.* tradit « et praeceptorem eligere sanctissimum quemque, » cuius rei praecipua cura prudentibus est. » Et alibi *lib. 2. cap. 2.* talem esse oportere magistrum docet, « ut et teneriores » annos ab iniuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a » licentia gravitas deterreat. » Et doctissimus Card. Petra ad *Const. Apost. Ioann. XXII. Const. 7. n. 4. tom. 4.* scribit: « Plura » siquidem, et quae in omnibus non sunt obvia, desiderantur, » ut quis idoneus magister dici et approbari valeat, videlicet, » quod sit honestus, pius, discretus, mansuetudinem et humili- » tatem colat, sit in sermone verax, in iudicando iustus, in con- » cilio providus, constans in vita, opportune rigidus, habeat pe- » ritiam docendi, facundiam dicendi, subtilitatem interpretandi, » copiam disserendi. »

59. Quae quidem dotes, si in quacumque magistri persona requiruntur, multo magis excellere debent in eo, qui ecclesiasticam iuventutem in seminario clericali edocendam assumit. Quocirca summopere cavendum est, ut iidem magistri, secluso casu necessitatis, de clero sint, etiamsi agatur de tradendis sive phi-

losophicis, sive iuris utriusque disciplinis, quae cum laicis communia sunt. Verum quidem est, hac de re nullum verbum factum fuisse a Patribus Tridentinis in decreto *Sess. 23. cap. 18. de Reform.;* at rei congruentia id plane suadet; adeoque S. C. C. non reprobavit remotionem cuiusdam professoris utriusque iuris ea de causa, auditis deputatis seminarii, ab Ordinario iussam, quod idem professor laicus homo erat, quamquam ei pensionem annuam, quae fuerat eidem assignata, confirmatam voluerit. Id patet ex *Lucana* 17. Febr. 1838. ad 1. et 2.: Querelas siquidem obmovente advocato N. N. adversus Lucanum Metropolitam, quod ab utroque iure in seminario tradendo remotus fuisset, utpote laicus, et, propositis dubiis: « 1. An constet de illegitima N.N. » remotione a professoris officio in casu? Et quatenus negative, » 2. An et quatenus sit eidem providendum in casu? » S. C. respondit: « Ad primum Negative. Ad secundum Negative, et » satis provisum ab Archiepiscopo summa scut. 45, attento con- » sensu praestito a canonico N. N. », qui videlicet advocato N. N. in officio subrogatus fuerat.

60. Huc accedebat, quod magistrorum officium non esse perpetuum tradant doctores et declarationes S. C. Conc.; ita enim legitur in *folio Lucanae* §. *Porro Archiep.:* « Lectoris officium » minime perpetuum censetur, sed potius ad nutum amovibile, » ut tradit S. C. in *Oppiden. Praeb. theol.* 15. Mart. 1828. » §. *Sin autem,* aut esse annuale, vel triennale, vel ad sexen- » nium licet indefinite collatum, uti docet Oter. *De offic. p. 1.* » *cap. 7. n. 5.*, Strik. *De iur. praecept. cap. 1. et 2.,* et pres- » sius S. C. Conc. in *Tudertina* 15. Sept. 1792., in qua species » erat de quodam parocho cathedralis, qui a clero Tudertino viva » voce electus fuit ad deputatum seminarii et lectorem cum annuo » stipendio scut. 13, 50. Cum vero suppressum fuisset lectoris » officium et professor remotus, proposita fuere dubia: – An » constet de legitima remotione curati Mariani a munere lectoris » casuisticae in casu? – Et quatenus negative, – An teneatur » clerus pro dicta lectione eidem solvere stipendium scut. 13, 50 » in casu? Responsum prodiit: Ad I. Affirmative et amplius. » Ad alterum: Provisum in praecedenti et amplius. » – Quare ubi nonnisi ex iusta causa removeri lectores posse statuitur, praecaveri tantum videtur, ne temere et irrationabiliter omnino ad eorum remotionem deveniatur.

61. Ex ultimis hisce verbis colligitur non ex lubitu et absque rationabili causa debere ab Episcopis professores removeri, quod etiam colligitur ex altera causa *Spoletana* 22. Iun. 1844., in qua quidam canonicus Patrizi, seminarii iamdiu grammaticae magister, Rescriptum ab Archiepiscopo obtinuerat, quod Apostolica Sedes postmodum confirmaverat, ut, dummodo in suo munere fideliter adimplendo perseveraret, donec suppeterent vires, alimenta ac servitium a seminario recipere deberet, quatenus ob infirmitatem ad praeceptoris munus ineptus efficeretur. At Patrizi, cum ab Archiepiscopo ac deputatis seminarii remotus fuisset, allegata prae caeteris eius in obeundo munere negligentia, ac minus sana eiusdem mente, graviter institit apud S. C. C., in qua haec duo dubia discussa sunt: « 1. An et quomodo sustineatur remotio » canonici Patrizi ab officio praeceptoris in casu? Et quatenus » affirmative, 2. An et quomodo sit locus subministrationi ali- » mentorum et servitii favore ipsius Patrizi in casu? Prodiit re- » scriptum: Ad 1. et 2. habita ratione Rescripti SSmi locum » esse assignationi annuae pensionis scut. 60. »

62. Cum in electione magistrorum, tum in eorumdem remotione exigitur, ut Ordinarius seminarii deputatos audiat, quamvis eorum consilium sequi non teneatur. Circa remotionem tantummodo habetur argumentum in *Lucana et Spoletana* mox allegatis, in quibus Ordinarius eosdem deputatos in consilium adhibere non omiserat. Circa utramque insimul electionem videlicet ac remotionem adest declaratio S. C. Conc. in *Mediolanen.* relata sine die a Pignatell. *Cons. 81. num. 62. et seq. tom. 9.*, ubi sancitur, quibus in rebus Ordinarius deputatos in consilium adhibere debeat, licet sequi non teneatur, et disertis verbis declaratur, id locum habere « in electione magistrorum » et « in eorumdem expulsione. » Idem declaratum fuit in *Salernitana* infra (*n. 110.*) referenda.

63. De indultis studiorum causa concedi solitis aliqua subdere locus hic est. Ut studia in ecclesiastico coetu etiam atque etiam promoverentur, providentissima mater Ecclesia semper iis studiose favere adsuevit, qui uti magistri docendi munus obirent, vel uti discipuli addiscendo operam darent. Honorius III. in *Cap. Super 5. de magist.* haec habet: « Docentes vero in theo- » logica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa » integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Aposto-

» licae proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non » obstante aliqua alia consuetudine vel statuto, cum denario frau- » dari non debeant in vinea Domini operantes. » Consonat C. Trid. *cap. 1. Sess. 5. de Reform. in fin.:* « Docentes vero ipsam sa- » cram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares » qui in ipsis scholis student, (1) privilegiis omnibus de perce- » ptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum, in ab- » sentia a iure communi concessis plane gaudeant et fruantur. » Cum vero hic aperte sermo sit de beneficiorum fructibus, sponte sequitur, minime comprehendi distributiones quotidianas, prouti reapse declaraverat ipse Honorius III. *Cap. Licet nobis 32. de Praeb.,* ubi ait: « Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut ma- » gistro N. Eboracen. archidiacono, in sacra pagina cupienti stu- » dere, proventus suos ecclesiasticos faceretis integre ministrari, » nolumus tamen, ut quotidianas distributiones , quae tantum » residentibus in ecclesiis, et his, qui intersunt horis canonicis, » exhibentur, ei tribui faciatis. »

64. Pronum est unicuique animadvertere in allatis textibus sermonem haberi de publicis Universitatibus, adeoque potest inquiri, an privilegia praedictas facultates vel edocentium, vel addiscentium competant iis, qui in seminariis rem eamdem praestant. In quo cum distinctione procedendum esse videtur; aut enim agitur de aliquo publico gymnasio celebri, in quo optime eiusmodi facultates traduntur, quomodo fit, quando gymnasia a sodalibus Societatis Iesu vel Scholarum Piarum, aut alicuius alterius celebris Instituti diriguntur ; aut agitur de seminariis communibus ac ordinariis. In primo casu, licet, inspecto iuris rigore, negative respondendum videatur cum tota fere doctorum caterva, attamen doctissimus Petra *ad Constit. X. Bonif. VIII. n. 6. tom. 3.,* cui praeter alios adstipulatur Giraldius, *Ius Pont. p. I. ad cap.* Super specula *de mag. sect. 646. in fin.,* huic sententiae non ita facile subscribere audet cum pluribus de causis, tum potissimum, quod S. C. Conc. aliter tenere visa est in *Mediolanen.* 19. Nov. 1675. (*lib. 28. decret. pag. 188. a tergo*), ubi ad dub. V.: « An ipsi (beneficiato) debeantur duae ex tribus par-

(1) Et quidem per annos quinque ac de licentia Sedis Apostolicae. Vide Giraldi Ius Pontif. Part. I. Sect. 787. §. *Ut lectores.*

» tibus distributionum, quamvis non inservierit sub praetextu, » quod studiis sacrae theologiae vacaverit in scholis PP. Socie- » tatis Iesu Mediolani? S. C. auditis utriusque partis Procura- » toribus, et noviter deductis accurate perpensis, rescripsit: Ad V.: » Praevio recessu a decisis, affirmative. » Consulatur folium causae *Milevitanae, Indulti* 28. Septemb. 1743. §. *Iure,* necnon folium *Urbanien. Exemptionis* 19. Septemb. 1772. §. *Praestat,* et §. *Cohaeret.*

65. Si igitur huiusmodi privilegiorum fruitio vix ac ne vix quidem admittitur in iis gymnasiis, quae aliqua celebritate gaudent, nullimode admittendum esse sequitur, si agitur de casu i. e. de seminariis communibus et ordinariis, veluti confirmat quotidiana experientia, et nominatim causa *Urbanien. Exemptionis,* mox memorata, in qua S. C. Conc. indultum abessendi denegavit in comitiis diei 21. Novembris 1772. At vero hoc in casu licet invocare S. Congregationis indulgentiam, quae, iusta ac rationabili accedente causa, absentiae veniam impertitur, sive magistris, ut accidit in *Ferentina Indulti* 12. Iulii 1817., sive discipulis, ut eruitur ex quotidiana experientia.

66. Quoniam vero contingere potest Episcopis, ut aliquo celebri seminario potiantur iuxta ea, quae modo posita sunt, vel ut indulta a magistris vel discipulis petita (vide *sup. n. 63.*) et a S. C. obtenta iisdem exsequenda committantur, idcirco non pauca scitu necessaria, quae supersunt, de utroque casu singulatim proferre non praetermittam. Quamvis in textibus e corpore iuris Canonici et Concilii Tridentini superius exscriptis privilegium ut quis a residentia abesse possit, ad studia facultatis theologicae et S. Scripturae coerceatur, nihilominus ex declarationibus S. Congr. Conc. in *Tropeien.* 10. Novemb. 1597. et in *Perusina* 7. Maii 1707. memoratum indultum suffragatur nedum lectoribus sacrae theologiae, sed etiam iuris canonici et civilis, etiamsi illud legant in publico gymnasio, quod exstet in eadem civitate, ubi praebendas obtinent, sive stipendium sit eis ex publico aerario constitutum, sive non; et etiam si non sint ex numero eorum, qui cathedras habent, dummodo docendi facultas iisdem data fuerit ab iis, ad quos spectat. Vid. Girald. *l. c.*

67. Suffragatur itidem iuri civili studentibus, si huic operam dent causa addiscendi postea ius canonicum, ut ex declaratione eiusdem S. Congregationis ad III. dub. sub die 31. Maii 1607.

Vid. Girald. *loc. cit.* item et Petram ad *Constit. X. Bonif. VIII. num. 5. tom. 3.*, qui resolutionem S. Congregat. suis ipsis refert verbis.

68. In Constit. *Sanctissimus* Pii IV. diei 24. Novembr. 1564., cuius verba Giraldius exscribit *loc. cit.*, indulta studiorum nullatenus indultariis prodesse declaratur, « nisi singulorum Ordina- » riorum locorum, in quibus singula beneficia huiusmodi exi- » stunt, consensus gratis praestandus ad id accedat. » Namque in *Cap.* Ex tuae *de Cler. non resid.*, ubi res est de quodam indultario causa studiorum, apertissime ponitur, licentiam eumdem ab Episcopo accepisse; cohaeret dispositio *Cap.* Relatum *de Cler. non resid.*, et late probat Petra *loc. cit. n. 7. et 8.*, ubi ostendit, Episcopi partes esse, ne indultarii absint in fraudem, vel cum nimio detrimento servitii choralis, veluti fit, cum alii nimio numero etsi ex legitima causa procul sint.

Quando vero causa absentiae iusta est, et a iure recognita, Episcopus licentiam negare nequit, et, si neget, patet aditus ad Superiorem ope recursus ad eumdem: (Petra *loc. cit. n. 11.*) « Pro comperto enim est (ut cum Garzia concludit idem Petra), » quod huiusmodi licentia ab Ordinario danda non est arbitrii » et gratiae, sed iustitiae et necessitatis. »

69. Ex more S. Cong. Conc. huiusmodi indultum circa discentes non patrocinatur iis, qui iam annum 25. attigerunt, ut in *Signien.* 8. April. 1592. *(lib. 7. decret. pag. 41. a tergo);* quod idem iam statuerat Concilium Tolosanum celebratum an. 1596., ut refert Petra *l. c. n. 10.*

70. Imo si agatur de beneficiatis Urbis Romae, hoc indultum non est concedendum ultra triennium, neque maioribus 25 annos, ut patet ex Constit. Innoc. XII. *Sanctissimus* 23. Maii 1693., cuius verba refert Girald. *loc. cit.*

71. Denique licet olim indulto causa studiorum gaudere possent etiam beneficiati curam animarum exercentes, attamen iuxta hodiernam disciplinam aliter se res habet, prout pluribus allatis argumentis et declarationibus S. Congreg. in rem editis probat Card. Petra ad *Constit. X. Bonif. VIII. num. 12. et seq.*, qui insuper difficultates, quae contra obiici possunt, strenue refellit.

72. Ex his, quae attulimus de indultis ex iure concessis, normam sumit, ut plurimum, S. C. Conc. in elargiendis indultis ex speciali privilegio iis, qui neque in Universitate, neque aliquo

celebri gymnasio scientias vel docent, vel addiscunt. Itaque si fere semper Rescripta quaelibet, quae ad alia negotia pertinent, Episcoporum arbitrio exsequenda committit, haec, de quibus agimus, studiorum indulta specialius solet expedire in forma commissaria directa propriis Ordinariis, idque esse iam antiquitus in praxi animadvertit Petra *l. c. n. 8.* cum Card. de Luca in *Rel. Rom. Cur. disc. 15. n. 7.*

73. Eadem ratione S. C. C. dum indultariis copiam facit, ut quamtumvis absentes beneficiorum suorum fructus percipere suosque facere possint, distributiones excipit, quas ab iisdem interim amitti diserte praescribit. Card. Petra ad Const. *IX. Bonif. VIII. n. 19.* ad rem affert resolutionem *Maceraten.* 10. Decembr. 1616. (*lib. 2. decret. pag. 186.*), quae ita est: « Cano» nici studiorum causa absentes eam tantum portionem amittunt, » quam residentes non percipiunt, nisi divinis intersint: aliam » vero partem, quam residentes lucrarentur, etiamsi ecclesiae non » inserviant, lucrantur, quia absentes studiorum causa pro re» sidentibus habentur. » Consonant et aliae resolutiones in eamdem sententiam a Card. Petra citatae; et novissime S. C. C. in Tranen. 20. Dec. 1862. ad dubium 8., cuius folium afferemus in vol. III. *n. 26.* Ceterum quid distributionum nomine veniat, et quae distributionum specie ab indultariis amittantur, et quidquid aliud ad hanc materiam attineat, docte tradit Petra *l. c. n. 15. ad 20.*

74. Sed enimvero praetereunda non est animadversio, quod res plana sit, ac prono alveo procedat, quando fructus a distributionibus ita distincti sunt, ut praeterea distributionum cumulum notabiliter exsuperent. Quid vero, si praebendae fructus notabiliter distributionum cumulo inferiores sint? At enimvero pro constanti sacri Ordinis disciplina utrique rei consultum est per Rescripti formulam communiter vel ab antiquo tempore usitatam tenoris, qui sequitur: « et nihilominus (orator) fructus omnes » sui canonicatus percipere valeat, amissis distributionibus quo» tidianis. Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constant, » vel si reditus praebendae tertiam distributionum partem non » attingant, duas ex tribus partibus distributionum, vel prae» bendae ac distributionum insimul cumulatarum respective per» cipiat, amissa tertia parte, quae inservientibus accrescit. »

75. Neque item difficultatem facessit, si nulli adsint praebendae fructus, et omne emolumentum in distributionibus situm

sit, aut fructus ita tenues sint, ut ex. gr. si distributionum cumulus scutata tringinta constituat, fructus minus quam scutata decem efforment: hoc enim in secundo casu cumulationi fructuum cum distributionibus sine dubio locus fit, adeoque indultarius unam ex tribus partibus tantummodo amittit sive distributionum simpliciter, sive distributionum cum fructibus cumulatarum. Si vero fructus tertiam partem distributionum superent, tum indultarius distributiones omnes percipiendi iure excidit. Quocirca in *Albanen. Indulti* diei 27. Apr. 1861. *per Sum. prec.* cum canonicus N. N. studiorum causa iuxta normam superius allatam indultum obtinuisset, et ceteroquin tota redituum canonicalium vis ex dimidia parte in distributionibus, altera in fructibus aeque adsignata reperiretur, controversia suborta est, an canonicus N. N. totas distributiones deberet amittere, et S. C. C. rescripsit: « In casu, » de quo agitur, indultarium amittere distributiones quotidianas; » ex quo assertio nostra satis superque confirmatur. Nihilominus S. C. cum in eo particulari casu speciales aliquae circumstantiae accederent, superaddendum existimavit: « sed attento consensu » Capituli, pro gratia, ut orator durante absentiae indulto duas » ex tribus partibus distributionum et fructuum insimul cumula- » torum percipere queat, amissa tertia, quae inservientibus ac- » crescat, facto verbo cum SSmo. »

76. Huiusce causae occasione disceptabatur, an ad effectum conficiendae cumulationis et lucrandi duas partes ex tribus requiratur, ut praebenda non ascendat ad unam tertiam partem, an vero duas ex tribus partibus distributionum. Finge ex. gr. quod distributiones reddant scutata triginta: ut cumulationi fiat locus, necesse erit, quod fructus in scutatis novem et obul. 99 consistant? an vero satis erit, si fructus scutata 9 et obul. 99 attingant? Secundam hanc benigniorem sententiam propugnat Pignatel. *Consult. 83. tom. 9.*, qui praeterea Fagnanum aliter autumantem in *Cap.* Quia tantum *n. 33.*, et *Cap.* Licet *num. 139. de praeb.* impugnat. Sed Fagnano adstipulatur Petra ad Const. *IX. Bonif. VIII. num. 27.*: neque immerito; nam, ut idem ibi tradit auctor, « vere sensus Fagnani debet attendi, tum quia est fun- » datus in resolutionibus S. C., tum etiam uti versato in hac » materia, et demum concurrit ratio etiam per privilegium, cum » eo minus, quo possit, debeat vulnerari servitium chori, et ius » aliorum inservientium. »

Addit insuper, quod ante annum 1669. in usu positum erat, ut quartae partis amissio in Rescriptorum formula praescriberetur; ex eo vero tempore inductum est, ut quartae parti amittendae tertia subrogaretur ob eam rationabilem causam, quod « sicuti Concilium voluit, ut, non existentibus distributionibus, » tertia pars separaretur pro istis, ita pro fructibus iustum est, ut » tertia saltem pars quantitatis distributionum attingatur. » Iamvero huic dispositioni bene satisfit per sententiam a Fagnano et Petra propugnatam, minime vero per aliam, quam Pignatellius tuetur, in qua distributionum vicem gerunt duae ex tribus partibus, minime vero una iuxta sensum Patrum Tridentinorum. Haec e folio praedictae causae *Albanen. Indulti* excerpsimus.

77. Aliquando Apostolica Sedes, gravissimis intercedentibus causis, alicui Antistiti facultatem fecit, ut nonnullos, ac etiam omnes academicos gradus adolescentulis in seminario sibi subiecto commorantibus, examine rite praemisso, tribuere possit adinstar catholicarum Universitatum. Sed nihilominus accuratissime cavit, ne huiusmodi facultas nimis communis ac vulgaris efficeretur. Hinc sub exitum anni 1864. cum huiusmodi privilegium pro alumnis sui seminarii supplex exorasset quidam Galliarum Antistes, S. Congr., audito oraculo SSmi D. N., eius votis hac in re se adnuere non posse respondit.

« IV. An cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis in- » serviant. »

Summarium. 78. Ex Conc. Trid. alumni singulis diebus festis cathedrali vel alii ecclesiae loci inserviant. – 79. In quo consistat huiusmodi servitium. – 80. Quocirca non licet canonicis impendere alumnos in aliis rebus alienis. – 81. Hoc servitium non extenditur ad dies feriales. – 82. Nec attendendus est contrarius usus. – 83. Qui sint nominatim dies festi ad hunc effectum, non est determinatum. Norma sumi poterit a tabella seminarii Arborensis a S. C. Conc. approbata. – 84. Servitium vero non est coercendum ad festa solemniora. Quamvis pro aliis festis simplicibus induci possit usus, ut aliqui per orbem alumni servitium praebeant. – 85. Quo in chori loco sedere debeant. – 86. Quid si seminarium situm sit in loco, ubi cathedralis non adest. – 87. Huic articulo conveniunt quaedam resolutiones S. C. Rituum. – 88. S. Cong. Rituum declaravit, seminarium non esse membrum Capituli, ac propterea cedere debere locum digniorem curatis, canonicis, et clero parochialium et col-

legiatarum, sua sub cruce incedentibus. – 89. 90. Item definivit, seminarium praecedere debere clericis civitatis. – 91. Item censuit, seminario deberi praecedentiam supra canonicos collegiatae Sarni, minime vero, si hi iidem canonici incedant sub cruce Capituli collegiatae.

78. Nihil antiquius ac potius unquam habuit Ecclesia, quam quod adolescentuli, qui ecclesiasticae militiae tyrocinium agerent, a teneris annis alicui ecclesiae inservirent, eiusque ministeriis recte obeundis initiarentur. Vide Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib II. cap. 2. in princ.* Celebris est dispositio sexti canonis Concilii Chalcedonensis, cui inhaerens Tridentina Synodus *Sess. 23. cap. 16. de Reform.* statuit, ut nullus imposterum ordinaretur, qui alicui ecclesiae aut pio loco non adscribatur. Quocirca eadem Synodus, quando de seminariis actum est, in quibus eo tendebatur, ut perfectum quodammodo sacerdotis exemplum efformaretur, meritissime cautum voluit, ut alumni diebus festis in templo civitatis principe, seu cathedrali sub oculis Episcopi, in conspectu cleri et populi copiam sui facerent, ac servitium praeberent. Namque in memorato *cap. 18. Sess. 23. de Reform.*, Tridentini Patres statuerunt: « Curet Episcopus ut (pueri)... » cathedrali aut aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. » Nec diversimode S. C. C. se gerit; nam in hac, de qua agimus, Bened. XIII. Instructione sese vult edoceri, an huic praescriptioni satisfiat, ea nempe de causa, ut ubique saluberrima huiusmodi dispositio sancte custodiatur.

79. In quo vero consistat servitium in cathedrali a seminarii alumnis praestandum, innuit Frances *de eccl. cathed. c. 38. n. 598.* ubi ait, quod iidem ex sua institutione tenentur omnibus festivis diebus in ecclesia cathedrali inservire ita, ut in altaribus sacerdotibus adsistant, in choro opera exerceant ministrorum, thuribulum deferendo, et alia faciendo, per quae cantus, caeremoniae et alia ecclesiastica officia addiscantur.

80. Hinc eruitur, non licere sive canonicis sive aliis, alumnos seminarii impendere in qualicumque privato servitio, quale esset ex. gr. opus induendi canonicos vestibus choralibus, et multo minus vestibus communibus et vulgaribus, gerendi pro iis Breviarium, aliaque huiusmodi ministeria in privatum personarum usum peragendi. Haec corruptela in insula Sardiniae invaluerat, quam S. C. Episc. et Regul. omnino evellendam praecepit suis literis encyclicis ad Sardiniae Episcopos datis 2. Oct. 1842. *art. 3.*,

quarum observantiam acrius inculcavit aliis literis diei 16. Septemb. 1844. Hasce literas legere est in folio *Arboren. 25. Sept. 1847. §. Itaque,* apud S. C. C., quae similiter in eadem causa huiusmodi abusum omnino reprobavit, confirmata praescriptione, quam hanc in rem Archiepiscopus Arborensis ediderat, repugnantibus frustra canonicis, prouti videre est in eodem fol. §. *Itaque et seq.* circa tertium dubium. Ibidem ad *n. 5.* statuitur, ut clerici in hoc servitio praestando seminarii Superioribus unice subdantur, ad quos tantummodo pertinere debebat eum mittere alumnorum numerum, qui, praeter necessarios, sibi magis visi fuerint.

81. Servitium vero in ecclesia cathedrali ab alumnis praestandum ad dies feriales non est extendendum, uti statutum invenitur in memoratis literis *n. 4.* Id enimvero consonum est Constit. Innoc. XIII. incipien. *Apostolici ministerii* 13. Maii 1723., quam confirmavit Bened. XIII. Constit. *In supremo* 23. Sept. 1724., quam Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. II. cap. 2. n. 7.* auctor est, editam fuisse a Bened. XIII., quia volebat « eamdem ab » omnibus per orbem Episcopis pro norma haberi. » Iamvero in ea Constitutione sancitur §. *9.,* ut « clerici teneantur iuxta » eiusdem Concilii decretum diebus tantum festivis... Cathe» drali aliisve loci ecclesiis inservire. » Subinde vero additur: « sublata quacumque consuetudine maioris servitii etiam im» memorabili, postpositaque etiam quacumque appellatione vel » inhibitione. » Consul. idem folium *Arboren.* §. *Verumtamen.*

82. Quod vero hac in re usus contrarius sit omnino posthabendus, comprobatur speciatim ex resolutione decimiquarti dubii in causa *Alben. Sacr. rit. et reg. eccl.* 19. Septem. 1710., quae a Congregatione particulari multorum Cardinalium a SSmo deputatorum, cuius a secretis erat Card. Petra, tum temporis Secretarius S. C. Conc., iudicata est post doctissimam consultationem P. Pomponii de Vecchis, advocati consistorialis; et consultatio tota cum singulis dubiis ac resolutionibus refertur a Scarfant. ad *Cecc. tom 3. add. 38.* Dubium porro erat: « 14. An » sit servandus praetensus usus, quod duo ex clericis semi» narii inserviant cathedrali diebus ferialibus a celebratione se» cundae Missae inclusive Missis conventualibus; et usque ad » finem aliarum functionum de mane? » Emi Patres responderunt: « Negative. » Tale etiam fuerat advocati de Vecchis votum, qui in citata additione *n. 23.* reddit rationem, quod « pueri

» ad praescriptum Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 18. de Reform.* in » seminario educandi debent incumbere ad studia, ut habi- » les fiant ministrare, et solummodo sub §. *Curet Episcopus,* » mandatur, ut serviant diebus festis, et propterea non sunt illis » subtrahendae horae, seu tempus opportunius ad studia per- » agenda extra dies festivos. »

83. Quibus vero determinatis diebus clerici ad cathedralem accedere debeant, praestitui non potest, sed norma desumi potest enucleatius ex tabella ab Archiepiscopo Arborensi proposita, cuius synopsim dat memoratum folium §. *Tertio.* « Tertio loco » iuxta tabellam ab Archiepiscopo proxime invectam seminarii » alumni choro inservient in diebus integri praecepti (videlicet » ex albo festorum minime dispunctis), quando functiones a ca- » nonico ac ministris paratis aguntur. Hi dies, si erunt pontifi- » cales, ad officium solemne duodecim, ad Missam universi ade- » runt. In Dominicis, aliisque festis non pontificalibus congruus » numerus mittetur. In festis reductis ad Vesperas et Missam » conventualem servient duo e seminario antiquiores cum toti- » dem clericis externis. Duo antiquiores cum sex clericis externis » aderunt etiam in determinatis aliis Sanctorum diebus. Pro se- » minarii alumnis pluviale clerici externi (antea siquidem alu- » mnis pluvialis gestandi onus incumbebat) horum defectum » supplebunt ipsi alumni. Hi intererunt in diebus non festis ad » functiones, quae pontificaliter exercentur, ut in primis Vespe- » ris omnium solemnitatum, die Cinerum, aliisque similibus. In » casibus extraordinariis Archiepiscopi approbatio non deerit. In » sacrario inservient pro solis solemnium functionum paramentis.» Huiusmodi tabellam calculo suo comprobavit S. C. Conc., nam in allata *Arboren.* 25. Sept. 1847. *ad 3. dubium* his verbis conceptum: « An, quomodo et quae tabella sit observanda circa servitium » cathedralis ecclesiae ab alumnis seminarii et clericis praestan- » dum in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 3. Affirmative » iuxta votum Archiepiscopi et amplius. » Porro votum Archiepiscopi erat, ut ex tribus tabellis, quae examini subiiciebantur, una nempe antiqua a Capitulo propugnata, altera ab uno ex antecessoribus Archiepiscopis inducta, tertia ab Archiepiscopo pro tempore proposita, haec ultima a S. C. approbationem obtineret.

84. Neque vero sinendum est, ut alumni seminarii cathedrali famulentur diebus tantummodo solemnioribus: cum enim unus

et alter Episcopus id in suo seminario se statuisse retulissent in statu renuntiando suarum dioeceseon, S. C. in suis ad relationem responsis eisdem praescripsit, ut Concilii Tridentini decreto adhaererent, ubi servitium huiusmodi omnibus diebus festivis iniungitur. Id unum fieri posse edixit, ut diebus festis simplicibus aliqui per orbem alumni grandioris aetatis tantummodo ad cathedralem accederent, in solemnibus universi concurrerent.

85. Circa locum, quo alumni sedere debeant, adest declaratio S. Congr. Conc. in *Oscen.* sine die et anno, quam affert Pignat. *Cons. 81. n. 47. Tom. 9.* « Curare debet Episcopus cum consilio » duorum canonicorum seniorum, ut pueri seminarii cathedrali » et aliis locis ecclesiasticis diebus festis cum superpelliceis in » gradibus inferioribus chori deserviant. »

86. Quod si seminarium situm sit in oppido, in quo cathedralis non adest, tum efficiant Episcopi, ut ecclesiae collegiatae, si adsit, vel parochiali, quoad fieri potest, serviant, quemadmodum non semel simili in casu ad normam Conc. Trid. Episcopis S. C. C. rescripsit.

87. Huic articulo coronidem imponant quaedam declarationes S. C. Rit. huic loco quadrantes.

88. « Praetendere clericos seminarii ecclesiae Capuanae ex eo, » quod soleant in choro recitare officium parvum B. M. V., et » assistere Archiepiscopo ad Missam et Vesperas venienti in die- » bus solemnibus, et cum clero ecclesiae cathedralis quasi eius » membra in processionibus ire, hanc praecedentiam retinere » etiam in processionibus generalibus supra omnes curatos, ca- » nonicos et clericos aliarum collegiatarum et parochialium dictae » civitatis..., in S. Rit. C. narratum fuit et petitum, an id conve- » niat, cum in libro Caeremoniali contrarium statuatur, ut scilicet » clerici seminarii post crucem ante curatos parochialium et cano- » nicos collegiatarum ecclesiarum in processionibus publicis ince- » dant, prout etiam in Urbe servatur. » Et S. C. R. respondit: « Seminarium non esse membrum ecclesiae cathedralis, et pro- » pterea debere in publicis processionibus generalibus anteire et » cedere locum digniorem curatis, canonicis et clero ecclesiarum » parochialium et collegiatarum, iuxta formam dicti libri Caeremo- » nialis. » 1. Septembris 1607. *Capuana.* (Gardellini num. 360.).

89. Item « Cong. SS. RR., Illmo Domino Cardinali Muto re- » ferente censuit: In processionibus, aliisque similibus actibus

» praecedentiam competere seminario supra clericos adventitios » in eadem ecclesia non praebendatos. 21. Mart. 1620. *Rodigen.* » *Andrien. dioeces.* » (Gardellini num. 580).

90. Idipsum censuit in simili causa *Pennen.* 1. Martii 1636. necnon die 7. Sept. 1816. *in Luceorien.*

91. Item « Super iure praecedendi in processionibus, ceterisque functionibus ecclesiasticis inter seminarium civitatis Sarni » et Capitulum ecclesiae cathedralis adversus canonicos ecclesiae » collegiatae S. Matthaei eiusdem civitatis ortis controversiis, illisque ad S. Cong. Rit. delatis, Emus et Rmus Cardinalis Albanus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda » proposuit: 1. An in processionibus ceterisque functionibus ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo et canonicis ecclesiae collegiatae S. Matthaei Sarni, vel potius seminario eiusdem » civitatis? Et quatenus Negative quoad primam, Affirmative quoad secundam partem,

2. » An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo et canonicis, quotiescumque praefatum Capitulum et canonici incedant » sub cruce cathedralis? »

S. C. utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondendum censuit:

Ad 1um: Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, quando incedunt sub diversa cruce.

Ad 2um: Affirmative.

Die 15. Februarii 1817. Sarnen. (Gardellini num. 3882.).

## APPENDIX.

### De cantu ecclesiastico.

1. « Commoveor non cantu, sed rebus, quae cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur..., magisque adducor... cantandi consuetudinem approbare in ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quae canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. (*S. Augustinus,* Confess. 10. 33.).

2. » Salubriter fuit institutum, ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem.... Cantica spiritualia possunt dici non solum ea, quae

interius canuntur in spiritu, sed etiam ea, quae exterius ore cantantur, in quantum per huiusmodi cantica spiritualis devotio provocatur.... Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in ecclesia cantant more theatrico, non propter devotionem excitandam, sed propter ostentationem vel delectationem provocandam.... per cantum, quo quis studiose ad delectandum utitur, abstrahitur animus a consideratione eorum, quae cantantur. Sed si aliquis cantet propter devotionem, attentius considerat, quae dicuntur, tum quia diutius moratur super eodem, tum quia, ut Augustinus dicit in lib. X. Confessionum cap. 33., « omnes affectus spiritus nostri pro suavi diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. » Et eadem etiam est ratio de audientibus, in quibus, etsi aliqui non intelligant, quae cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei; et hoc sufficit ad devotionem excitandam. (*S. Thomas* Summa II$^{a}$. II$^{ae}$. qu. 91. artic. 2.).

3. « Exercentur etiam ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus seipsos provocent in divina, sicut.... vocales clamores et cantus; quae non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia novit et cuius voluntas est immutabilis, et affectum mentis et etiam motum corporis non propter se acceptat; sed ea propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum et affectio accendatur; simul etiam per hoc Deum profitemur animae et corporis nostri auctorem, cui et spiritualia et corporalia obsequia exhibemus ».... exteriores actus ad cultum Dei pertinent, in quantum per huiusmodi actus mens nostra elevatur in Deum. (*S. Thomas*, Contra gentiles lib. 3. cap. 119.).

4. « Sciendum est autem, quod in laude Dei praecipue intenditur, quod affectus hominis tendat in Deum et dirigatur. Item consonantiae musicae immutant hominis affectum.... Inde est, quod excogitatum est, quod in omni cultu aliquae consonantiae musicae exerceantur, ut animus hominis excitetur ad Deum. » (*S. Thomas*, in Psalm. 32.).

5. « Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur... arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit. » (*Conc. Trident.* Sess. 22. decret. de observ. et evit. in celebr. Miss.).

6. « Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione,.... Synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet.» (*Conc. Trident.* Sess. 24. de Reform. cap. 12.).

7. « Piae sollicitudinis studio ducimur, ut ecclesiarum divinis laudibus et orationi destinatarum decori et reverentiae consulere satagentes quaecumque vana et praesertim musicos concentus et symphonias, quibus quid indecorum, sive a ritu ecclesiastico alienum non sine divinae maiestatis offensa et Christifidelium scandalo, ac devotionis et cordium ad superna elevationis impedimento admiscetur, ab illis procul arceamus.... Omnibus et singulis. . . . prohibemus, ne in eorum ecclesiis et oratoriis, dum officia divina celebrantur, vel SS. Eucharistiae Sacramentum manet expositum, quidquam cantari permittant praeter ea verba, quae a Breviario vel Missali Romano in officiis de Proprio vel de Communi pro currenti cuiusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a S. Scriptura aut S. Patribus desumpta sint, quae tamen prius a Congregatione venerabilium etiam Fratrum Nostrorum, eiusdem S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum specialiter approbentur, exclusis modulis iis, qui choreas et profanam potius, quam ecclesiasticam melodiam imitantur.» (*Alexander VII.* 23. April. 1657. Bullar. tom.VI. pag. 54.).

8. « Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non spectent, nedum profani aut ludicri... Idem quoque cantores... observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem fovendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciviae praeseferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis.» (*Caeremoniale Episcop.* lib. 1. cap. 28. n. 11. et 12.).

9. « Cum ea, quae in ecclesiis cantantur, ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et religiosa pietatis ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad divinae maiestatis cultum et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne, dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittant, Psalmorum et aliorum, quae cantari

solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint, et potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur.» (*Concil. Tolet.* an. 1566. Art. 3. cap. 2.).

10. « Non enim nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cultum coelestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis et incondito boatu, quam cantu obscurata. » (*Lindani* Panoplia evangel. lib. 4. cap. 78.).

11. « Iuxta antiquum morem huius S. C. relati fuerant per me Secretarium duo abusus, qui reformatione indigere videbantur. 1. Quod in multis ecclesiis ad inserviendum lepori musices alteratur notabiliter textus sacrarum Scripturarum mutilando, anteponendo, postponendo et alterando verba et sensum illarum et adaptando eas modulationi, ita ut non musica sacrae Scripturae, sed haec illi inservire videatur. 2. Quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non musica Missae, sed Missa musicae famuletur. Et S. C. censuit: indigere reformatione, et quousque ratio congrua ineatur, iniungendum Emo D. Card. Vicario, ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit. » (*S. R. C.* 21. Febr. 1643.).

12. « Le chant doit être grave, simple et tel, que tous les fidèles puissent y prendre part. Qu'il soit digne, bref, sans ces répétitions ineptes, qui enfantent l'ennui et chassent la dévotion, au lieu de l'inspirer. On desapprouve et l'on proscrit les chants disposés avec art et a une seule voix; ils sont propres à produire des impressions mondaines plutôt qu'à exciter des pensées célestes. » (*Correspondance de Rome,* an. 1851. pag. 328.).

13. « Sordescit sanctis auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut relictis hodie ecclesiis collegiatis et parochialibus, tam libenter et avide concurrat populus fidelis ad ecclesias monachorum, qui magistram habentes in colendo Deum

pietatem, sancte, moderate, et ut Psalmistarum princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo ut Domino et Deo cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse ecclesiis primariis et maioribus, a quibus monachi et canendi et psallendi artem et regulam didicerunt. » (*Eveillon* Tractatus de recta ratione psallendi, cap. 9. citat. a *Benedicto XIV.* in Encycl. *Annus qui* §. 2.).

14. « Procul dubio ad Episcopi officium pertinet, ut synodalibus decretis ecclesiasticae musicae rationem, quatenus in dioecesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat, ut corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicuti fit in theatris inani voluptate demulceat.» (*Bened. XIV.* de Syn. dioec. lib. 11. cap. 7. n. 1.).

15. « Diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit, aut citior quam decet.... demum, ut cantus vocibus unisonis peragatur et chorus a peritis in cantu ecclesiastico, qui cantus planus seu firmus dicitur, regatur. Huiusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum elaboravit S. Gregorius Magnus.... Cantus (ecclesiasticus) ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat, denique ille est, qui recte decenterque peragatur in Dei ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur, et alteri, qui cantus harmonicus, seu musicus dicitur, merito praefertur.... Musicus cantus, qui nunc in ecclesiis usu receptus est, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet... Denique diximus, neminem esse, qui theatrales cantus in ecclesiis non detestetur, et qui diversitatem aliquam non requirat inter sacros ecclesiae et profanos scenarum concentus.... Illud in primis curandum est, ut verba perfecte planeque intelligantur. Nam cum in Ecclesia concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum... id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur.» (*Bened. XIV.* Epist. Encycl. *Annus, qui* d. d. 19.Febr.1749.).

16. « Cantus in Missa et in officiis ecclesiasticis sint modesti ac pii et a profanis musicisque cantilenis remoti. » (Canones Concil. *patriarch. Graeco-Melchitici* a. 1812. can. 8. n. 4).

17. « Quae in ecclesiis cantanda sunt, ad divinum cultum promovendum fovendamque fidelium devotionem tantummodo inservire debent: caveant igitur parochi, ne musica levis vel indecora theatrumque redolens a divina contemplatione fideles avertat.

Curent pastores, ut cantus Gregorianus, utpote Ecclesiae proprius maiestatique divini cultus sua gravitate multo conformior, in Missa solemni, necnon in Vesperis primas partes obtineat.» (Conc. provinc. *Quebecense I.* anni 1851. decr. 10.).

18. « Curent (rectores ecclesiarum), ut sacrosancto Missae sacrificio et aliis divinis officiis musica, non vero musicae divina officia inserviant.» (Concilium provinciale *Baltimor.* III. an. 1837. decret. 8.).

19. « Nullus cantus nisi gravis et ecclesiasticus in ecclesiis adhibeatur.» (Syn. plenar. Episcop. *Hiberniae,* an. 1850. n. 38.).

20. « Cum huiusce ritus plane divini (agitur de expositione et benedictione SS. Sacramenti) is praecipue sit finis, ut angelicum cultum imitantes Christifideles, in devota ac tenerrima Agni adoratione versentur, totique veluti in hac coelesti contemplatione infixi et immoti haereant, amovenda sunt prorsus omnia, quae animum valeant inde avertere et alio trahere, multo magis a tam sublimi gradu ad vanas et profanas cogitationes revocare. Sit ergo cantus, qui in hoc ritu adhibetur, graviter et suaviter modulatus, concentu intextus simplici, nec artificio nimio compositus; sive potius sit talis, ut omnes fideles in illum concurrere possint, unaque populi Dei assurgat vox unaque laus. Sit etiam debita cum dignitate brevis, nec inani verborum repetitione implexus, ne taedium pariat, devotionemque arceat potius quam inspiret. Sed omnino improbandus usus, vel potius abusus, et procul, ceu grave scandalum, abigendus, adhibendi in hoc divino cultu artificiosas cantilenas ab una, ut dicunt, sola voce modulatas, quae magis solent aures carnis titillare, quam animum ad Deum trahere, mundanasque potius quam coelestes cogitationes excitare.» (*Ritus servandus* in expositione et benedictione SS. Sacramenti §. 5. Londini 1849.).

21. « Nihil, quod non sit ab Ordinario probatum, cantetur in ecclesia. Cantus semper sit gravis et ecclesiasticus, et nunquam protrahatur ita, ut Missae cursum impediat, ubi hoc non permittunt rubricae. » (Conc. prov. *Halifax.* an. 1857. num. 22.).

22. « Cantus praecipue in Missa et benedictione SS. Sacramenti sit gravis et devotus, ut audientes fideles modo cum Augustino ad lachrymas moveantur, modo cum choris Angelorum laudes Deo et Agno cum ingenti concinant laetitia.» (Conc. prov. *Westmonasteriense* an. 1852. decret. 18.).

23. « Etsi nemo dubitet, sonos musicos et cantus in templis divino cultui nitorem ac splendorem addere et Christifidelium pietatem promovere, norunt tamen Patres, sedulo esse praecavendum, ne qui profani moduli sacris Ecclesiae concentibus immisceantur. Hinc praxim, quae alicubi obtinet, scenicos numeros et modos, verbis tantummodo immutatis, in officiis divinis adhibendi, penitus interdicunt. » (Conc. prov. *Neo-Eborac.* III. an. 1861. decret. 4.).

24. « Non mediocriter ad cultus divini splendorem et animas ad Deum extollendas cantus ecclesiasticus iuvat.... Cantus graves sint, pii et distincti, domui Dei et divinis laudibus accommodati, ut simul verba intelligantur et ad pietatem auditores excitentur. Caveant cantibus praepositi, ne in Hymnis, Psalmis et aliis sancti officii partibus, novus quisquam indirecte subintroducatur cantandi modus, quo simplicitas et maiestas ecclesiastici cantus deturpetur. Ab ecclesia Dei prorsus arceantur profani cantus, nec audiantur cantilenarum soni perperam piis verbis accommodati... Ecclesiae cantus iuxta nomen suum firmus sit et planus; nulla igitur adhibeatur mollis et lasciva canendi ratio. » (Conc. prov. *Auscitan.* an. 1851. cap. 7.).

25. « Vocum modulatio et organorum sonus id praestet oportet, ut altius haereat sensus verborum sacrorum. Nihil igitur habeat, quod mundum sapiat, aut ex theatrorum symphoniis desumptum efficacius sit ad animi fragilium amore vulnerati tumultus, quam ad sanctae dilectionis sensus exprimendos. » (Conc. prov. *Viennen.* an. 1858. tit. 4. cap. 6.).

26. « Post multiplices in musicam sacram inductas depravationes illum antiquissimum cantum, qui Gregoriani nomine venit, vere ecclesiasticum esse et omnis cantus ecclesiastici fontem, nullo alio supplendum, nemo facile diffitebitur. Nam cantum Gregorianum sanctius quid et sublimius spirare, quam omnes illos modos, qui labentibus saeculis in usum venerunt, et musicae profanae inservire solent, rerum periti non negant. Statuimus ergo et mandamus, ut cantus ille Gregorianus suo restituatur iuri ac magis magisque colatur.... Abstineant a tot Missis, quae dicuntur musicales, aliisque operibus musicis novissimorum temporum ad aures titillandas magis quam ad excitandos pios affectus aptis; singillatim vero nimia illa eorundem verborum repetitio et arbitraria collocatio vituperanda est... Per maiorem anni ec-

clesiastici partem cantus Gregorianus ad Missarum solemnia adhibeatur.» (Conc. prov. *Colon.* an. 1860. tit. 2. cap. 20.).

27. « Ad decorem cultus divini augendum et religiosos animi affectus tum exprimendos tum fovendos cantus fidelium plurimum confert.... Quum cantus, qui planus, firmus, seu Gregorianus dicitur, proprie ecclesiasticus sit, cultui divino adaptatus, et ad glorificandum Deum, mentesque sursum ferendas aptissimus adeo, ut illius harmonia, si recta fuerit, castis auribus cordibusque piis maxime conveniat, curabunt Episcopi.... ut praestantissimi cantus huiusmodi usus, quantum fieri poterit, foveatur, restituatur et promoveatur.» (Conc. prov. *Prag.* an. 1860. tit. 3. cap. 7.).

28. « Ad promovendam pietatem et dignius recolenda religionis mysteria antiquissima iam aetate invaluit usus sub cultu divino cantum adhibendi. Pia haec consuetudo communem devotionem efficaciter alit, mentem pio sensu replet, in corde devotos affectus excitat, dogmata Ecclesiae memoriae fidelium imprimit et cultus divini maiestatem auget... Cantica adhibeantur, quae pietatis sensum non quaesitis expressionibus sed accommodis dogmaticis terminis exprimunt. Modus canendi exquisitus, productus, abruptus, lassus ac singularis vitetur; antiqui canendi modi, in quantum ad pietatem animant, cum prisco devotionis sensu repristinentur.» (Conc. prov. *Coloc.* an. 1863. tit. 8. cap. 5.).

29. Cantus Gregorianus.... sensu maxime proprio dicitur ecclesiasticus, atque ideo vehementer cupit haec Synodus, ut eius usus in cultus divini officiis foveatur et promoveatur... Cantus, quem harmonicum seu figuratum appellant, ubi adhibetur, ad regulas artis christianae compositus sit oportet, ne a charactere cantus ecclesiastici, quem semper prae se ferre debet, abscedat ac longe absit. Nullus itaque cantus musicus unquam seligatur, nisi qui huic legi adamussim conveniat, quique proinde gravitate et decore, puritate et maiestate distinguatur et excellat. Invigilent rectores animarum studiosissime, ut huic praescriptioni mos geratur, et ne ullae introducantur in ecclesia modulationes vel levitatem redolentes, vel scenicos modos imitantes, vel profanos animi motus concitantes, vel denique tales, quae nimio vocum conclamantium potius quam concinentium strepitu pietatis affectus in fidelibus turbent ac dissipent potius quam excitent ac nutriant. Illud etiam cavendum, ne fiant verborum transpositiones, neque plures longaeque repetitiones, et illud in primis, ne

nimia prolixitate sacer concentus protrahatur, cum indubitatum sit, non modo id non conferre ad fidelium aedificationem, sed immo animi pietati ac devotioni haud parum nocere ac fastidio esse. » (Synod. prov. *Ultraiecten.* an. 1865. tit. 5. cap. 6.).

V. « An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se » electorum, necessaria pro recto regimine statuerit? »

Summarium. 92. Ut Episcopis in seminarii regimine aliquod praesto esset adiutorium, deputatos eligi praescripserunt Tridentini Patres. – 93. 94. Duplex est deputatorum species: una duorum canonicorum seniorum, quae interno regimini; altera, quae duobus a Capitulo, totidemque de clero coalescit, quae rebus oeconomicis praeest. – 95. 96. Per ea verba Conc. Trid. « *Rationes autem reddituum ... Episcopus accipiat praesentibus duobus de Capitulo ac totidem de clero* » non tertia deputatorum species est intelligenda, sed mere secunda, de qua hactenus. – 97. Necesse non est, ut rationes reddantur in Synodo dioecesana. – 98. Deputatorum electio fieri potest extra Synodum. – 99. 100. Quatuor deputatorum numerus ad actus validitatem est plane necessarius, ita ut, aliquo deficiente, locus sit subrogationi alterius per eos, quorum est electio. – 101. 102. Episcopus tenetur omnino deputatos audire in beneficiorum unione; aliter actus esset nullus. – 103. Sede vacante, in Episcopi iura succedit Capitulum, et eius loco Vicarius Capitularis. – 104. Deputati habent votum consultivum dumtaxat. – 105. Sine legitima causa amoveri nequeunt. Vide inferius num. 110. 111. – 106. Redditio rationum absque deputatis est nulla. – 107. 108. S. C. Conc. censuit, Episcopum Oscensem cum consilio deputatorum providere teneri circa institutionem, disciplinam et mores clericorum tam in spiritualibus, quam in temporalibus; sufficere tamen, si eos requirat: at exactionem ad solum Episcopum pertinere, et haec accommodari Vicario Capitulari, sede vacante. – 109. Idem censuit S. C. in *Curien.* – 110. In *Salernitana* declaravit, deputatos non posse amoveri, nisi ex legitima causa, eosdem adhibendos in taxatione, contributione, deputatione officialium et expulsione, in expensis quotidianis, contractibus aliisque similibus. Episcopum teneri adhibere deputatos tam circa disciplinam ac mores, quam rerum temporalium administrationem. Eosdem deputatos esse perpetuos. – 111. Hoc item alias definivit. – 112. Episcopum non posse deputare rectorem aliosque officiales sine deputatis, et in revisione ac solidatione computorum teneri eos audire, non sequi edixit S. C. in *Fundana.* – 113. 114. 115. Aliae referuntur declarationes, quibus antedicta confirmantur. – 116. S. C. in *Aquinaten.* sanandam putavit redditionem rationum factam absque de-

putatis, et revocavit suspensionem ab Episcopo irrogatam ex eo, quod quidam oeconomus secunda vice rationes reddere detrectaverat. – 117. In his, quae seminarium respiciunt, datur appellatio in devolutivo, et non in suspensivo. – 118. Tametsi in Instructione Benedictina de prima deputationis specie tantummodo mentio fiat, nihilominus S. Cong. praecipit sese edoceri, an et adsit species altera. – 119. Nihil vetat, quominus qui primam speciem constituunt, partem etiam habeant in altera. – 120. Non licet autem praeter eos, qui a Concilio praefiniti sunt, alios viros adiicere. – 121. Cuius rei in confirmationem affertur novissima causa seminarii Montisfalisci, cuius laudes innuuntur.

92. Quae duo capita rectum seminariorum statum prosperitatemque constituunt, recta nempe et interni regiminis ratio, et rerum temporalium conditio, ambo ex Patrum Tridentinorum voluntate principaliter Episcoporum iurisdictioni, curae vigilantiaeque ita concredita sunt, ut maximum ac praecipuum cum ius tum officium eisdem importent. Attamen cum ordinaria dioeceseos negotia eorumdem attentionem nunquam non avocent, ac omne fere tempus sibi vindicent et absorbeant, provide caverunt sapientissimi Patres, ut Episcopi idoneos viros adsciscerent, qui in seminarii sollicitudinis partem advocati suppetias sibi in eodem regundo ferrent. Utque Capituli cathedralis totiusque cleri studium quodammodo acuerent, et affectum erga seminarii rem inflammarent, hoc utrique ius tributum voluere, ut unum e suo quisque sinu deputatum Capitulum et clerus eligere possent (1).

93. Duplex porro est deputatorum, seu consultorum species, quae pro recta seminarii administratione ac regimine a Concilio Tridentino statuta praescriptaque fuit. Prima species est duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsemet Episcopus pro suo prudenti arbitrio eligendi ius habet, quorum consilium adhibere debet circa ea, quae seminarii regimen respiciunt, veluti est constitutionum ad usum eiusdem confectio, visitatio, alumnorum admissio, aliaque id genus, quae initio *cap. 18. Sess. 23. de Reform.* generatim indicantur: « Quae omnia, atque alia ad » hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum con» silio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi » elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, ea» que, ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt.»

(1) De deputatis seminariorum vide Acta S. Sedis, vol. I. pag. 657. et 691.

94. Altera species subdividitur in eam, quae ex Capituli, et eam, quae ex cleri sinu desumenda est, ambaeque insimul sumptae alium deputatorum, seu consultorum coetum conficiunt. Horumce electio a Tridentina Synodo ita constituta est, ut unus e Capitulo a Capitulo ipso, alter ab Episcopo, itemque ut e clero ab ipso clero unus, alter ab Episcopo nominetur. Huiusce secundi consilii munus seminarii fabricam, sive rerum temporalium administrationem attingit, veluti est taxae impositio, unio beneficiorum seminario facienda, rationum redditarum recognitio, aliaque similia. Paucis, uni speciei formale seminarii regimen, alteri materialis administratio propria est. Et sane circa hanc in eodem Concilio ita statuitur: « Et quia ad collegii fabricam instituen» dam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, » et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus certi reditus » erunt necessarii... idem Episcopus cum consilio duorum de Ca» pitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eli» gatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem al» terius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum » pertineat, ex fructibus integris mensae episcopalis et Capituli, » et quarumcumque dignitatum... partem aliquam vel portionem » detrahent, et eam portionem sic detractam, necnon beneficia » aliquot simplicia... huic collegio applicabunt. »

95. Cum autem post recitata verba in eodem capite praescribatur: « Rationes autem redituum huius seminarii Episcopus » annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo, et to» tidem a clero civitatis deputatis, » Arborensis Capituli canonici existimabant, hisce in verbis tertiam et novam speciem deputatorum cum superioribus non confundendam constitui, quos ad redituum rationem excipiendam addictos seorsim ab Episcopo sive Capitulum, sive clerus eligendi ius obtineat. Quoniam vero Arborensis Archiepiscopus contendebat, deputatos, quorum hic mentio fit, illos eosdem omnino esse, de quibus agitur in versu *Et quia*, quorum electio tum ad Episcopum, tum ad Capitulum et clerum iuxta superius dicta pertinet, in comitiis diei 25. Septembr. 1847. dubium quarto loco propositum est: « An et quo» modo sit ius Arborensi Capitulo super seminarii rationibus ex» cipiendis in casu?» Et S. Congr. respondit: « Servetur dispositio » Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 18. de Reform.* et amplius. »

96. At vero non omnis difficultatis nodus resolvi visus est,

cum praesertim Monacellus *Form. leg. tom. 2. tit. 16. form. 10. num. 22.* sententiam ei, quam canonici tuebantur, adsimilem diversis verbis depromat. Nihilominus communis doctorum opinio, et ipsius S. C. C. mens alia esse ferebatur. Itaque die 31. Martii 1855. sub alia formula dubium propositum fuit, nempe: « An » et quomodo eligendi sint deputati ad excipiendam rationum » redditionem seminarii in casu? » S. C. rescripsit: « Affirmative, » et redditionem excipiendam esse per quatuor deputatos, quo- » rum duo ex Capitulo, et duo electi ex clero, unus electus ab » Episcopo, alter a clero. »

97. Quamvis Barbosa de *Off. et pot. Ep. P. III. alleg. 93. n. 22.* existimet, rationes redituum seminarii in Synodo audiendas esse per quatuor deputatos, eo modo, quem posuimus, electos; attamen Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. V. cap. 11. n. 4.* id necessarium non esse contendit, dummodo aliud dioeceseos consuetudo non ferat.

98. Deputatorum electio, quamvis extra Synodum peragi queat, nihilominus rectius in Synodo fiet, in qua totus clerus iam congregatus consistit. Corrad. *Prax. ben. lib. 4. cap. 8. n. 28.*, Monacell. *P. II. tit. 12. form. 1.*, Ferraris verbo *Seminarium n. 17. et alibi.*

99. Si deputati discedant a loco, ubi exstat seminarium, aut quacumque alia de causa consilio de rebus seminarii habendo praesto esse nequeant, eorum subrogatio facienda est ab illis, a quibus facta est electio deputati absentis, vel alia de causa impediti. Namque in memorata *Arboren.* secundo loco quaerebatur: « An et quomodo sit locus subrogationi deputatorum absen- » tium, vel impeditorum in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Affirmative, et subrogationem faciendam esse ab iis, a quibus » facta est electio deputati absentis vel impediti. »

100. Ex hac resolutione et ex contextu ipsius decreti Concilii, uti ratiocinatur folium in allata *Arboren.* §. *Haec quoad*, planum est inferre, in rationibus excipiendis quatuor deputatorum numerum esse prorsus necessarium, ita ut quandocumque unus vel alter ad tempus deficiat, subrogationi locus esse debeat. Id etiam confirmatur ex causa *Pinhelen. Erection. seminar.* 15. Ian. 1791., in qua, cum, deficiente adhuc Capitulo, dubitaretur, an duo tantum de clero deputati sufficerent, vel in locum duorum de Capitulo addendi essent alii, proposito dubio: « An et quomodo

» sit providendum directioni et administrationi in casu? » S. C. respondit: « Esse providendum pro nunc per deputationem gra- » viorum et seniorum de clero loci deficientium capitularium, » ad formam in reliquis sacri Conc. Trid. »

101. Licet Concilium Tridentinum multa enucleatim constituerit de officii partibus, quas pro suo munere deputatorum consilium obire potest, nihilominus ad maiorem perspicuitatem plurima alia, data occasione, declaravit.

102. Episcopus tenetur omnino consilium adhibere deputatorum, et si agatur de beneficiorum unione actus est nullus, si iidem adhibiti non fuerint. At vero Episcopus eorum consilium sequi nequaquam tenetur.

103. Sede vacante, in Episcopi iura succedit Capitulum, eiusque loco Vicarius Capitularis, qui tamen absque deputatorum consilio neque quidquam immutare, neque administrare poterit.

104. Seminarii deputati habent votum unice consultivum, ut vocant, minime vero decisivum.

105. Deputati, postquam semel electi fuerint, sine legitima et iusta causa nequeunt amoveri; est autem iusta causa senectus, infirmitas et similis alia.

106. Si rationes redditae fuerint coram Episcopo tantummodo, absque interventu deputatorum, licet ceteroquin omnia rite processerint, actus validus dici certe non potest, et sanatione Apostolica eum confirmare satius erit.

107. Assertiones, quas modo congessimus, idoneis, quae sequuntur, S. C. Conc. declarationibus confirmantur: has vero, prout iacent, afferre malumus, ut S. C. sensus perfecte arripi queat, easdemque, ut plurimum, a Bened. XIV. *de Syn. dioec. L. V. c. 11. n. 5.* exscribimus.

108. In *Oscen.* proposita sub mense Octobris 1585. ita legitur: « Alias S. C. ad interpretationem decreti *cap. 18. Sess. 23.* » censuit, Episcopum Oscensem cum consilio deputatorum teneri » tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam » circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere » tamen, quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorum- » que consilio adhibito posse Episcopum statuere et deliberare, » quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit; exactionem » vero, quae fit pro seminario, ad solum Episcopum pertinere. » Dubitatur modo, mortuo Episcopo, et sede vacante, ad quem

» pertineat erectio et administratio seminarii, et videtur, quod per-
» tineat ad Capitulum, quia, sede vacante, Capitulum fungitur vice
» Episcopi tam in spiritualibus, quam in temporalibus, *Cap. pen.*
» *et ult. de Sup. neg. praelat. in 6., et Cap.* Is cui *de Elect. in 6.*
» S. C. censuit: Pertinere ad Capitulum. » *(Lib. 4. decret. pag.84.).*

109. In *Curien.* anno 1594. editum fuit hoc Rescriptum: « S. C. censuit, omnes quatuor deputatos adhibendos esse in » consilio in tota temporali administratione seminarii, praeter- » quam in exactione, quae ad solum Episcopum spectat, ut in » *lib. 8. decret. pag. 65.* », et consonat resolutio, quae prodiit in *Nullius* sub annum 1595. hisce verbis: « S. C. censuit, omnes » quatuor deputatos, de quibus agitur in *cap. 18. Sess. 23. de* » *Reform.* versu *Et quia,* adhibendos esse in administratione rerum » ipsius seminarii, praeterquam in compulsione ad portionem » seminario debitam, cuius facultas ad solum Episcopum spectat, » ut in *lib. 8. decret. pag. 97.* »

110. In *Salernitana* propositis ad petitionem Capituli cathedralis inter cetera hisce dubiis:

« I. An duo canonici electi ab Archiepiscopo ad constituen- » dam educationem puerorum seminarii possint pro libito Archie- » piscopi mutari?

» II. An eorum consilium adhibendum tam in constituendis » regulis universalibus seminarii, quam electione puerorum sin- » gulorum introducendorum, in electione magistrorum, librorum » legendorum, confessoris, punitione discolorum, expulsione, vi- » sitatione et in similibus?

» III. An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi » sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fru- » ctuum ex unione beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob » quas seminarii instructio, vel conservatio impediretur, vel per- » turbaretur; an etiam in exactione et temporalium administra- » tione tam dicti seminarii, ut puta deputatione, vel expulsione » ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, » provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque, » et redituum ipsius seminarii etiam ex beneficiis unitis, ut puta » locationibus, concessionibus, aliisque contractibus et litibus?

» IV. An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amo- » vibiles, servata in eorum electione ratione Concilii, et dicta » electio spectet ad Capitulum? »

Responsum fuit:

« Ad I. Non posse amoveri, nisi ex legitima causa.

» Ad II. In omnibus his esse adhibendum.

» Ad III. Teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium » tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam tempora- » lium rerum administrationem.

» Ad IV. Esse perpetuos ». (Sine die) Iulii 1589. ut in *lib. 6. decret. pag. 22. et seq.*

111. In *Papien.* 7. Iul. 1591. eadem S. Congregatio censuit, « canonicos ab Episcopo electos ad seminarii administrationem » ad praescriptum *cap. 18. Sess. 23.* versu *Quae omnia,* esse per- » petuos, nec posse amoveri nisi ex iusta et legitima causa, ut » in *lib. 7. decret. pag. 14.,* et in *Sarzanen.* 25. Iunii 1639. re- » scripsit, oratorem ab Episcopo electum ad seminarii admini- » strationem ad praescriptum S. Concilii *cap. 18. Sess. 23.* versu » *Quae omnia,* non posse amoveri, nisi ex iusta et legitima causa, » ut in *lib. 6. decret. pag. 221.* »

112. In *Fundana Deput. official. semin.* inter cetera fuerunt discussa haec dubia:

« I. An Episcopus potuerit et possit deputare rectorem, alios- » que officiales seminarii absque consilio deputatorum a Capitulo?

» II. An Episcopus in revisione et solidatione computorum dicti » rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum? »

Die vero 26. Mart. 1689. responsum fuit:

« Ad I. Negative.

» Ad II. Teneri adhibere consilium, sed non sequi. » *Lib. 39. decret. pag. 129. et seq.* (1).

113. Et in *Tricaricen. Administr. semin.* 25. Mart. 1736. *ad dub.1.:* «An administratio oeconomica seminarii exerceri debeat per » Episcopum, vel potius per deputatos? » S. C. respondit: « Ad- » ministrationem competere Episcopo cum consilio deputatorum, » praeterquam in exactione, quae spectat ad solum Episcopum.»

114. In *Cremonen.* « Illi duo de Capitulo eligendi, postquam » fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima causa amoveri » possunt. Est autem causa legitima senectus, infirmitas et similis » alia. 5. Sept. 1602. apud Pignat. *Consult. 81. n. 50. tom. 9.*

---

(1) Analecta Iuris Pontif. Mar. Apr. 1867. pag. 606. et seq. referunt per extensum scripturas ac votum huius causae.

» In *Lucana* 1°. Novemb. 1616. seminarii deputati aliique offi-» ciales habent votum consultivum, non autem decisivum.» Apud Pignat. *loc. cit. n. 79.*

» Uniones factae absque consilio deputatorum non valent. » S. C. Conc. 13. Ian. 1594. apud. Pignat. *loc. cit. n. 101.*

115. » Vicarius Capitularis absque consilio deputatorum (quos » removere non potest) administrare, aut gubernium et taxam » mercedis et alimentorum variare non valet. S. C. Conc. in *Sa-» lernit.* 31. Augusti 1606. *(Lib. 87. decret. pag. 678.* apud Mo-» nac. *Form. leg. tit. 16. form. 16. n. 14. sub fin.).* »

116. Archipresbyter quidam iam Aquinatensis seminarii oeconomus ab Episcopo a divinis primum, deinde ab officio suspensus est eo quod minime paruisset eiusdem Episcopi mandato, ut de administratione rationem redderet. Idem porro archipresbyter illam iam in antecessum reddidisse ostendebat coram canonico ab Episcopo antecessore deputato, a quo sententiam syndicatoriam retulerat, eamque insuper ab Episcopo ipso fuisse probatam. Contendebat autem coram sacro Ordine Episcopus una cum deputatis, redditas ab archipresbytero rationes novo examini ex eo subiiciendas esse, quia in his deputatorum consilium non fuerat adhibitum. Contra vero id recusabat archipresbyter, tum quia singula ad scrupulum examini submissa fuerant, antequam probarentur, tum quia sententiae syndicatoriae iam transierant in rem iudicatam, et exsecutionem partim iam obtinuerant, tum demum quia, si quid in his peccatum fuerit, Episcopo, non sibi erat tribuendum: firmiter insuper propugnabat suspensionem poenam gravissimam et spiritualem minus recte sibi inflictam fuisse ob culpam non probatam, et ex culpa mere civili, vel sin minus diuturna plurium annorum poena iam expiatam. Itaque S. C. circa rationum redditionem rescripsit, ad D. Secretarium cum SSmo pro sanatione, quatenus opus sit; suspensionem vero revocavit, facto verbo cum SSmo. (*Aquinaten. Redd. rat. et susp.* 11. Mart. 1843.), et 8. Iulii eiusdem anni stetit in decisis et amplius (1).

117. In hac paragrapho non est superfluum animadvertere, quod in rebus, quae quoquo modo respiciunt curam, regimen et disciplinam seminarii, nulla datur appellatio in suspensivo,

(1) Rediit eadem causa die 27. Nov. anni 1852.

ut vocant, sed tantum in devolutivo. Idem enim disertis verbis praescripsit Bened. XIV. Constit. *Ad militantis* III. kal. Apr. 1742. *ad* §. *34.*: « Item (statuit nempe, ut appellationem, qua, quid-» quid decretum fuerit, suspendatur, nulli concedere liceat) ab » erectione seminarii et taxatione quarumcumque dignitatum, » personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatia-» rum et prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam regularis, ho-» spitalium, quae dantur in titulum vel administrationem, et » beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiam iurispa-» tronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis » ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis quibusvis locis piis, » etiam exemptis annexorum, ac aliorum quorumcumque eccle-» siasticorum redituum, seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, » confraternitates et monasteria omnia, non tamen mendican-» tium, pertinentium, necnon decimarum quacumque ratione ad » laicos, atque ad Milites cuiuscumque Militiae, aut Ordinis, » Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii » manutentione; prout etiam ab unione, et applicatione aliquot » beneficiorum simplicium; necnon a decretis cogentibus eos, » qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae » munus est adnexum, ad docendum per se ipsos vel idoneos » substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae » quoquo modo respiciunt curam, directionem et administratio-» nem seminarii, plenamque exsecutionem decreti editi a S. Con-» cilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus insti-» tuendo. *Sess. 23. cap. 18. de Reform.* »

118. Extremo loco monere necessarium duco, morem esse S. C. Conc., quem a pluribus retro annis invectum inveni, ut, quamvis Benedictina Instructio duorum graviorum et seniorum consilium nominet, super quo certior S. Cong. fieri debet, nihilominus pro constanti instituto soleat insuper praecipere, ut referatur ab Episcopis, an aliud duorum de Capitulo, totidemque de clero virorum, a Capitulo et clero et Episcopo eligendorum consilium in suo seminario institutum iam exstet; quod si forte desideretur, aut non rite ad normam Concilii Tridentini conflatum deprehendatur, gravissime subiicit, ut conficiatur, vel iuxta praescriptum Concilii eiusdem reformetur. Nec immerito: nam si oeconomica seminarii res laeto floridoque statu versetur, subsidia certe non deerunt, quibus ad ea omnia, quae alumnorum ne-

cessitas vel utilitas exigat, succurri possit, et promptum remedium afferri. Quodsi seminarium paupere censu potiatur, et, quod gravius est, si aere alieno laboret, nullum vel impar necessitati remedium suppeditari potest.

119. Animadvertendum est etiam, nihil impedire, quominus Episcopus et Capitulum ad tuendae oèconomiae munus eos eligant, qui pro conservanda disciplina iam electi fuerint, dummodo nimirum idonei sint. Id porro pluribus Episcopis rescripsit S. C. Conc. et nominatim Episcopo Treviren. in literis ad eiusdem relationem conscriptis die 11. Feb. 1863.

120. Neque tamen fas est illiusmodi deputatorum consilio ad formam Tridentini decreti constituto addere alios viros extraneos, quicumque ii sint. Nam « S. C. Conc. (verba sunt folii causae » *Montisfalisci Deput. sem.* 27. Aug. 1864. §. *Illud etiam*) quoties, » quod non semel accidit, ex Episcoporum relationibus de statu » dioeceseon intelligit, praeter deputationes conciliares aliam ac- » cedere ex municipibus vel e viris a gubernio electis, eisdem » significat, id eos pati non debere, et, si maior vis non obsistat, » nullum alium praeter eos, qui a Concilio praescribuntur, in » seminarii administratione et directione admitti oportere. » Eamdem hanc rem S. Congr. solemniter confirmavit in modo memorata causa Montisfalisci, quam heic exponendam paulo plenius existimamus.

121. Montisfalisci civitas, quae sita est in ea Pontificiae ditionis provincia, quae audit Patrimonium Divi Petri, celebre per ea loca habet seminarium ad radices veteris ac pene dirutae arcis, quae in tristissimis medii aevi factionibus persaepe Pontificibus effugium praebuit. (Ibi studiorum curriculum ad theologiam usque me perfecisse grato animo recolo). Cl. mem. Cardinalis M. Ant. Barbadicus, B. Gregorii, Patavini Antistitis, ex fratre nepos, munificentissimus eiusdem fundator, antequam decretum ederet erectionis, rectasque iuxta D. Caroli Borromaei monita ac vestigia regulas pro ipsius regimine promulgaret, anno 1703. Summum Pontificem adiit erectionis et regularum approbationem deprecaturus: itaque ope specialis ab eodem Pontifice deputatae congregationis regularum approbationem *in forma communi*, itemque confirmationem erectionis obtinuit, hac tamen adiecta conditione, ut deputatorum consilium constitueret iuxta praescriptum Conc. Trid. Nihilominus (qua de causa, ignoratur) Emus

ille vir huic iniunctioni minime adhaesit; quippe congregationem conflavit, quae constabat ex Capituli decano et sacrista (qui tum temporis Mazzinellus erat, cum pluribus editis theologicis operibus, tum potissimum doctis iuxta ac piis commentationibus ad officium maioris hebdomadae adiectis ubique clarus) necnon duobus capellanis: hisce quatuor accedebant insuper quinque seminarii eiusdem praeceptores. Huiusmodi congregatio, cum in desuetudinem abiisset, ad vitam revocata est, sedente Bened. XIV., a Benedicto Passionei, tum Apostolico seminarii Visitatore, posthac S. R. E. Cardinali, atque adeo usque ad nostra haec tempora seu re seu nomine superfuisse visa est.

Interim negari non debet, non parum effloruisse illud ephebocum cum omnium scientiarum cultu tum praesertim aureae latinitatis laude; cuius rei documentum est series virorum illustrium, eiusdem seminarii alumnorum, quorum imago ac memoria ad eius parietes adfixa servatur: quibus et alii adiici possent vitali aura adhuc utentes, quos inter memorare maxime praestat Emum Card. Angelum Quaglia, qui iam particulari S. Concilii Congregationi addictus fuit, cum in sacro Romanae Rotae Auditorio iudex assedit, subinde ad eamdem S. C. Conc. rediit uti Secretarius, ac modo S. Congreg. Episc. et Regul. agit Praefecturam. Neque silendus est Emus Card. Mertel, qui, postquam praeclara in Alma Urbe munera maxima cum laude gessit, Romanae Purpurae honorem merito adeptus est. At vero, si oeconomicum illius seminarii statum respicias, omni fere tempore difficultatibus et angustiis ita locus factus est, ut anno 1864., cum ad Montisfalisci dioecesim uti Administrator Apostolicus accessisset R. P. D. Spoglia, Ripanus Episcopus, de illa per Barbadicum conficta congregatione retulerit, ac PP. Emorum sententiam percontatus sit. Itaque S. C. nulla habita ratione exceptionum, quas cathedrale Capitulum, et ipsa Barbadiciana congregatio prae se ferebat, ad dubia:

1. « An pro rebus tam spiritualibus quam temporalibus seminarii Montisfalisci retinenda sit unica congregatio, quae a cl. mem. Emo Barbadico instituta et a Visitatore Apostolico restituta est, seu potius eligendae sint deputationes ad formam Concilii Tridentini in casu? » Et quatenus « negative ad primam partem, affirmative ad secundam, »

2. « An deputationibus ut supra electis adiiciendi sint quinque lectores seminarii in casu? »

Die dicta 27. Augusti 1864. respondit:

Ad 1. « Negative ad primam partem; affirmative ad secun-» dam. »

Ad 2. « Provisum in primo. »

« VI. An illud aliquando visitet, et operam det, ut consti-» tutiones adimpleantur? »

Summarium. 122. Concilium Tridentinum iniungit Episcopis, ut seminarium visitent. – 123. Quae visitatio differt ab alia, quam solemniter per totam dioecesim obire tenentur. – 124. Super ea speciali seminarii visitatione, quid statuerit Bened. XIV. pro seminario Bononiensi, exponitur. – 125–128. Itidem, quae decreverit S. Carolus Borromaeus, late refertur.

122. Qui amat praedium suum, ex eoque cupit laetiores uberioresque tempore messis percipere fructus, debet saepenumero praesens illud invisere et invigilare, ut operarii singulis anni tempestatibus, prout res postulat, rusticos culturae labores omni diligentia et maturitate perficiant: nam scite ait poeta *Neglectis urenda filix innascitur agris*. Haud secus de Episcopis accidit, qui, si vere cupiant, ut adolescentes in seminario commorantes eum pietatis et omnigenae doctrinae profectum faciant, quem intendunt, illud necesse est, ut peculiari studio et assiduitate novellarum harumce plantationum agrum visitent inspiciantque per se, an praeceptores aliique officiales suo quisque munere adamussim defungantur, simulque pueri studiis, ut par est, intenti, vitaeque puritate et modestia, ac prae primis obedientia commendabiles, curis et votis suorum Superiorum apprime respondeant. Itaque Tridentini Patres in *cap. 18. Sess. 23. de Reform.*, dum optimas institutiones ac leges pro recta seminariorum disciplina summatim indigitant, conceptis verbis Episcopis praescribunt, ut earum religiosae observationi urgendae per crebras visitationes operam dent. Neque aliter Bened. XIII in hac nostra Instructione praecipit Episcopis, ut referant, an aliquando seminarium visitent et operam dent, ut constitutiones adimpleantur.

123. Duplex vero hic distingui debet seminariorum visitatio, una solemnis, quae pars est illius visitationis universalis, quam Episcopus quolibet anno, vel saltem biennio in tota dioecesi instituere debet ad normam decreti Tridentini *Sess. 25. cap. 3. de*

*Reform.*, de quo supra. Cum enim Episcopi praeter alias quaslibet causas pias, loca atque instituta sacra debeant visitatione perlustrare, inter haec non ultimum certe locum obtinent seminarii aedes, eiusque tum materiale, tum formale tutamen. Crispinus in sua *Visit. pastor. part. II.* §. *31. per tot.* fuse hanc rem persequitur, indicatis omnibus capitibus, quae visitationi materiam exhibent; quocirca opportunitate poscente, non sine magno utilitatis fructu consuli poterit. At de istius visitationis specie hoc loco non loquimur.

Altera visitatio est minus solemnis et quodammodo privata, quam Episcopi in seminario peragere iubentur non singulis, aut duobus quibusque annis, sed crebris per annum vicibus iuxta prudens eorum arbitrium. Huiusce scopum describit van-Espen *Iur. ecc. P. II. tit. XI. de semin. cap. 2. num. 9.*: « Scopus visita- » tionis episcopalis esse debet, assequi ipsius seminarii tam quoad » temporalia, quam quoad spiritualia perfectam notitiam; ac prae- » cipue ipsorum alumnorum seu puerorum mores, profectum in » studiis et pietate, quemadmodum in instructionibus seminarii » a S. Carolo praescriptis deducitur. »

124. De hac visitatione Bened. XIV. *Inst. eccl. 59. n. 16.* agens, pro tempore, quo in minoribus Bononiensem ecclesiam administrabat, ita sancivit: « Seminarium semel in mense invisemus, » hortamurque seminarii praesides, ut nobiscum conveniant. Eam- » dem diem huic negotio peragendo constituimus, quo coetus in » nostra metropolitana ad quaestiones theologiae moralis exami- » nandas indicuntur, quibus peractis, ad seminarium pergemus. » Quibus autem mensibus coetus huiusmodi non coguntur, pri- » ma feria sexta cuiusque mensis, a prandio res eadem a nobis » perficietur. Haec praesens declaratio satis sit pro indicendis » diebus ad invisendum seminarii praesides, ne per eos dies ullo » impedimento teneantur, quo nobiscum huic muneri satisfacere » nequeant: nihil profecto nos ab hoc instituto consilioque re- » tardabit; nam magnopere expetimus, ut nostri alumni opti- » mam disciplinam accipiant fructuque literarum cumulentur. »

125. S. Carolus Borromaeus *P. I. cap. 8. de vis.* apud van-Espen *l. c.* inter cetera statuit, ut « hebdomada Resurrectionis, » ac circiter festivitatem Nativitatis B. M. V. Rmus Archiepisco- » pus, adhibitis in consilium deputatis, generalem visitationem » habeat, in qua deliberet, quae ad clericorum eiusdem semi-

» narii institutionem, disciplinam, mores, studiorum progressio-
» nem, rerumque temporalium administrationem attinent. »

126. Deinde addit quoque, « ut Archiepiscopus certior fiat a
» rectore de disciplina et moribus cuiusque, ac singulos separatim
» alloquatur, quae sit eorum mens, qui sensus, quam in vocatione
» sit stabilis, inquirat, ac si quid aliud praeterea scire voluerit. »

127. Posthac §. *10.* idem van-Espen sequitur: « De ipso
» S. Carolo in eius vita legitur, quod bis per annum institueret
» generalem seminarii sui visitationem eamque adeo exactam, ut
» ipsemet adnotaret singulorum studentium aetatem, parentes,
» patriam, patrimonium, qualitates tum corporis quam spiritus,
» atque eorum in scientiis progressum, ut ipsos pro ratione scien-
» tiae faceret de una ad alteram classem ascendere, eosque pro
» cuiusque capacitate ministeriis suae dioecesis applicaret. Prae
» ceteris autem se informabat, quis esset studiosorum profectus
» in pietate, in oratione mentali, exercitio virtutum clericalium,
» item de ipsorum tentationibus et anxietatibus et poenis inte-
» rioribus, ut tepidiores ad fervorem excitaret, retineret vero,
» qui zelo praecipiti et indiscreto ultra suas vires progredi vo-
» lebant: si quos videbat tentationibus quibusdam agitatos, et
» quasi ad lapsum propensos, eos fortificare et animare satage-
» bat. Verbo, omnibus omnia factus, omnes lucrari satagebat: et
» quos suavitate ac benignitate, crebraque monitione lucrari non
» poterat, poenitentiarum impositione tandem probabat, aut ad
» aliud seminarium mittebat, vel alicui bono sacerdoti committebat,
» qui eos in suam domum reciperet, et specialem curam age-
» ret. Haec Goudaeus, Episcopus Vencensis, in vita S. Caroli gal-
» lice conscripta *lib. 1. cap. 12.*, qui fusius zelum huiusce Archi-
» praesulis in directione seminariorum ibidem enarrat. »

128. Instructio Benedictina paucis verbis huiusce visitationis munus exprimit, dum Episcopum referre iubet, an *det operam, ut seminarii constitutiones adimpleantur.*

« VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, ea-
» demque exigatur; et an aliqui sint morosi in eius solutione? »

129. Nihil addendum superest circa praesentem paragraphum; materia siquidem eo pertinens tota tractata et exhausta fuit in capite I. §. *IX. art. 2. n. 142. et seq. (vol. I. pag. 130.).*

## CAPUT SEPTIMUM.

De septimo capite, ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

« I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum expo» sita sit tabella onerum Missarum et anniversariorum ad tra» mites decretorum s. m. Urbani VIII. et an eis punctualiter sa» tisfactum sit? »

Summarium. 1. Haec paragraphus magni momenti est. – 2. Namque agit de Missarum implemento, unde defunctorum animabus suffragia obveniunt. – 3. Duo proponit haec paragraphus.

1. Paragraphus prima huiusce septimi capitis maximi momenti est: agit enim de salutaris illius hostiae Sacrificio, quod offertur Deo, ut animae defunctorum ab omni peccati labe expiatae in aeternam requiem ingredi mereantur. Porro *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,* uti proclamant sacrae Literae, Macch. *Lib. II. cap. 12. v. 46.*

2. Iamvero quae sanctior et salubrior esse propitiatio potest ea, in qua Corpus et Sanguis divini illius Agni immolatur, qui tollit peccata mundi? Itaque sanctissima religio nostra catholica, quae filios suos a primis unguiculis suas in ulnas excipit, eosque in toto mortalis vitae curriculo fovet ac dirigit, eorumdem animas non deserit, cum e corporis carcere egressae fuerint; quin imo suis ipsa suffragiis studiosissime prosequitur ac recreat, ut ab expiatorio igne liberatae, quantocius in aeterna Sionis tabernacula a Domino recipiantur. Quapropter inter episcopalis ministerii curas illud praecipue ponit, ut sollicitudinem ac vigilantiam omnem in fideli accurataque onerum Missarum exsecutione praesertim tempore sacrae visitationis impendant. Sed enimvero vastissimam et controversiarum feracissimam hanc provinciam numeris omnibus absolvere opus improbi nimis laboris esset, neque consentaneum illi, quam sectamur, brevitati. Nihilominus rem utilem et gratam Episcopis, et a S. Congreg. mente, quae tantum in hac re ponderis ponit, minime quidem alienam nos facturos esse censemus, si graviores huiusce materiae partes percurramus, ea potissimum in medium afferre solliciti, quae fre-

quentius in usum venire solent. In quo nonnihil emolumenti in sanctas eas animas derivatum iri confidimus, dum suffragia eisdem debita vel adproperari, vel accuratius persolvi curamus. Quae duae res, laborem, quem aggredimur, levem ac suavem efficient.

3. Duo proponit hoc, quod exorsi sumus, capitulum, nempe ut Episcopi referant de onerum Missarum et anniversariorum tabella in sacristia stabiliter exposita, deque fideli eorumdem satisfactione. Quisque tamen videt primum ex duabus hisce rebus aliud non esse nisi minimam partem illius sollicitudinis, qua uti debent Episcopi, ut exactam Missarum satisfactionem assequantur. Quoniam vero Instructio nostra peculiariter de ea responsionem reddi praescribit, peculiariter et nos de ea agere debere arbitramur: dein de altera parte sermonem habebimus.

### Art. I. De perpetua onerum Missarum et anniversariorum tabella in sacrariis exponenda.

Summarium. 4. Missae aliae perpetuae, aliae temporales et adventitiae. – 5. Quid statuerint Urbanus VIII. et Innocentius XII. super celebratione Missarum. – 6. Quas cautiones in tabellae perpetuae confectione et eiusdem usu adhibuerint S. Carolus Borromaeus et Clemens XI., narrat Benedictus XIV. – 7. Testamento deperdito, tabella aequipollens ad obligationem importandam argumentum praebere potest. – 8. Ex descriptione oneris in tabella oritur praesumptio, quod congrua dos tradita fuerit. – 9. Sacerdoti asserenti et iureiurando assertionem confirmanti se Missam celebrasse, credendum est, licet in tabella celebrationem non adnotaverit. – 10. Onera Missarum probari possunt ex diuturni temporis implemento. – 11. Quaestio est, an ex centenaria vel immemorabili praescriptione onerum obligatio perimatur. Disputant utrimque doctores. – 12. ad 17. Negativae sententiae adhaesisse videtur S. C. Concilii, quod probatur exemplo causarum *Lucanae, Ferrarien., Romanae, Aquilanae, Firmanae.* – 18. Quin contra prosit observantia, nec in linea praescriptiva, nec interpretativa.

4. Etsi Missae sacrificium unum et simplex tantummodo sit, nihilominus si Missarum onus (ut sapienter more suo animadvertit Bened. XIV.) ex principiis, unde profluit, censeatur inspiciaturque, diversum recipit nomen, ideoque Missae communi loquendi more vel *perpetuae*, vel *temporaneae*, vel *adventitiae* nuncupari solent. *Perpetuae* nimirum illae sunt, quarum celebratio praescriptis diebus in perpetuum, indefinite perennanda est; *tempo-*

*rales*, quae itidem statis diebus ad longius vel brevius tempus, attamen determinatum, celebrari debent; *adventitiae* tandem, seu *manuales* eae sunt, quae semel celebratae nequaquam iterantur, aut ad summum certis quibusdam vicibus ad absolvendum numerum a pio disponente praescriptum repetuntur. Vide Bened. XIV. de *Syn. dioeces. lib. XIII. cap. ultim. num. 4.*

5. Hac praemissa Missarum distinctione sciendum est, S.Cong. Conc. ad avertendos abusus, qui contingunt in celebratione Missarum, ex praescripto saluberrimi decreti Patrum Tridentinorum *Sess. 25. de obs. etc. in celeb. Miss.*, auctorante s. m. Urbano VIII. plura decreta hac super re potissimum in eo, quod onerum Missarum implementum respicit, edidisse. Quae decreta ab eo Summo Pontifice peculiari Constitutione confirmata sub eius nomine in lucem prodierunt. Subinde s. m. Innocent. XII. de sententia eiusdem S. Congregationis eadem decreta de verbo ad verbum innovavit confirmavitque; insuper alia decreta subiecit, inter quae illud nominatim recensetur, quo perpetuam onerum Missarum tabellam semper in sacrario expositam prostare imperavit. Deinde duos confici libros iussit in sacrario pariter adservandos, in quorum altero perpetua ac temporanea onera, in altero Missae adventitiae et manuales inscribantur una cum fideli ac distincta adnotatione eius, quod subsecutum fuerit, implementi. Iamvero tam graviter in illis decretis obligatio harum praescriptionum inculcatur, ut, si Superiores ecclesiarum saecularium illos non invigilent, qui ea obligatione tenentur, poenam suspensionis in singulis casibus incurrant. Quoniam vero huiusmodi decreta ab Urbano VIII., a quo primum promulgata fuerant, nomen usque retinere non desierunt, hinc ista lex de perpetua tabella licet reipsa post eum Pontificem edita, eidem cum communiter tum in Benedictina Instructione adscribitur, ex eoque nuncupatur. Ceterum huiusmodi decreta a prima ad ultimam ceram tantae gravitatis sunt, ut in hac materia Episcoporum oculis observari continuo debeant: nihil enim in illis occurrit, quod leve sit, et velut inutile praeteriri possit. Quocirca licet, ut plurimum, penes recentiores rerum canonicarum tractatores, et in appendice plurium Synodorum dioecesanarum per extensum exscribantur, tamen totam Innoc. XII. constitutionem, quae aliam Urbani VIII. constitutionem complectitur ad maiorem commoditatem infra (pag. 457.) in appendice exhibere superfluum non existimamus.

6. At vero, ut ad tabellam redeamus, Bened. XIV. *loc. cit.* una cum auctore operis, cui titulus *Iconographia, sive delin. exempl. vitae et off. Episc.* Romae 1719., cautiones hac in re magnopere commendat adhibitas in Concilio provinciali Mediolanensi quinto, reliquasque initas et institutas a fel. rec. Clem. XI., ut nimirum perpetua Missarum onera minime obliterentur, et sine exsecutione praetereantur. Neque animadvertere praetermittit, illud in decretis hisce a Clemente XI. prolatis adiungi, quod eadem digna omnino sunt, quae in singulis dioecesibus sedula Episcoporum imitatione observentur. Legi porro ea possunt in Bullario laudati Clem. XI., et etiam apud Ferrarium verbo *Missae sacrif. art. XV. per totum*, qui per omnium manus vulgo versatur. Complura ad hanc rem utilissima affert etiam tum Monacellus *Form. leg. Part. II. tit. 13. form. 2. sub num. 46.* item, *Part. III. append. instr. V.* (1), tum Crispin. *Vis. past. P. II.* §. *14.* Haec innuisse sufficiat; satis enim hic fore ducimus si substantiam decretorum Clement. XI. afferamus, quam hisce verbis Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. XIII. cap. ult. num. 4. perstringit: « Itaque haec est huiusmodi cautionum summa, ut con» ficiatur index, sive tabella distinctim adnotata, praeferens per» petua et temporaria Missarum onera una cum indicatione te» stamenti, aut alterius legalis actus a pio testatore exarati, et » designatione loci, ecclesiae nimirum, in qua peragenda sint » Sacra, sicuti etiam numeri Missarum ac temporis, quo eas ce» lebrari oporteat. Huius enim tantummodo indicis sive tabellae » praesidio, si recto ordine, et cum exacta monumentorum in» dicatione confecta fuerint, facile ac tuto deprehendere licebit, » an onera fuerint ex fide adimpleta: id quod ex solis libris » certo constare non potest, utpote quibus demonstrari quidem » poterit subsecuta celebratio iuxta *Decis. 372.* Riccii *part. III.*, » vel etiam oblati Sacrificii applicatio, si qui illud obtulit sacer» dos, adnotavit, se etiam illud applicasse, iuxta instructionem V. » impressam penes Monacellum tom. III. pag. 217. num. 14., sed » ex his non evincitur, celebrata fuisse et applicata ea omnia » sacrificia, quae celebranda sunt et applicanda, ut piorum fun» datorum dispositionibus integre satisfiat. Praeter libros ergo

(1) Haec Instructio non paucas praesefert iuris dispositiones ad hanc rem facientes, quas, data opportunitate, consulere non parum proderit.

» opus est etiam tabella, quae cum illis conferatur: tabella au- » tem nullam fidem obtinere potest, nisi concordet cum publico » documento, in quo pius fundator suam voluntatem expres- » serit. »

7. Adnotandum tamen, quod, si monumentum istud interciderit omnino, tabella vel libelli, vulgo *vacchette*, quando praesertim antiqui sunt, aut alias praeseferant notas veracitatis, fidem per aequipollens in iure faciant, quemadmodum accidit in quadam causa novissime penes S. C. Episc. et Regul. agitata, nempe *Ripana Pii legati et delet. hypothecae* 17. Martii 1854. Exponebatur a fratribus Possenti, in testamento ab eorum genitrice anno 1780. condito, legatum duarum in singulis hebdomadis Missarum, ad annos 50 duraturum, fuisse relictum. At vero testamentum deperditum fuerat, quamvis de eiusdem celebratione indubia documenta perstarent. Inscriptio hypothecaria in eorumdem fratrum bonis rite suscepta fuerat: eam itaque, exactis annis plusquam quinquaginta, deleri fratres ipsi postulabant. Deficiente testamento, duos libellulos, vulgo *vacchette*, proferebant, quorum in titulo adnotabatur, eas Missas, quarum celebratio ibidem recensita fuerat, a legato proficisci praedictae testatricis, cuius duratio ad annos 50 protendi enuntiabatur: uni ex iisdem libellulis etiam decretum Episcopi in sacra visitatione appositum inhaerebat. Ceteroquin ex omnibus circumstantiis et adiunctis manifestum erat, eos libellulos ab omni prorsus fraudis suspicione alienos esse: itaque S. C. Episc. et Regul. et legatum iam cessasse, et hypothecam deleri debere definivit.

8. Praeterea si in tabella Missarum onus descriptum inveniatur, eidem oneri satisfaciendum est: praesumitur enim, congruam pro eius satisfactione dotem fuisse attributam. Namque ita declaratum fuisse a S. C. Conc. in *Neapolitana* diei 10. Ianuar. 1665. *ex tom. decis. eiusdem anni* testatur Crispinus de *Vis. past. P. II.* §. *18. n. 9.*, ubi resolutionem hanc exscribit, nempe: « S. C. » censuit, praesumi, quod oneribus in tabella descriptis congrua » dos in eorum receptione attributa fuerit, ideoque, donec de » contrario non constet, non esse locum moderationi, sed esse » satisfaciendum oneribus, quamvis in praesens ignoretur, quae » bona fuerint assignata. »

9. Adnotandum etiam, quod quamvis Episcopus mulctare possit eos sacerdotes, qui Missarum celebrationem in libro recen-

sere neglexerunt, non potest tamen suo decreto statuere, ut, hac deficiente probatione, nulla alia in supplementum afferri possit, veluti docet Monac. *Form. leg. tit. 13. form. 2. n. 46.* Si enim sacerdos iureiurando asserat, sese celebrasse, eidem credendum est (Ferraris verbo *Miss. art. 15. n. 7. in fin.*), tametsi per oblivionem, aut aliam quamcumque causam celebrationis inscriptio in libro desideretur. Quocirca idem Monacellus *loc. cit.* tradit, quod, « cum Episcopus Civitatis Plebis compellere voluisset ca» nonicos suae cathedralis ad subscribendum folium obligationis » applicandi Missam conventualem pro benefactoribus, et ipsi » renuendo recursum habuissent ad S. C. Conc., haec sub die » 7. Maii 1704. declaravit, illos non teneri, sed sufficere illorum » assertionem, se celebrasse. »

10. Praeterea onera Missarum probari posse ex diuturni temporis implemento, pluries declaravit S. C. Conc. ac praesertim in *Vercellen.* 12. Sept. 1750., *Perusina On. Miss.* 21. Ian. 1826. Vide etiam *Camerin. Leg. Miss.* 2. Mart. 1824. §. *Archipresbytero*, necnon *Viterbien. Leg. pii* 22. Iun. 1839. §. *Verumtamen.*

11. Quid vero dicendum erit, si ex longissima observantia, atque adeo etiam centenaria, aut immemorabili colligatur, Missarum onus adimpletum non fuisse iuxta testatoris voluntatem, de qua ceteroquin certe et indubitate constet? Tantine huiusmodi observantia valebit, ut testatoris voluntatem queat infringere? Ferraris verbo *Praescriptio art. 1. n. 6.et seq.* recenset auctores, qui utrimque adverso marte propugnant super quaestione, an onera Missarum, ac fundationum, beneficiorum et capellaniarum perimi possint longissimi temporis, aut saltem centenaria praescriptione: uni siquidem nullum titulum centenaria praesertim observantia meliorem obiici posse tuentur, alteri vero contendunt, praescriptionem non valere contra defunctorum animas, utpote quae non valentes per se agere, negligentiae, ex qua oritur praescriptio, sunt incapaces; hi nituntur insuper *cap. 5. Sess. 25. de Reform.*, quo cavetur, ne ulla contraria ordinatio oneribus vel in beneficiis, vel alia dispositione iniunctis derogare possit. At vero contra hanc sanctionem nulla praescriptio habet vim, prout fit de omnibus Conc. Trid. decretis.

12. Posteriori huic potius sententiae, quam alteri adhaesisse S. Cong. testantur folia in *Romana Capellan.* 30. Iul. 1768. §. *Quaestio*, in *Comaclen.* 8. Iul. 1818. et *Lucana Praem. et iur.*

29. Ian. 1825. §. *Nulla*, in *Perusina Capell.* 15. Sept. 1827. et confirmari videtur exemplis, quae sequuntur.

13. In *Lucana* 18. Februar. 1702. (quam ex Monacello exscribit S. C. C. in *Firmana* ad diem 21. Iul. 1843. §. *In Lucana* – vid. infra *n. 17.*), cum ageretur de capellania, quam testator erigi mandaverat, *pro amore Dei et remedio animae suae, et capellanum designaverat, qui Missam singulo mane celebrare curaret,* quamvis capellani pro tempore sacrificium applicare omisissent, et in tabella facta tempore sacrae visitationis centum circiter ante annos obitae, contraria descriptio fuisset confirmata, tamen S. C. declaravit, capellanum teneri applicare Sacrificium pro fundatore iuxta fundationem, et capellanos pro praeteritis omissionibus condemnavit.

14. In *Ferrarien. Applic. Miss.* diei 12. Febr. 1718. actum est de capellaniis erectis cum onere Missas quotidie celebrandi, ita ut diebus ferialibus celebrarentur Missae mortuorum: cumque longaeva observantia consuevissent capellani eas diebus tantum ferialibus applicare, propositum est dubium: « An capellani te» neantur quocumque die Missam applicare pro anima fundatoris?» responsum est: « Affirmative », et in comitiis 24. Febr. 1720. confirmatum fuit Rescripto: « In decisis et amplius. »

15. In *Romana Praeposit.* diei 1. Aprilis 1719. contendebatur a Praeposito ad Scalas sanctas praescriptione peremptam fuisse obligationem in fundatione appositam Missam celebrandi per seipsum propter observantiam antiquissimam et pene immemorabilem; ac proinde posse praeposituram retineri cum episcopatu, ad quem fuerat assumptus: at praeter aliquod dubium iniectum circa probationem eiusdem observantiae, adnotatum est, eam in iure nullo in pretio reputari, utpote adversam Tridentino Concilio *cap. 5. Sess. 25. de Reform.;* quapropter subiecta quaestione: « An praepositura ad Scalas Sanctas sit incompatibilis cum » episcopatu civitatis Castellanae et Hortanae in casu? » Emi Patres die dicta respondendum censuerunt: « Affirmative et am» plius. »

16. In *Aquilana Capellaniae* 8. Maii. 1733. res erat de fundatione, in qua testator nullo personali onere capellano iniuncto, eidem solum praeceperat « ut teneatur residere ad dictam ecclesiam a me erectam pro memorato effectu ». Cum autem disputatum fuisset dubium « An beneficium seu capellania, de qua agitur,

» habeat onus residentiae et quomodo? » quamvis capellanus in suum subsidium allegaret observantiam tum fundationi proximam per quinquaginta circiter annos, tum novissimam per annos quadraginta, nihilominus prodiit resolutio: « Capellanum teneri resi- » dere ad formam testamenti », quae quidem resolutio die 18. Iulii eiusdem anni fuit confirmata.

17. In *Firmana* 12. Aug. 1843. fundator testamento anni 1683. capellano onus imposuerat litandi per seipsum duas Missas qualibet hebdomada, conditione apposita, quod si per seipsum non celebraret, excepta infirmitatis causa, dare teneretur alteri sacerdoti celebranti integram portionem omnium capellaniae fructuum diei illi pro rata respondentem. At vero ab anno 1691. ad annum 1831. nullum verbum in Bullis institutionum de hoc onere factum fuerat, adeoque piae voluntatis adimplementum in oblivionem et desuetudinem abiverat. Anno 1831. capellanus de testamentaria dispositione certior effectus indulgentiam a S. Cong. ad triennium obtinuit, ut Missas per alium celebrare posset. Illud indultum prorogatum fuit, elapso primo triennio; at vero, altero superveniente triennio, responsum prodiit, ut in posterum testamentaria dispositio servaretur. In hoc rerum statu Archiepiscopus anno 1841. decretum edidit, quo statuebatur, ut capellanus celebrationem omittens fructuum beneficialium portionem iuxta mentem testatoris persolveret, ut quotannis capellanus statum activum et passivum capellaniae vicario foraneo exhiberet eo consilio, ut quota a capellano solvenda ei, qui sacrum sua vice perlitaret, determinari posset; ut denique Missas duas neque pervertere, neque differre ultra quamlibet hebdomadam celebranti liceret. Itaque, contradicente capellano, qui ex iure passivo, quo potiebatur, capellaniam obtinuerat, et alibi domicilium habebat, proposito dubio: « An infirmandum, vel confirmandum sit sacrae » visitationis decretum in casu? » S. C. die dicta 12. Aug. 1843. rescripsit: « Negative ad primam partem, affirmative ad se- » cundam. »

18. Neque praetereundum est, in folio huiusce causae ad diem 29. Iul. eiusdem anni §. *Viderint* dubitationem fuisse obmotam, an in casu, de quo agebatur, observantia aliquid ponderis haberet in linea, si non praescriptiva, at saltem praesumptiva, quae videlicet praesumptionem induceret de Apostolico beneplacito rite impetrato ad hoc, ut testatoris voluntas immuta-

retur: quippe scitum est, defunctorum dispositiones Apostolica posse auctoritate commutari. At S. Congr. nihil haesitavit, ut negativum responsum daret, nullo habita in pretio huiusmodi exceptione.

In exitu huiusce paragraphi requiritur in Institutione Benedictina, an piis oneribus punctualiter satisfactum fuerit. Ut itaque huiusce materiae pertractatio ordine procedat, in plura capita dispertietur.

### Art. II. De cura ab Episcopis adhibenda pro fideli satisfactione onerum Missarum.

Summarium. 19. Licet in hoc articulo de onere Missarum dumtaxat agendum esset, nihilominus de cunctis universim piis oneribus sermo suscipitur. – 20. ad 23. Praecipuum Episcoporum ius et officium est invigilare, ut pia onera adamussim impleantur iuxta auctoritatem Bened. XIV., necnon Urbani VIII. et Innocentii XII. In confirmationem affertur textus in *L. 28. Nulli cod. de Ep. et cler.* Et in *Nov. 131. tit. 14. de eccl. tit.* – 24. Neque Episcopi se eximere queunt ex eo, quod ad fabricam S. Petri onus hoc pertineat. – 25. Pro validitate piarum dispositionum non est necessaria observatio civilium solemnitatum. – 26. Duorum vel plurium testium designatio non *taxative,* sed *demonstrative* intelligenda est. Hinc pias dispositiones probat quodcumque argumentum naturale factis historicis comprobandis idoneum. – 27. Nihilominus ut sustineatur, requiritur, ut dispositio sit actus completus. Quando autem actus completus dicendus sit, e peculiaribus facti circumstantiis eruitur. – 28. Praesertim vero explorandum est, an iuxta persuasionem disponentis actus fuerit vere perfectus. Confirmatur exemplo causae Rotalis. – 29. Necnon alterius recentissimae apud S. C. Episc. et Regul. diiudicatae. – 30. Piae dispositionis inter vivos exsecutor ille est, quem disponens designavit: eo non designato, succedit Episcopus. – 31. Idem valet in dispositionibus causa mortis pro redemptione captivorum et alimonia pauperum. – 32. In aliis relictis causa mortis exsecutor est haeres. – 33. Vel is, qui a testatore designatus fuerit. – 34. Tempus ad onera adimplenda communiter est semestre. Quo durante non prohibetur Episcopus exsecutionem instare, atque etiam negligentiam supplere. – 35. Quae requirantur, ut, data exsecutorum vel haeredum negligentia, exsecutioni manum apponat Episcopus. – 36. Exsecutoribus institutis substitutos adiungere testatori licet. – 37. Non licet facere legem, ne umquam sese ingerat Episcopus. – 38. Hactenus generalia principia indicata sunt. – 39. Exsecutorum designationem a testatore factam commutare noluit S. C. Conc., neque ob causam evitandi litem. – 40. Quamvis exsecutores a testatore designatos

ob praetensam malam administrationem mutari concessisset, de fideli administratione melius edocta recessit a decisis. – 41. Alias exsecutores iuxta testatoris mentem eligi iussit, etiamsi contraria observantia invaluisset. – 42. 43. Designatis personis in aliquo officio vel dignitate constitutis, si renuant, vel negligant, supplet Episcopus, reservato iure eorum, qui in eodem officio vel dignitate successuri erunt. – 44. Supplet etiam, si ius nominandi exsecutores a testatore relictum sit alicui, qui illud exercere negligat. – 45. Si patroni capellaniarum laicalium capellanum nominare differant, Episcopus earum administratorem nominare potest. Huiusmodi capellaniae aequiparantur legatis piis. – 46. Episcopus hoc in casu potest etiam capellanum nominare. – 47. 48. Testatoris interdictum, ne Episcopus se immisceat, non sustinetur. Quod ita est intelligendum, ut Episcopus immiscere se nequeat, nisi data negligentia exsecutorum. – 49. Ius et officium invigilandi super onerum piorum adimplemento incumbit etiam Praelato *Nullius,* et Vicario Capitulari.

19. Gradum facimus ad secundam huius primae paragraphi partem, ubi agitur de accurato Missarum oneris implemento. Itaque praemonemus ante omnia, in hoc articulo, ubi unice de Missis agendum foret, nihilominus de satisfactione onerum piorum in genere nos elocuturos esse; quidquid enim de piis oneribus generatim sancitum est, speciatim Missarum oneribus applicatur. Deinde Benedictina Instructio in hac eadem paragrapho ad secundum numerum, qui proxime occurrit, diserte ab Episcopis referri praescribit, an pia onera a testatoribus iniuncta in piis dioecesis locis accurate adimpleantur. Hinc ne in eamdem rem iterum non sine inutili labore et lectorum fastidio redire compellamur, data occasione utimur, ut argumentum hoc universum, qua late patet, cumulate persequamur.

20. Ad rem dein propius accedentes verba Bened. XIV. in *prin. cap. ult. lib. XIII. de Syn. dioec.* mutuamus consultissime aientis: « Inter episcopalis sollicitudinis onera haud sane novis» simum locum tenere censendum est illud, quo sacri pastores » obstringuntur, maiori qua possunt cura advigilare, ut suis in » dioecesibus pia legata debitae exsecutioni mandentur, prae» scriptae celebrentur Missae, eaedemque iuxta piorum fundatorum » voluntatem applicentur. » Assumptum argumentum subinde comprobat, allatis textibus iuris canonici in *cap. Nos quidem 3. cap. Si haeredes, 6. cap. Tua nobis, 17. de testam.,* quibus addi possunt *Cap. Ioannes 19. eod. tit.* et *L. Nulli cod. 28. de Episc.*

*et cler. cum Auth. Licet,* quae melius legi potest ad *Nov. 131. collat. 9. tit. 14.* (*alibi 6.*) *cap. 11.* Neque silendum est Conc. Trid. decretum in *Sess. 22. cap. 8. de Reform.,* ubi sancta Synodus ita cavet: « Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae dele» gati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositio» num tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint exsecu» tores. »

21. Vehementiora sunt verba adhibita ab Urbano VIII. et Innocentio XII. §. *XXXI. Decreti de celebratione Miss. part. II.:* « Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in » ecclesiis quoquo modo etiam in vim decretorum Conc. Trid. » sibi subiectis Missae ea, qua par est, fide et diligentia cele» brentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae » exsecutioni demandentur, nedum iustitiam requirentibus seu » instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus, tum » in aliis actibus et modis, quos expedire et convenire toties, » quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, per» vertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus et sin» gulis decretis adversetur. »

22. Quoniam vero eo misere vivimus aevo, quo piarum voluntatum dispositiones apud civiles potestates non modo, uti par est, haud observantur ac proteguntur, sed persaepe contemni ac pessumdari cernimus, iuvat per extensum memoratas Caesarei iuris sanctiones hic recitare. Itaque affertur primo *L. 28. Nulli cod. de Ep. et clericis.* « Nulli licere decernimus, sive testamento hae» res sit institutus, sive ab intestato succedat, sive fidecommis» sarius, vel legatarius inveniatur, dispositiones pii testatoris in» fringere, vel improba mente violare, adserendo, incertum esse » legatum, vel fideicommissum, quod redemptioni captivorum re» linquitur; sed modis omnibus exactum pro voluntate testatoris » piae rei negotium perficere. §. *1.* Et si quidem testator desi» gnaverit, per quem desiderat fieri redemptionem captivorum, » is, qui specialiter designatus est, legati vel fideicommissi ha» beat exigendi licentiam, et pro sua conscientia votum adim» pleat testatoris. Sin autem persona non designata testator ab» solute tantummodo summam legati, vel fideicommissi taxaverit, » quae debeat memoratae causae proficere, vir reverendissimus » Episcopus illius civitatis, ex qua testator oritur, habeat facul» tatem exigendi, quod eius rei gratia fuerit derelictum, pium

» defuncti propositum sine ulla cunctatione, ut convenit, impleturus. §. *2.* Cum autem vir religiosissimus Episcopus huiusmodi pecunias pio relictas arbitrio fuerit consecutus, statim gestis intervenientibus earum quantitatem et tempus, quo eas susceperit, apud rectorem provinciae publicare debebit. Post unius vero anni spatium, et numerum captivorum et data pro his pretia eum manifestare praecipimus, ut per omnia impleantur tam piae deficientium voluntates: ita tamen, ut religiosissimi Antistites gratis et sine ullo dispendio praedicta gesta conficiant, ne humanitatis obtentu relictae pecuniae iudiciorum dispendiis erogentur. §. *3.* Quod si testator, qui huiusmodi legatum vel fideicommissum non designata persona reliquit, barbarae sit nationis, et de eius patria aliqua emerserit ambiguitas, vir reverendissimus Episcopus civitatis eius, in qua idem testator defunctus est, eiusdem habeat legati seu fideicommissi petitionem, defuncti propositum modis omnibus impleturus. §. *4.* Quod si in vico vel territorio testator mortem obiverit, illius civitatis vir reverendissimus Episcopus exactionem habebit, sub qua vicus, vel territorium esse dignoscitur. §. *5.* Et ne pium defuncti propositum improba fraudatorum calliditate celetur, quidquid pro huiusmodi causa relictum fuerit, universi, qui id quocumque modo cognoverint, vel in viri clarissimi rectoris provinciae, vel in urbis Episcopi notitiam deferendi habeant facultatem, nec delatoris nomen suspicionemque formidet, cum fides atque industria eorum tam laude, quam honestate, ac pariter pietate non careat, cum veritatem in publicas aures lucemque deduxerint. »

23. Altera est *Nov. 131. tit. 14. de Ecc. tit. et priv.* §. *XI.*: « Si quis autem pro redemptione captivorum, aut alimentis pauperum haereditatem aut legatum reliquerit in rebus mobilibus aut immobilibus, sive semel sive annuale, et hoc modis omnibus secundum testatoris voluntatem ab iis, quibus iussum est hoc facere, debet compleri. Si autem specialiter dixerit, quomodo pauperibus hoc reliquit, praecipimus ssm̃um Episcopum civitatis, in qua testator habuit domicilium, percipere easdem res et eius civitatis pauperibus erogare. Si autem pro redemptione captivorum aliquid relinquatur, et non nominatim testator dixerit, per quem oporteat fieri redemptionem captivorum, etiam sic iubemus res ab hoc relictas locorum Episcopum et eius oeconomos volu-

» mus providere, ut secundum defuncti voluntatem omnia pro-
» cedant; licet praecipue a testatoribus, aut donatoribus interdi-
» ctum sit eis habere ad hoc aliquid participium. Si autem hoc
» qui facere iussi sunt, semel et secundo a beatissimo locorum
» Episcopo, seu eius oeconomis per publicas personas admoniti
» distulerint, quae disposita sunt, adimplere, iubemus eos omne
» lucrum relictum eis ab eo, qui hoc praeceperit, amittere: et
» locorum Episcopos omnes res cunctis (sicut dictum est,) piis
« causis distributas, cum fructibus et augmentis medii temporis,
» et memorato lucro vindicare: et quae testator disposuit, adim-
» plere, scientes, quia si neglexerint, pro his omnibus rationem
» Deo persolvent. Si autem ssmus locorum Episcopus reliquerit
» aliquid horum, quae a nobis dicta sunt, liceat ssmo eius Me-
» tropolitano haec omnia exigere et complere, et omni alii li-
» centia sit huiusmodi movere quaestionem et studere, ut modis
» omnibus causae piae compleantur. »

24. Praemissis omnibus hisce rationum momentis, non solum ex disciplinae ecclesiasticae legibus, sed etiam ex iure Caesareo petitis, abunde colligitur, Episcopis nedum esse ius, sed et officium ac verum praeceptum invigilandi et adnitendi, ut pia onera accuratam exsecutionem sortiantur; quod aliis argumentis confirmat Barbosa *de off. et pot. Ep. all. 82. num. 26.*

Neque Episcopi qui dioecesibus praesunt rev. fabr. S. Petri subiecti ab ea sese cura possunt eximere ex eo, quod onus adurgendi Missarum celebrandarum implementum ad eamdem rev. fabr. S. Petri pertineat; namque, ut monet Bened. XIV. *loc. cit. num. 3.*, S. C. rev. fabr. S. Petri nonnisi post annum a morte testatoris manus suas adponit ad supplendam exsecutorum negligentiam, quin imo etiam post annum locus est cumulativae, seu concursui inter Episcopum et rev. fabr., reique notio inter hos ei relinquitur, qui ipsam rem praeoccupaverit.

25. Praenotare hic non videtur alienum, necessarium non esse, ut civilis iuris solemnitates in ultimis voluntatibus observentur ad hoc, ut piae dispositiones validae sint et in iure sustineantur, quod privilegium piarum causarum proprium est. Sufficit enim, ut de pia dispositione numeris omnibus absoluta quomodocumque constet per argumenta iure naturali communiter admissa ac recognita. Id enim aperte deducitur ex *Cap.* Relatum *de testam.*, in quo ita sancitur: « Mandamus, quatenus cum ali-

» qua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non » secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, » tribus aut duobus testibus legitimis requisitis. »

26. Huiusmodi sanctio confirmata est in Conc. Rom. anni 1725. *cap. 1. tit. 20. de testam.* Trium tamen aut duorum testium designatio non est quidem *taxative*, prout aiunt, intelligenda, ita ut alia quaevis ex iure naturali desumpta probatio non recipiatur, sed tantum *demonstrative*, videlicet ut innuatur, piam dispositionem in suo robore ac vi subsistere, quando eam factam fuisse constet argumentis omnigenis, quae ad factum historicum plene in iudicio evincendum, seclusis legis positivae solemnitatibus, satis esse communiter receptum est. Quae sententia communis est, ac tribunalium, SS. Congregationum, et doctorum auctoritate fulcitur. S. Rota *Dec. 166. num. 5. P. VIII.*, *Dec. 150. n. 22. P. XII. Decis. 282. n. 22. P. X. rec.*, S. C. Conc. in *Ariminen.* 13. Sept. 1854. *per summ. prec.*, S. C. Episc. et Regul. in *Hortana Delet. hypot.* 29. Febr. 1855., de Luca de *testam. disc. 14. n. 15.*, Reiff. *Lib. 3. tit. 26. n. 666.*; Petra ad *Constit. 10. Innoc. III. tom. 2. sect. 3. num. 7.*, et passim penes rerum canonicarum interpretes. Insuper vide votum, quod exhibebimus vol. III. sub num. 60.

27. Tametsi igitur verum indubitatumque sit, pias dispositiones absque civilibus solemnitatibus absolutas in suo robore persistere, et in iure sustineri, nihilominus animadvertendum est, aliter se rem habere, si dubitetur, an pius disponens voluntatis suae propositum ad actum ita perduxerit, ut ad eiusdem substantiam constituendam nihil amplius desideretur. Si quis enim mente sua aliquam instituere piam causam sibi proponat, quantumvis propositi sui retinentissimus ipse sit, quando ob temporis deficientiam, aut aliam quamlibet causam id complere et consummare nequiverit, nihil egit; res enim adhuc erat in via, neque suum terminum attigerat. Itaque in hac hypothesi causae piae institutio corruit non ob defectum solemnitatis, sed ob defectum voluntatis, veluti loquuntur et communiter docent doctores, inter quos de Luca *de testamentis Disc. 12. ac seq.*, qui *Disc. 13. num. 18.* addit, non posse in hac rerum specie generalem normam constitui, namque « decisio (sic idem) pendet ex singu- » lorum casuum individuis circumstantiis, prudenti beneque re- » gulato arbitrio ponderandis ad effectum inspiciendi, an vere

» testator devenerit ad actum testandi, eiusque voluntas redacta » sit ad terminum, vel adhuc esset in via, atque in terminis » velleitatis et praeparationis. » Cfr. *Ariminen. Testamenti* per sum. prec. 13. Sept. 1856.

28. Post haec id addimus, penitus explorandum esse, an praeter alia adiuncta in casu, de quo agitur, haec circumstantia concurrat, quod iuxta praesumptam disponentis persuasionem actus fuerit plane completus ac perfectus, necne. Si enim ita se res habeat, ex doctrina Rubei *de testam. cap. 3. n. 218.*, quam sequitur Petra *loc. cit. n. 48.*, actus veluti absolutus ac ad suum plane terminum redactus debet reputari. Et sane; S. Rota in *Dec. 108. Par. VII. Recent.*, cum testator quidam suum testamentum a se subscriptum notario tradidisset, ut illud iuxta leges stipularetur, ac postea stipulari renueret, quin imo subiunxisset: « Discede parumper, nihil aliud facere volo, donec cum domino (marchione) locutus fuerim » cui erat addictus, et in hoc rerum statu vitae lumine destitutus obivisset, nihilominus definivit testamentum ad pias causas ab eo peractum utique sustineri ob hanc rationem, quia testator de actus complemento persuasum sese demonstraverat per haec verba, quae ab eodem pronuntiata fuisse constabat: « Deo gratias; nunc contentus sum, quia res meas composui. »

29. Similiter nuperrime S. C. Episc. et Regul. in allegata *Hortana Delet. hyp.* 29. Feb. 1855. et 29. Maii 1857. pia quaedam mulier notarium arcessiverat, eique dispositionem suam ad piam causam suo ore significaverat; postmodum notarius suam abiit domum, scriptoque dispositionem ipsam redegit: quando tamen ad mulierem testatricem rediit, ut eiusdem subscriptionem reciperet, aliosque actus absolveret, vita functam ipsam reperit. Quoniam vero paulo ante, quam moreretur, alia mulier in testimonium producta hisce verbis parochum allocuta fuerat, testatricem fecisse testamentum, quod ne ipse quidem fecisset, itemque eadem mulier perhibebat, ab ore testatricis sese haec verba audivisse circa testamentariam dispositionem: « Cogitavi, cogitavi, » ac insuper parochus fidem faceret, sibi a testatrice alia verba fuisse addita, quod de suis bonis disposuerat. Sacra Congregatio, semel iterumque re in consultationem vocata ob adversa, quae contra afferebantur, argumenta, denique ad dubium: « An » et quomodo constet de dispositione ad piam causam? Affir-

mative » respondere non dubitavit. Porro tam in ista causa, quam in alia apud S. Rotam discussa palam erat, illud testatoribus persuasum extitisse, quod piae dispositionis actus consummatus iam foret.

30. Postquam de pia dispositione plane absoluta perfectaque constitit, quod huiusce nostrae tractationis veluti fundamentum est, plura inspicienda occurrunt, priusquam partibus ab Episcopo adsumendis locus factus fuisse dicatur. Quamvis omnes piae dispositiones ex maxima parte per ultimam voluntatem peragi soleant, nihilominus non raro fit, ut et per quemlibet alium actum inter vivos peragantur. Quando itaque extra testamentum aliqua pia causa instituitur, vel aliquis designatur, cui eiusdem exsequendae munus imponitur, vel non. Si primum accidit, locum habent ea, quae paulo post de exsecutoribus testamentariis erimus exposituri; si alterum, palam est, generatim et absolute loquendo, illico iuri officioque Episcopi aditum patere ad pii operis exsecutionem procurandam iuxta ea, quae sive in iure canonico, sive civili superius sancita esse vidimus.

31. Si vero pia causa ope testamenti instituta fuerit, tunc iterum distinctio redit, an testator exsecutores eiusdem operis designaverit, necne. Si non designavit, tum pii operis exsequendi munus statim et illico pertinet ad haeredem, duabus exceptis causis, videlicet, quando pium opus captivorum redemptionem, aut alimoniam pauperibus elargiendam respiciat; id enim disertis verbis constitutum fuit in *Authent. Licet. L. 28. cod. De Episc. et cler.*, seu, quae eadem est *Novell. 131. cap. 11.* necnon *L. Nulli 28. cod. l. c.* Congruit Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*, dum cavet, Episcopos omnium piarum dispositionum exsecutores esse in casibus a iure, nempe civili etiam, concessis. Idem docent communiter rerum canonicarum interpretes, inter quos Passerinus ad *6. Decr. cap. Religiosus de Test. n. 32. ad 34.*, Ferraris verbo *Testamentum art. 3. n. 48.*, Layman *Lib. 3. tract. 6. c. 11. n. 4.*, et alii passim.

32. Si vero agatur de aliis quibuslibet piis operibus exsequendis, in primis ad haeredem pertinet auctoris sui mandata rite peragere iuxta textum apertum in *Cap. Nos quidem 3. Cap. Si haeredes 6. et cap.* Tua nobis 17. *de testam.* Idipsum concinunt vulgo doctores, nominatim Passerin. *loc. cit. num 29. ac 30.*, Ferraris *loc. cit. num. 47.*, et alii passim.

33. Quando vero sive in ultima voluntate, sive in actu inter vivos pius donator unum vel plures pii operis exsecutores designaverit, tum pronum est, ad hunc vel hosce primum spectare eiusdem operis exsequendi onus ad textum in *Cap. Ioannes 19. de testam.*, necnon *L. Nulli 28. cod. De Ep. et cler. Nov. 131. cap. 11.*, ideoque hoc in casu Episcopis sese non licet ingerere, nisi in subsidium, ut declaratum fuisse a S. C. Conc. testatur Fagnan. ad *Cap.* Tua nobis *de test. n. 4. ac 5.*, et paulo post confirmabimus *n. 37. et 48.*

34. Tempus quod haeredibus aliisque exsecutoribus relinquitur ad pii donatoris voluntatem exsequendam, communiter ad semestre protenditur. (Passerin. *loc. cit. num. 54.*, Barbosa *De off. et pot. Ep. alleg. 82. n. 17.*, Fagnan. ad *Cap.* Nos quidem *3. de testam. num. 7.*). Id autem ita accipiendum est, ut, hoc volvente semestri, liceat quidem Episcopis instare penes exsecutores, ut pia dispositio exsecutioni mandetur, non tamen, generaliter loquendo, ad eos devolvitur ius pias voluntates per se exsequendi, nisi semestre exspiraverit. Dixi *generaliter loquendo;* nam si, volvente semestri, Episcopus exsecutores rite monuerit, ut piam voluntatem exsequantur, iterumque moniti adhuc in sua negligentia perseverent, post binam hanc monitionem, tradit Passerinus *loc. cit. n. 64.*, Fagnan. ad *Cap.* Tua nobis *n. 10.*, Barbosa *loc. cit. num. 24.*, posse eum exsecutores ipsos demandato ministerio privare.

35. Caeterum, quae requirantur, ut, data exsecutorum negligentia, ad Episcopum eorum vices supplendi munus devolvatur, enucleatim exponit Passerinus *loc. cit. a n. 58. et sequen.* Praecipua vero conditio est, ut exsecutor mandatum a pio donatore acceptum rite susceperit ad textum in *Cap. Ioannes 19. de testam.* Neque enim quis ordinarie adstringi potest, ut onus exsecutoris suscipiat, utpote quod est mere voluntarium ex communi sententia, Passerinus *loc. cit. n. 37. ac sequen.*, Ferraris verbo *Testamentum* art. 3. n. 62. ac 63., ac doctores passim ad *Cap. Ioannes 19. de testam.* Quando vero quis mandatum exsecutionis acceptasse dicendus sit, diligenter explicat Passerinus *loc. cit. n. 45.*, qui praeter alios super huiusmodi controversiis de piarum dispositionum exsecutoribus consuli potest, quippe qui singulari diligentia in hoc argumento enucleando usus est. Altera etiam non minoris momenti conditio est, videlicet, ut praecedat

monitio ab Episcopo facienda: haec enim diserte in textibus tam iuris civilis, quam canonici huc pertinentibus praescribitur; quae tamen hoc in casu una sufficit ex doctoribus, qui modo allegati sunt, cum binae monitionis necessitatem ante sex mensium exitum adstruebamus. Digna est, quae in hoc argumento consulatur S. Rota *Romana in decis. 13. coram Ratto,* in qua iuris principia, quae hucusque a nobis exposita sunt, magistraliter, ut aiunt, discussa, et gravi eiusdem sacri Ordinis sententia confirmata fuerunt.

36. Pio donatori licitum est uni vel pluribus exsecutoribus a se designatis alterum vel plures substituere, si primus vel primi nequeant vel detrectent aut negligant piam suam voluntatem exsecutioni committere, quo in casu tunc ad Episcopum devolutio fiet, cum exsecutores tam primo, quam secundo renuntiati exsequi nequeant vel detrectent aut negligant. (Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. XIII. cap. ult. n. 1. in medio,* iuxta doctrinam a Fagnano praesertim traditam in Cap. *Tua nobis de testam. n. 3.*).

37. Non licet tamen pio donatori praeceptum facere, ut nullimode Episcopus in negotio piae suae voluntatis exsequendae sese immisceat. Namque perspicuis verbis in Cap. *Tua nobis* cavetur, quod in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici. Vide Bened. XIV. *loc. cit.* et communiter doctores.

38. Haec sunt generalia canonici iuris principia, quibus inhaerere debent Episcopi, quandocumque de curanda fideli piarum voluntatum satisfactione agatur. Iis nimirum se quoque ad amussim conformat S. C. Conc. in controversiis diiudicandis, quae hoc in rerum genere eidem definiendae proponuntur, veluti colligitur ex declarationibus, quas modo afferemus.

39. Cum pias defunctorum voluntates sancte religioseque servandas esse omnia iura clament, et in piorum operum implemento Episcopis partem tantummodo subsidiariam reservent (quando videlicet adsunt haeredes vel exsecutores a pio disponente designati), hinc sancta Sedes firmos omnino in administratorum munere voluit, quos testator ipse designaverit; etiamsi ex causa praecidendi lites exortas testamentariae dispositionis variatio expeteretur. Id porro videre est in *Romana* 21. Maii 1757., penes S. C. Conc. confirmata die 28. Ianuarii anni sequentis, ubi, cum

Iulius Selvaggi administrationem cuiusdam legati pii ab ipso relicti commisisset Praefecto domus Patrum ministrantium infirmis, ac deinde ipsius haeres Antamorius concordiam cum ipso Praefecto inivisset, qua praeter cetera depactum fuerat, ut ipse eiusque haeredes in infinitum legati pii administrationem retinerent, proposito dubio: « An sit approbanda concordia in casu? » responsum prodiit: « Negative. »

40. Luculentius sancita reperiuntur in quadam *Eugubina* 12. Aug. 1758. Nam quamvis S. C. C. septennio ante sub die 31. Iulii facultatem Episcopo dedisset eligendi per se administratorem contra legem testamenti, in quo municipii Schiggiae Prior, seu Syndacus expressis verbis nominatus fuerat, attamen eadem S. C., melius edocta de fideli Syndacorum procuratione, ad dubium: « An administratio haereditatis Vitalis Angeli spectet ad Priores » quotannis eligendos a communitate Schiggiae ad formam testa- » menti, sive potius ab Episcopo, ita ut sit standum vel rece- » dendum a decisis in casu? » respondit: « Praevio recessu a » decisis, affirmative ad primam partem negative ad secundam. »

41. Quin imo ita firmiter S. C. voluntati testatorum inhaesit, ut observantiam testatoris voluntati contrariam, tametsi a limine fundationis inchoatam, servari minime voluerit, ut in *Ferrarien.* 15. Sept. 1787., ubi, cum haeredes ac successores Romani Boari contra istius voluntatem administrationem legatorum piorum, quae ille anno 1678. reliquerat, credidissent personis alienis, potius quam Ang. ac Franc. Cavallini, descendentibus Algarotti a testatore designatis, ad secundum dubium: « An et quomodo sint » adimplenda pia onera (inter quae Missarum celebrationis onus » recensebatur) ordinata a Romano Boari in casu? » responsum dedit: « Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi », cuius opinio fuerat « de eligendis duabus personis a Romano Boari in testa- » mento praescriptis, qui bona perpetuo administrarent. »

42. Non raro fit, ut testatores in administratorem vel administratores nominent aliquam personam, vel personas in certo officio constitutas, veluti ex. gr. parochum alicuius paroeciae, vel praesides alicuius sodalitatis in perpetuum. Cum vero, ut supra statuimus, nemo ad suscipiendum exsecutionis testamentariae munus adigi possit, nonnunquam contingit, ut tractu temporis una vel altera ex illis personis onus a testatore impositum in se suscipere nolit. Hoc in casu S. C. censuit ad Episcopum pertinere

alium administratorem substituere, ita tamen, ut, mortua persona, quae in officio constituta pro tempore reperitur, testamentariae dispositionis observantia ad amussim restituatur. Et sane, in *Faventina Administrationis pii relicti* 29. Ianuarii 1848., cum administratio pii legati Sangiorgi (cuius una pars in Missarum celebratione posita erat) a parochis et rectoribus S. Salvatoris et S. Bartholomaei exsecutoribus in perpetuum deputatis, ob decretum Gallici imperii, avocata fuisset ad Congregationem Charitatis, Pontificio gubernio restituto, disceptatum fuit inter parochos et administratores instituti a Beneficentia nuncupati, ad quod a Congregatione Charitatis pium Sangiorgi legatum translatum fuerat, cui competeret eiusdem legati administratio, S. C. praesentes parochos iure administrandi decidisse, et administratores ipsis substitutos ineptos et inhabiles esse ex una parte perspiciens, et ex alia defuncti voluntatem inviolatam servari volens rescripsit, providendum esse administrationi, et Episcopum uti debere iure suo ad formam sacrorum canonum, *reservato in posterum iure parochorum iuxta mentem testatoris.*

43. Idipsum iam declaraverat S. C. Episc. et Regul. in *Firmana, Admin. leg. pii* 17. Sept. 1842., in qua, postulantibus parochis S. Zenonis et S. Petri (quibus legati pii cuiusdam administratio et exsecutio, utpote parochiam S. Zenonis et S. Petri obtinentibus, testator ipse reliquerat), ut a resumenda administratione eiusdem pii legati eximerentur, quam, volvente tempore Gallicae perturbationis, dimiserant, annuere autumavit, addita clausula: *reservato in posterum iure parochorum iuxta mentem testatoris.*

44. Si quando vero accidit, ut testator alicui vel aliquibus e certo personarum coetu ius reliquerit administratorem nominandi, iidemque nominare renuerent vel negligerent, S. C. Conc. declaravit, ius esse Ordinario alios administratores in renuentium vel differentium locum eligere ac subrogare: id enim cum pluries, tum praesertim in *Forolivien.* 11. Sept. 1784. resolvit, ubi ad *dub. 20.:* « An, renuente vel differente communitate dictum ad» ministratorem (S. Peregrini) eligere, valeat Ordinarius illum » eligere ac deputare ex officio atque independenter a commu» nitate? » responsum fuit: « Affirmative et amplius. »

45. Neque secus dicendum est, quando onera Missarum a testatore adfixa fuerint capellaniis mere laicalibus, quae legatis

piis communiter aequiparantur. Porro nemo nescit, huiusmodi capellanias in pluribus rebus pari passu procedere cum capellaniis ecclesiasticis, quae sunt vera beneficia: sic ex. gr. in utrisque ex lege fundatorum designari queunt personae, quae patronatu activo, vel passivo gaudeant, itemque praescribi solet saepenumero, ut capellani eligendi certis quibusdam qualitatibus praediti sint, ut capellaniam assequantur. Iamvero in capellaniis ecclesiasticis, si patroni capellanum nominare negligant, per sacros canones cautum iam est, ut quadrimestri vel semestri tempore inutiliter elapso, ius nominandi ad ordinarium collatorem devolvatur. At vero haec iura aptari nequeunt capellaniis mere laicalibus. (Piton. *Disc. ecc. 22. num. 40. et seq.*, Fagnan. *de iur. patr. Part. III. can. un. cas. 1. n. 30.*, Rota Rom. in *Pampilon.* 25. Maii 1646. *coram Corrado*). Nihilominus Episcopus iuribus innixus, quibus utimur circa fidelem piorum legatorum satisfactionem, si patronus capellanum nominare negligat, potest ipse interim capellaniae administratorem deputare. Ita enim novissime decrevit S. Congr. Episc. et Regul. in *Mandelen. Capellaniae* 10. April. 1854., in qua cum patroni capellaniae non solum bona administrare, sibique vindicare ausi essent, sed etiam diu capellanum eligere neglexissent, idem sacer Ordo *ad 2.* declaravit, sustineri decretum Episcopi, quo administratorem capellaniae deputaverat, et patronis interdixerat, ne ad capellaniae fundum amplius accederent. Itemque *ad 3.*, ubi quaerebatur, quomodo providendum esset in futurum, sacer Ordo respondit: « Ordina» rius utatur iure suo quoad deputationem novi administratoris » usque ad nominationem novi capellani. »

46. Quin etiam si patronus in iisdem capellaniis mere laicalibus negligat nominare rectorem, monitusque in sua negligentia perseveret, Episcopo nihil obstabit, quominus iuxta ea, quae supra statuimus, ad capellani nominationem devenire possit. Id confirmari potest exemplo confraternitatum, in quibus statutum est, ut, si post tertium scrutinium, gubernatores et officiales non consentiant in capellanorum deputatione peragenda, ad Episcopum ius deputandi capellanum devolvatur, veluti expresse resolutum fuit in *Senogallien.* 4. Iunii 1701. *(lib. decis. 51. pag. 306.)*. Hanc rem aliqui doctores confirmant exemplo pauperum, quibus testator subsidium aliquod largiendum reliquerit; nam electoribus a fundatore nominatis id facere renuentibus vel negligentibus,

ius eligendi pauperes ad subsidium accipiendum a Praelatis transit ad Episcopum, prouti communem ac veram sententiam esse tradit Passerinus *loc. cit. num. 73.*, Barbosa *loc. cit. num. 25.* De capellaniis laicalibus vide vol. III. num. 61.

47. Interdictum a testatore factum, ne Episcopus in exsecutionem suae voluntatis sese immisceat, minime sustineri supra innuimus; at vero id ita accipiendum est, ut nequeat Episcopus exsecutioni eiusdem piae voluntatis manum apponere, nisi in casu negligentiae exsecutorum, qui a testatore designati fuerint. Id enim pluries resolvit S. C. Conc., et Fagnanus in *Cap.* Tua nobis *de test. n. 15. ac 16.* duas in hanc rem affert declarationes. Quibus et aliae addi possunt recentioris aevi, quas hic attexere operae pretium ducimus. In *Civitatis Plebis* diei 10. Decembr. 1695. (ita Monacellus *Form. leg. tit. 1. form. 14. n. 5.*). S. C. Visit. resolvit, Episcopum tamquam exsecutorem omnium legatorum piorum posse ad formam *Cap.* Tua nobis *de testam.* cogere administratores ad exsequendam et ad implendam testatoris voluntatem, etiamsi excluderetur in testamento his verbis: « Ne Rm̃us Episcopus ciusve Vicarius ullo prorsus modo... sese » immiscere possint, sive ad exsecutionem... sive ad alium quem- » libet effectum circa res, quae in praesenti dispositione conti- » nentur, sed totum ab eius iurisdictione exemptum sit.... ut » dictus donator expresse hisce declaret se fecisse ac facere velle » donationem, secus, si isti sese ingerere possent, se facturum non » fuisse. » Praeterea in folio S. C. C. *Nepesin. Legati pii* 26. Martii 1831. §. *At si* relata legitur eadem causa *Civitatis Plebis (lib. 45. decret. ad ann. 1696.)* cum additione clausulae « data tamen su- » spicione negligentiae administratorum et exsecutorum in adim- » plenda testatorum voluntate. » Idipsum confirmatum fuit in eadem *Nepesina ad 1. dub.*

48. Novissime in *Bononien. Reddit. rat. et ben. apl.* 5. Martii 1839. Franciscus Pisarri Bononien. pio operi nuncupato *Verecundorum* suam haereditatem reliquerat, edixeratque, ne ulla potestas sive civilis, sive ecclesiastica in hanc suam piam dispositionem sese immisceret, et, si secus actum esset, procuratores gubernatoresque eiusdem operis, quos suae voluntatis exsecutores iam designaverat, uti liberos omnium bonorum haeredes suis disertis verbis scripsit ac pronuntiavit. Itaque in eadem S. C. proposito dubio: « An et quomodo administratores pii operis Vere-

» cundorum teneantur rationem reddere haereditatis Pisarri Bo-
» noniensi Archiepiscopo? » Emi Patres rescripserunt: « Negative,
» salvo iure (quae clausula ad rem nostram facit) Emi Archie-
» piscopi in casu negligentiae administratorum in adimplenda
» testatoris voluntate. »

49. Denique ne quid gravioris momenti in hac materia silentio praetereamus, adnotare non omittimus ea omnia, quae de Episcopis hactenus super iure officioque curandae fidelis legatorum piorum satisfactionis exposita sunt, comprehendere etiam tum Praelatos inferiores, habentes territorium separatum et iurisdictionem in dioecesi sibi adsignata, tum ipsos Vicarios Capitulares, veluti tradunt communiter Doctores, inter quos Bened. XIV. allegare sufficiat *de Synod. dioec. lib. XIII. cap. ult. n. 2.*, qui singulariter de legato Missarum quoad Vicarium Capitularem ita tradit: « Cum vacasset Milevitana ecclesia, voluissetque Vicarius
» Capitularis ad instantiam procuratoris fiscalis aggredi examen
» implementi oneris Missarum, excitata controversia, an id ab
» eo praestari iure potuisset, Congregatio Conc. rescripsit, Vica-
» rium Capitularem non potuisse modo, sed debuisse etiam ex
» officio huiusmodi investigationem assumere; quemadmodum
» videre est ex resolutione edita 15. Apr. 1684., cum Vicarius
» Capitularis, vacante sede, succedat in omnem iurisdictionem,
» quae *iure ordinario* Episcopo competit, uti etiam firmatum fuit
» in *sup. lib. II. cap. 9.* »

### Art. III. De acceptatione legati Missarum.

Summarium. 50. Legata pia acceptari non possunt sine licentia in scriptis gratis concedenda ab Ordinario, vel Provinciali sub certis poenis. Bona adsignanda oneribus respondere debent. – 51. Huiusmodi licentia requiritur etiam in erectione capellaniarum laicalium. – 52. Inscriptio hypothecaria in piorum onerum securitatem capienda est, praesertim in ditione Pontificia. – 53. Cui incumbat petere licentiam acceptandi legata pia. – 54. Si tamen haec licentia petita non fuerit, non idcirco acceptatio et nulla, ac non obligat. – 55. At integrum est Ordinario acceptationem rescindere. – 56. Si bona pro Missis relicta consistant in pecunia, deponi debent ad hoc, ut in bonis stabilibus collocentur. Depositum fieri debet etiam tum, cum forte rite bona onerata alienantur. – 57. Hoc in casu Missae non celebrantur, donec investimentum peractum non fuerit. – 58. Animalia relicta pro Missarum legato alienari

debent, et pecunia debet investiri. – 59. Legatum relictum beneficio acceptari iussit S. C., etiamsi beneficiatus acceptare noluisset. – 60. Pecunia pro onere Missarum in census converti non potest, quamvis hi generatim bonis stabilibus accenseantur. – 61. Nam S. C. Conc. declaravit, census ad effectum investiendi pro Missis non reputari inter bona stabilia. – 62. Itaque S. C. assignationem in censibus improbavit in *Policastren.* – 63. Et in *Burgi S. Domnini* rescripsit pro beneficiis et capellaniis stabilia haereditatis bona, minime vero eorum fructus esse assignandos pro Missarum eleemosyna, et pro expensis necessariis. Erectionem autem faciendam esse expensis haeredis. – 64. Et in *Firmana* iussit, pro Missa quotidiana fundum constituendum in bonis stabilibus. – 65. In *Camerinen.* concessit, posse alienari praediola nonnulla, et pretium investiendum in bonis stabilibus, et in defectu in censibus cum piis locis, vel communitatibus. – 66. 67. Idem definivit in *Asculana* et *Romana.* – 68. Investimentum fieri nequit in locis montium. – 69. Et multo minus in acquisitione schedarum vulgo *di consolidato.*

50. Ut fidelis onerum Missarum satisfactio apprime persolvi possit, illud necesse est, ut ab initio dos pro fundatione relicta recte constituatur, ac perpetuo iuxta leges salva sit et illaesa. Id autem Episcopi nullatenus assequi poterunt, nisi potissimum bona a fundatore adsignata, cuius ex fructibus pia onera impleri debeant, oneribus perferendis suppetant, et in tuto posita sint. Itaque providentissima sua praescriptione Urbanus VIII. et Innocent. XII. in decretis de celeb. Miss. (quae dabimus infra in appendice ad hanc §. 1.) prohibuerunt §. *VIII.* singulis ecclesiarum locorumque piorum Superioribus: « ne in posterum onera » perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi, vel eius Vicarii Generalis, Regulares vero » sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis » et gratis concedenda » adiectis contra violatores certis poenis. Insuper §. *X.* additur, ut « Episcopus, seu eius Vicarius, aut Ge» neralis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus » fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de » singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique eccle» siae, monasterio, aut loco pio incumbentibus. » Denique cavetur, ne antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, « illius sacerdotes tam novo oneri » suscipiendo quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, prae» cipuamque rationem habeant, ut reditus, qui ecclesiis et locis

» piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis se-
» cundum morem cuiusque civitatis vel provinciae. »

51. Huiusmodi examen et acceptatio ab episcopali curia interponenda cum tam gravissime in Missarum oneribus excipiendis requiratur, nefas plane est, praetermittere in fundatione capellaniarum laicalium, quas cum legatis piis aequiparari modo monuimus. Iamvero hic acceptationis actus toto coelo differt a decreto erectionis, quod in capellaniarum ecclesiasticarum erectione intercedere debet, cuius vi capellaniae veluti beneficia in omnibus habentur ac sunt. Per hoc enim decretum bona in dotem capellaniae adsignata, ecclesiastica efficiuntur, adeoque legibus bona ecclesiastica afficientibus obnoxia sunt. At per eum, quem diximus, acceptationis actum laicales capellaniae laicam suam retinent qualitatem, eiusque bona (si loco pio ecclesiastica auctoritate erecto non aggregentur) ecclesiasticam naturam nequaquam induunt.

52. Praeterea per haec tempora, quibus invecta est ratio publicae hypothecae inscribendi, tam S. C. Conc., quam S. C. Episc. et Regul. illud etiam ex constanti disciplina praescribit, ut, si bona, quibus inhaeret legatorum piorum onus, ecclesiae vel pio loco tradita non fuerint, sed penes haeredes, vel alias quascumque personas remaneant, rite hypotheca pro cavendo pii legati implemento suscipiatur. Idque Episcopis per ecclesiarum et piorum locorum administratores praestandum est non solum in actu fundationis, sed etiam postea, si modo hypothecaria inscriptio fortasse neglecta fuerit; etenim utraque S. C. quotiescumque negotium aliquod super hisce legatis piis, laicisque capellaniis disceptandum adsumit, si videat, bona piis oneribus praegravata inscriptione hypothecaria in horum cautionem carere, illud semper praecipit, ut quamprimum in hypothecariis tabulis inscriptio capiatur. Harum praescriptionum exempla plurima possemus afferre, quae brevitatis ergo praetermittimus. In ditione Pontificia iuxta pragmaticam rationem a s. m. Gregorio XVI. vulgo *regolamento legis. e giud.* §. *136.* si legatorum piorum administratores inscriptionem hypothecariam neglexerint, in poenam incidunt remotionis ab officio et emendationis damnorum, ac tenentur ad id quod interest.

53. Licentia pro acceptandis oneribus Missarum iuxta memorata decreta peti ac recipi debet ab officialibus, rectoribus et

Capitulis ecclesiarum saecularium in scriptis sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, utpote monuimus, quin aliquid proficiat quaecumque consuetudo in contrarium invecta. (S. C. Conc. in *Vicen.* 15. Apr. 1690. apud Monacel. *Tit. 6. form. 9. n. 4. P. 1.*).

54. Verum si ecclesia, Capitulum vel confraternitas iniunctum Missarum perpetuarum onus absque petita Episcopi licentia acceptaverint, adhuc acceptio esset valida et ad implementum obligaret, quia decreta Urbani VIII. clausula irritante munita non sunt; et ita declaratum fuisse a S. C. Conc. 16. Ianuar. 1664. refert Pignat. *Consult. 222. circa fin. tom. 4.* apud Monacellum *l. c.*

55. At vero integrum est Ordinario acceptationem rescindere, et reipsa non ita pridem in *Assisien. Sup. pio rel., et conc.* diei 17. Maii 1861. S. C. Episc. et Regul. acceptationem cuiusdam legati a deputato loci pii sine licentia Episcopi nonnullis ante annis peractam et in loci pii libros relatam, etiamsi Episcopum hac de re saltem inscium non fuisse colligeretur, nullatenus comprobandam esse respondit ex eo, quod detrimentum potius quam utilitas, aut saltem non paucae difficultates ac lites ex ea acceptatione non sine causa praetimerentur.

56. In saepe memoratis decretis *de celebr. Miss.* §. *VI.* statuitur atque decernitur, « ut pecunia ac bona mobilia ecclesiis, » Capitulis.... ac locis omnibus tam saecularibus, quam regulari- » bus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda » cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos » pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto » incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant » penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, » ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi » in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua men- » tione oneris, quod illis annexum reperitur. » Quinimo (§. VII.) « si haec bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari » contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra, de- » poni atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eius- » dem oneris repetitione atque annexione converti debent. »

57. Ex huiusmodi sanctione haud pauca animadversione digna profluunt, quae diligenter exponere operae pretium duco. In primis, si legatum relictum cum onere Missarum consistat in pecunia, quae in capsa retineatur a legantis haerede, adhuc sol-

venda, donec pecunia in bonis frugiferis rite non collocetur, ecclesia, sive alius locus pius, cui Missarum onus iniunctum sit, non tenetur, ex propriis reditibus celebrationem Missarum supplere, veluti definitum fuisse a S. C. Conc. 15. Septemb. 1657. testatur Nicol. *Lucub. can. in add. ad Flosc. verbo* Missa *n. 10. v. Si vero,* apud Monacell. *Form. leg. tit. 6. form. 9. n. 1. P. I.*

58. Si vero legatum Missarum in animalibus consisteret, haec alienari debent, eorumque pretium in bonis stabilibus itidem collocandum est, et a S. C. Imm. in *Montis Pessul.* 16. Apr. 1652. *(lib. 4. decret. fol. 180. a tergo)* idem declaratum fuisse testatur Monacell. *loc. cit. n. 3.*

59. Singularis nuperrime casus accidit, ut privatus homo plurimas arbores (vulgo *albereta*) possideret, quae in praedio rustico implantatae fuerant, quod proprium erat cuiusdam praebendae canonicalis (1). Hasce arbores homo ille huic eidem praebendae testamento reliquerat, addito onere unius Missae quotannis a canonico celebrandae. Canonicus autem cum arbores inter bona stabilia recenseri non debere autumaret, ad legati acceptationem devenire nolebat; re itaque ad S. C. Episc. et Regul. delata, Emi Patres legatum acceptandum esse iudicaverunt, etiamsi canonicus suum assensum denegare persisteret: ita in *Firmana Leg. pii* 26. Mart. 1858.

60. Quoniam pecuniariam legatorum Missarum sortem in bonis stabilibus collocandam esse demonstratum fuit, oritur quaestio, an eam in census convertere, hoc est investire liceat? Proprium est legati Missarum, ut census, cum ad formam celebratae Constitutionis S. Pii V. creati fuerint, inter bona stabilia connumerentur, ac veniant appellatione bonorum immobilium (Ferraris verbo *Missae sacrific. art. 2. n. 24.,* ubi plurimae a Iure canonico, S. Rota, ac doctoribus allegationes ad hanc rem confirmandam afferuntur); nihilominus, quando agitur de pecunia legata pro celebratione Missarum, item de pecunia ex legato in eamdem causam relicto retrahenda ex alienatione fundi eo pertinentis,

---

(1) Quomodo accidisset, ut homo ille privatus in fundo canonicali arbores inserere posset, earumque proprietatem sibi conservare, ex actis non colligitur. Res tamen uti pacifica ponebatur. Id fortasse oriebatur ex quodam contractu, qui italice dicitur *a miglioria,* in quo fundus alicui datur meliorandus, et communiter usufruendus, addito pacto, ut si contractus dissolvatur, meliorationes ad melioratorem pertineant, et a domino, soluto pretio, comparari emique possint.

S. C. C. non approbat, quod ea pecunia in census convertatur. (Ferraris *loc. cit.*).

61. Et sane in *Fundana* 28. Feb. 1654. *(lib. 19. decret. pag. 319.)* edixit: « census non reputari bona stabilia ad effectum » investiendi pro celebratione Missarum, » nisi in casu aliquo speciali, ut si stabilia non reperiantur post adhibitas diligentias, ut permissum fuit post pestem in civitate Neapolis in *Neapolitana* 13. Augusti 1658., apud Petram *ad Constit. V. Pauli II. sect. 5. n. 18. tom. 5.* Et ad dubium generale: « An sit permit- » tendum investimentum in censibus? » S. C. respondit: « Recur- » rendum esse ad S. C. in casibus particularibus, » ut in cit. *Fundana*, et item *Signin.* 2. Dec. 1645., et tunc conceditur cum cautelis, quod census sint tuti, et aliquoties cum fideiussione et aliis cautelis, (S. C. C. in *Tarentin.* 2. Augusti 1671.), et in permutatione domus cum censu, adiecto pacto regressus, ac promissione perpetua exigibilitatis (*Ferentina* 8. Aug. 1693. et 12. Maii 1707.), quod pactum in quibuscumque permutationibus apponitur; et si investimentum non demandetur unico alienationis contextu, clausula apponitur, ut pecunia in publica aede sacra deponatur, ut ait Petra *loc. cit.*, quem exscribit Ferraris *loc. cit.*

62. Post haec recentiores hac super re editas declarationes ordine referimus. In *Policastren.* diei 17. Augusti 1726. tria dubia proposita fuerunt, nempe: « 1. An sustineatur novum assigna- » mentum (quod in censibus peractum fuerat) subrogationis ca- » pitalium in locum bonorum stabilium in casu? » Et quatenus negative, « 2. An sit locus novo assignamento? » Et quatenus affirmative, « 3. Super quibus bonis, et quomodo sit faciendum? » S. C. respondit: « Ad primum: Negative. Ad secundum: Negative, » et esse manutenendam assignationem factam ab Episcopo de » Rosa, reservato iure capellano agendi super bonis haereditа- » riis in casu deficientiae bonorum assignatorum, prout de iure. » Ad tertium: Provisum in praecedentibus et amplius. »

63. In *Burgi S. Domnini* 30. April. 1729. haec dubia disceptata fuerunt: « 1. An pro dote beneficiorum vel capellaniarum » cum perpetuo onere Missarum erigendarum sint assignandi fru- » ctus terrarum fructiferarum, vel potius annui census? 2. An » dato praecepto testatoris erigendi beneficia cum perpetuo onere » Missarum erigendarum sint assignandi fructus terrarum, vel » cum dote pecuniae numeratae detur pro assignanda dicta dote

» electio terrarum? vel quatenus Negative, 3. An tanta danda » sit ab haerede summa pecuniarum, ut in terrenis investita, » constituantur fructus congrui pro sustentatione onerum Missae » quotidianae in perpetuum? 4. An et in qua summa constituendi » sint fructus pro sustentatione oneris Missae quotidianae in » perpetuum? 5. An et cuius expensis, haeredis scilicet, vel le- » gatarii facienda sit erectio beneficiorum? » Hisce dubiis conglobatim S. Cong. respondit: « Assignanda esse tot bona stabilia » haereditaria, quae aestimata iuxta morem regionis quotannis » redderent in fructu annua scutata 70 monetae Romanae, tam » pro eleemosyna Missarum, quam pro expensis necessariis pro » illarum celebratione, et erectionem esse faciendam expensis » haeredis. »

64. In *Firmana Oner. Miss.* 23. Iun. 1764. sub hac dubii formula proposita controversia fuit: « An et quomodo fundus ca- » pellaniae quotidianae sit constituendus in bonis stabilibus va- » loris scut. 500, sive in censibus in casu? » Sacer Ordo rescripsit: « Affirmative, et constituendum esse certum fundum capel- » laniae in bonis stabilibus. »

65. In *Camerinen.* 24. Nov. 1787. dubium expensum fuit: « An concedenda sit facultas alienandi praediola, de quibus agi- » tur, et quomodo investiendum sit eorum pretium in casu? » S. Congreg. respondit: « Affirmative, praevia affixione edictorum » favore maioris oblatoris, et pretium esse investiendum in bonis » stabilibus, et in eorum defectu etiam in censibus cum locis » piis et communitatibus. »

66. In *Asculana* 21. Iun. 1788. dubiis subiectis: « 1. An sit » locus venditioni domus? » et quatenus Affirmative, « 2. An in- » vestiendum sit eius pretium in stabilibus, seu potius in censi- » bus, ita ut sit consulendum SSmo pro commutatione voluntа- » tis? » Eadem S. C. respondit: « Ad primum: Affirmative iuxta » votum Episcopi. Ad secundum: Affirmative ad primam partem, » Negative ad secundam. »

67. Tandem in *Romana* 5. Iun. 1790., concinnato dubio: « An » et quomodo fieri debeat investimentum in casu? » S. C. respondit: « Affirmative in censibus cum locis piis et communitatibus » Status ecclesiastici. »

68. Quod si absque Sedis Apostolicae auctoritate bona ad Missarum onus pertinentia in censibus impendi nequeunt, multo

minus eadem in loca Montium coemenda erogare licitum erit, quae praesertim in alma Urbe quondam tanto erant in usu. Quamvis eadem loca Montium ad omnes iuris effectus pro stabilibus reputantur, Pacif. *de Salvian. inspec. 3. c. 2. n. 650.*, Card. de Luca *de Regal. disc. 143. n. 2.*, Evangelist. *de locis mont. cap. 16. n. 34.*, quos citat folium in praedicta causa *Romana* §. *Quaeritur*, nihilominus cum sodales sodalitii SS. Angelorum Custodum Urbis scutata bis centum in Missarum celebrationem a Maria de Rubeis relicta in locorum Montium coemptionem convertere sibi proposuissent, ac idcirco in eadem *Romana* S. C. Conc. consultassent, Emi Patres eorum voto obsecuti non sunt, sed potius in census cum locis piis aut communitatibus ecclesiasticae Ditionis eam summam collocari iusserunt.

69. Haec idcirco etiam specialiter adnotavimus, ut exinde quisque possit agnoscere, quod pecunia Missarum legata constituens multo minus impendi debeat in emptionem schedarum, vulgo *del consolidato* o *debito publico*, seu quocumque alio nomine nuncupentur schedae istae, quibus emptor ab ipso publico aerario creditum, sive ius sibi acquirit, ut quotannis certum exigat reditum, scutorum (puta) quinque in quaelibet centena scutata, quae persolvisse legitur in schedis, seu re, seu nomine persolverit. Et sane quotidiana experientia docet, apud S. C. Episc. et Regul. facultatem ab Episcopis, vel administratoribus locorum piorum expostulari, ut pecuniae ad loca pia spectantes non solum ad celebrationem Missarum, sed et ad alia quaecumque opera pia destinatae in comparationem huiusmodi schedarum erogari valeant, quas facultates, nonnisi, opportunis adiectis clausulis, eadem S. C. impertiri solet: difficillime vero, et accedentibus gravissimis causis annuit, quando agitur de pecunia pro celebratione Missarum collocanda.

### Art. IV. De piarum voluntatum commutatione.

Summarium. 70. Nonnunquam aliqua modificatio facienda est testatorum voluntatis, ne pia dispositio ex omni parte corruat. – 71. Quomodo intelligendum sit decretum Conc. Trid., quo Episcopis pias voluntates commutandi facultas tribui videtur. – 72. S. C. Conc., necnon S. Rotae sententia est constans atque perpetua, quod commutationes ab Episcopis factae nullae sint. – 73. Idipsum disertis verbis edixit Urbanus VIII. in decreto de *celebr. Miss.* – 74. Apostolica Sedes defuncto-

rum voluntates commutare non solet sine iusta ac rationabili causa. – 75. Quae speciatim sint huiusmodi causae, remissive. – 76. De regula iuris quaesiti non tollendi. Sacrosanctum est iuris axioma, quod nunquam praesumatur, principem in damnum alterius disponere voluisse. – 77. Dicta regula non habet locum in iure incerto et eventuali.

70. Talis est rerum humanarum conditio, ut etiam ea, quae recte constituta sunt, progressu temporis in deterius ruant ac fere perditum eant. Huic malo non raro obnoxiae sunt causae piae; ex quo necessitas oritur, ut aliquando ad eas sustinendas atque servandas aliqua defunctorum voluntati modificatio afferatur. Quamobrem opportunissimum erit, expendere, an id Episcopis efficere licitum sit. Huiusmodi moderatio defunctorum voluntatis commutationem secum semper importat, eoque redigitur, ut plurimum, ad oneris translationem de uno ad alterum locum, vel ad eiusdem imminutionem, seu, vocabulo proprio, reductionem, quae si praeteritum tempus respiciat, absolutioni ac remissioni indulgendae occasionem praebet. De hisce itaque singulatim agendum aggredimur; ac primo de commutatione piarum voluntatum.

71. Statuitur Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*: « In » commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex iusta » et necessaria causa fieri debent, Episcopi tamquam Delegati » Sedis Apostolicae summarie et extraiudicialiter cognoscant, ni- » hil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse nar- » ratum, priusquam commutationes praedictae exsecutioni deman- » dentur. » Hanc Conc. Trid. sanctionem nonnulli male interpretati existimaverunt, Episcopis ex hoc loco datum fuisse, defunctorum voluntatem commutare. At vero si illius loci contextus penitius inspiciatur, manifesto patebit, hoc ibidem poni, quod preces pro voluntate commutanda fuerint iam oblatae, eaeque porro non Episcopis, sed S. Sedi. Iamvero S. Sedes antequam ad commutationem exsequendam deveniat, illud in antecessum requirit, ut Episcopi summarie et extraiudicialiter de causae iustitia ac necessitate cognoscant. Et sane S. C. Conc. in *Comen.* 23. Novembris 1765. §. *Synodus*, postquam praedictum locum exscripsit, hoc addit: « Episcopis ergo in ea sanctione legatam Sedis Apostoli- » cae nomine potestatem dat, qui suam non haberent, cogno- » scendi *de tacita veritate*, vel *suggesta falsitate* in precibus et » quidem *iam datis*, priusquam commutationes, et quidem iam » concessae, exsecutioni demandentur. »

72. Post haec doctorum opinionem adducit edocentium soli Romano Pontifici competere ius defunctorum pias dispositiones commutandi. Dein §. *Sacra* subdit: « S. Congregatio perpetua sua » sententia hanc doctrinam constabilivit. Commutationes volun- » tatum a Sede Apostolica non factas irritas declaravit semper, » eamque assertionem confirmat pluribus resolutionibus ad rem in medium allatis, prouti videre est in paragraphis subsequentibus. Neque aliter sentit ac retinet S. Rotae Romanae tribunal, prouti videri praesertim poterit in *Dec. 49. n. 8. P. XVII. decis. 360. n. 12. P. XVIII. tom. 1. decis. 530. num. 3. decis. 448. num. 2. Par. XIX. tom. 2. Recent.* Hinc commutatio defunctorum voluntatis ab Episcopo facta ex eiusdem S. Rotae sententia non sustinetur *Dec. 290. n. 1. et 12. P. XVII. Recent.*

73. Quid plura? In saepe memorato decreto de *celeb. Miss.* disertis verbis Urbanus VIII. ac Innocentius XII. Episcopis interdicunt, ne Missarum onera mutare audeant, sed ad Apostolicam Sedem hac de re confugium habeant, si secus fiat, « commutatio- » nes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri » contingat, omnino nullas et inanes decernit. »

74. At vero Apostolica Sedes quantumlibet defunctorum voluntates mutandi potestatem obtineat, nihilominus sine iusta et rationabili causa hoc iure uti non solet. Ad rem tradit doctissimus Fargna *de Iur. Patr. P. V. Can. 11. Cas. 4. n. 2.*: « Sed » idem Summus Pontifex, licet de plenitudine potestatis absque » ulla causa, huiusmodi commutationes permittere possit (Fagnan., » Sanchez, Amostaz.), tamen ex summa eius iustitia et aequitate » sine causa iusta ac necessaria commutare, vel derogare testa- » torum voluntatibus non debet, nec solet; » inde est, quod Conc. Trid. *Cap. 6. sess. 22. de Reform.* statuit, quod commutationes ultimarum voluntatum nonnisi ex iusta ac necessaria causa fieri debent.

75. Post haec idem Fargna plures enumerat casus, in quibus cum causae iustae ac necessariae adessent, Pontifex ad voluntatis defunctorum commutationem devenit; cum vero huiusmodi causae deficerent, voluntatis eorumdem derogationem denegavit.

76. Hic non videtur incongruum aliqua de regula *iuris quaesiti non tollendi* subiicere, quandoquidem Apostolica Sedes, licet potestatem habeat cum quaesiti alterius iuris praeiudicio ac detrimento defunctorum voluntates commutare (Fagn. ad *Cap.* Ce-

terum *de Rescript. num. 18. ac 26.*), nihilominus id facere non solet. Hinc est, quod « sacrosanctum (ita de Rubeis *Decis. 217.* » *P. IX. tom. 1. Rec.*) atque inviolabile est hoc iuris axioma, » quod nunquam in dubio praesumendum est, principem in al- » terius damnum vel praeiudicium disponere voluisse. » Ceterum qui huiusmodi argumentum fuse copioseque pertractatum nosse desiderat, adeat prae ceteris laudatum de Rubeis *loc. cit.*, qui nihil desiderandum relinquit; adire poterit etiam clarissimum Fagnan. ad *Cap.* Ceterum *de Rescript.* a principio fere ad plures late numeros.

77. Ut vero huiusmodi regula locum habeat, ius alterius debet esse certum et non eventuale; nam si esset tantummodo incertum et ab eventu rerum dependens, tum regulam huiusmodi attendere non est opus, veluti quotidiana pene docet SS. Congregationum disciplina et tradit Fargna *loc. cit. Cas. III. n. 6.*, cum Cardinalis de Luca *de Testam. dis. 87. num. 4.* §. *Ac etiam*, Rota in *Gerunden. Application.* 14. Iun. 1706. §. Levioris *coram Molines*, S. Congr. Conc. in *Toletana* 7. Maii 1718.

### Art. V. De Missarum reductione, atque etiam de absolutione a praeteritis omissionibus.

Summarium. 78. Facultas reducendi Missas a Conc. Trid. Episcopis concessa coercebatur ad primam Synodum exin celebrandam. Nam ceteroquin eadem Summo Pontifici unice competit. – 79. Episcopi neque in limine fundationis Missas reducere possunt, nisi id expresse a fundatoribus permissum eis fuerit. – 80. Quid sit proprie reductio, remissio, condonatio, absolutio. – 81. 82. Apostolica Sedes non semel Episcopis facultatem concessit, atque etiam concedit, ut Missas reducere possint. – 83. 84. Formula huiusmodi facultatum. – 85. S. C. C. in concedenda reductione et absolutione nonnullas normas observat. – 86. Absolutio non conceditur, nisi ex rationabili causa. Ei, qui Missas omittit sub spe malitiosa absolutionis, absolutio non suffragatur. – 87. Causa rationabilis est omissio sine culpa et redituum tenuitas. – 88. Aliter est, si adhuc supersint reditus sufficientes. – 89. In absolutione impertienda S. Cong. aliquam poenam salutarem imponit. – 90. Extrema paupertas, praesertim si de legatariis consanguineis agitur, est altera rationabilis absolutionis causa. – 91. Paupertas distinguitur a mendicitate. – 92. 93. Paupertas alia absoluta, alia relativa; qualis utraque sit. – 94. Quando et ad quem effectum requiritur paupertas absoluta. – 95. Ad effectum obtinendae absolutionis utique paupertas relativa sufficere potest. – 96. Magnum le-

gatarii aes alienum aliquando causam rationabilem praebet. – 97. Reductioni locus non est, quando universa haereditas gravata fuerit. – 98. Quo casu haeredi non suffragatur, si fundum tradiderit, qui postea defecerit. – 99. Aliter est, si testator certum fundum ad hoc assignaverit, qui imminutus, vel perditus fuerit. – 100. Missarum reductio non conceditur, si non certus fundus, sed certa pecuniae summa ad eum finem legata sit. – 101. Nec si Missarum onus per contractum acceptatum fuerit. – 102. Concessa Episcopo Missas reducendi facultate, non intelligitur concessa facultas reducendi alia onera. Prius anniversaria, quam Missae reducenda sunt. – 103. Idem dicendum de aliis oneribus. – 104. De voto per advocatum de Vecchis elaborato, ex quo firmatur, quae legata *taxative*, quae *demonstrative* concepta intelligantur. – 105. Eleemosyna Missarum in reductione ad manualem taxanda est. – 106. 107. Inculpata redituum imminutio, cum praesertim agitur de fundatoris consanguineis, rationabilis est reductionis causa. Quae causae pro absolutione, eaedem pro reductione obtinenda valere possunt.

78. Non defuerunt, neque fortasse deerunt, qui auctoritate Conc. Tridentini *Sess. 25. cap. 4. de Reform.* male intellecta decepti Episcopis a sancta Synodo potestatem factam reducendi onera Missarum adhuc in suo robore permanere opinentur. Sed perperam: diserte quidem ibidem edicitur, id ab eis praestari posse in Synodo dioecesana, quam videlicet primum post oecumenicum illud Concilium celebraturi essent. Namque S. C. Conc. pluries hanc illi decreto interpretationem accomodavit, et nominatim in *Mediolanen.*, ut legitur *lib. 5. decret. pag. 38.*: « Dubio » per manus delato, ac mature perpenso (S. C.) censuit, facul- » tatem reducendi onera Missarum, tributam Episcopis ex *decret.* » *cap. 4. Sess. 25. de Refor.*, intelligi tantum de prima Synodo » post idem Concilium celebrata, ac de oneribus Missarum cele- » brandarum ante idem Concilium impositis. » Quam quidem interpretationem adeo firmam ac tectam sartamque voluit, ut in *Florentina* 15. Decemb. 1629. *(lib. 14. decret. pag. 206. a terg.)* Secretario S. Cong. mandaverit, « dare hoc decretum omnibus pe- » tentibus absque eo, quod amplius fiat verbum in Congrega- » tione. » Consulatur Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. ult. n. 18.*, ubi haec omnia narrat. Itaque nihil mirum, si in *Decr. de celeb. Miss.* gravissime Episcopis prohibitum fuerit, ne Missas reducere praesumant, et si nihilominus id agere praesumpserint, huiusmodi reductiones irritae plane, et nullius roboris aperte declarentur.

79. Quin imo huiusmodi reductionem peragere non licet Episcopis, nempe ipso in limine fundationis, antequam pia legata hunc in finem relicta agnoscantur et accepta habeantur; definitum enim est ac resolutum, id nefas esse Episcopis, nullamque ipsis hodie relictam esse facultatem Missas reducendi, excepta ea dumtaxat facti specie, qua testator ipse hanc facultatem Episcopo tribuisse dignoscatur; quoniam illius voluntas religiose custodienda est, quemadmodum Bened. XIV. *loc. cit. n. 19. in fine* monet, ubi lectorem ad decreta in hanc rem edita remittit, quae ipse refert in eodem opere *Lib. V. cap. 10. n. 2.*

80. Reductio Missarum ea proprie dicitur, quae futurum tempus respicit, videlicet, qua onera Missarum ad minorem numerum coercentur pro futuro tempore, sive id in perpetuum, sive ad statutum tempus fiat. Itaque ceteri illi casus, qui sub hac definitione non comprehenduntur, reductionem proprie dictam minime praeseferunt: horum casus aliquos recenset Bened. XIV. *loc. cit. n. 9.*, eosque ordinariae Episcoporum potestatis limites non praetergredi animadvertit. Sic ex. gr. si testamentum, in quo Missarum onus praescribitur, nullum sit, non ex defectu solemnitatum, sed ex defectu voluntatis, quia nempe de testatoris voluntate legitime non constiterit, tum una cum testamento corruit Missarum onus, neque reductioni locus est. Idem fit si haeredi probare contingat, bona a testatore adsignata ad ipsum non pertinuisse, adeoque nullum in eisdem onus ab eo imponi potuisse.

Quando reductio ad tempus praeteritum refertur, ac omissam Sacrorum celebrationem importat, tum proprie remissio, condonatio et absolutio nuncupatur, quae proinde non secus ac reductio ordinariam Episcoporum potestatem excedit, et ad Summum Pontificem pertinet.

81. Haec porro Apostolicae Sedis praerogativa mirum quantum negotiorum mole S. C. Conc. nullo non tempore gravavit et obruit. Qua de re non semel id consilii capere coacta est, ut specialem Episcopis aliquibus potestatem faceret huiusmodi Missas reducendi. Id praesertim evenit in Conc. Romano anni 1725., in quo singulis Episcopis ibi vel per se, vel per procuratorem assidentibus illud elargita est, ut Missarum legata iuxta Instructionem ibidem traditam imminuere permitterentur. Vide dictum Conc. Rom. *Tit. XV. cap. 8.* Quae quidem facultas ad alios etiam

Episcopos extra Conc. Rom. idipsum postulantes extensa fuit, teste Bened. XIV. *loc. cit. n. 21. in fin.*

82. Neque sequiori aevo S. C. Conc. eamdem indulgentiam aliis singulatim Episcopis adhibere desiit; praesertim recentiori tempore, postquam notissimae rerum sacrarum et civilium vicissitudines extremo saeculo decimo octavo, ac ineunte hoc saeculo decimonono per omnia Europae regna christianam rempublicam divexantes, Ecclesiae patrimonio tot ac tanta detrimenta exitiaque attulerunt. Hisce etiam temporibus, praesertim quando agitur de Episcopis extra Italiam, et aequae ac iustae causae intercedunt, ad statutum tempus eadem S. C. facultatem facit, ut onera pia Missarum propriae dioecesis iuxta consuetas normas reducere possint ac valeant, unaque eos, qui eadem onera adimplere tenebantur, ex minori vel maiori parte pro varietate circumstantiarum absolvere queant. Formulam in huiusmodi casibus adhiberi solitam damus hic, veluti sequitur:

83. « SSmus D. N., audita relatione infrascripti Secretarii S. C. » Conc., Episcopi oratoris precibus benigne annuens facultatem » eidem impertitus est infra triennium proximum tantum absol» vendi vere pauperes super praeteritis omissionibus adimple» menti onerum Missarum perpetuarum dumtaxat, iniuncta singu» lis ex iisdem enuntiata absolutione indigentibus, iuxta locorum, » personarum et temporum circumstantias, ac quantitatem Mis» sarum omissarum, aliqua celebratione pro una vice nonnullorum » Sacrorum in suffragium animarum testatorum applicandi, pro » quibus Missae erant celebrandae celebrataeque non fuerunt, » et aliquo pio opere per modum suffragii, ut supra, itidem ap» plicandi. Quo vero ad futurum, facultatem similiter tribuit Epi» scopo oratori, ut, dicto perdurante triennio, praefata Missarum » perpetuarum onera, dummodo alias reducta non fuerint, ad » tramites indulti Bened. XIII. in postrema Romana Synodo im» pressi, illiusque forma ac tenore in omnibus ad amussim ser» vatis, pro suo arbitrio et prudentia, (vel *conscientia*) gratis » reducere ac moderari possit et valeat. »

84. Indultum Benedicti XIII., de quo in allata formula sermo est, legitur in Synodo Romana ad *Tit. 15. cap. 8.* Illud proprie editum est pro Superioribus regularibus, ac propterea multae praescriptiones ibidem adiectae Episcopis accommodari nequeunt. Nihilominus circa reliquas praescriptiones eadem Synodus, *con-*

*grua congruis*, ut ait, *referendo* eiusdem tenorem ab Episcopis servandum iubet, qui tamen nihil continet peculiare, aut saltem tale, quod in allata per nos hodierna formula non contineatur.

85. S. C. Conc. saepissime per se peculiarium legatorum petitas absolutiones ac reductiones in singulis casibus examinandas assumit, eoque in examine plurimas pro constante disciplina normas adoptavit, quas nosse non parum expediet; eoque magis, quod si his regulis adhaeret S. C. Conc., etiamsi supremam a Summo Pontifice hac in re facultatem obtineat, multo firmius adhaereant oportet Episcopi, qui limitatis ab eadem facultatibus ad Missarum onera reducenda donati sunt.

86. Pauca primo de absolutione, plura secundo de reductione sectabimur. Absolutio pro praeteritis omissionibus remissionem et condonationem praesefert a persolvendo eo, quod iure deberetur. Iamvero huiusmodi indulgentiam adhiberi vetant decreta *de cel. Miss.* §. *25. Insuper*, nisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione. Quin imo si quis sub malitiosa vel irrationabili spe absolutionis huiusmodi consequendae Missarum celebrationem omittere praesumpserit, diserte in iisdem decretis declaratur, hoc in casu gratiam nullimode suffragari, et huiusmodi spes, utpote irrationabilis et illicita, damnatur ac reprobatur.

87. Quapropter S. C. Conc. tum solum absolutionem pro praeteritis omissionibus impertiri consuescit, cum dilucide pateat, absque legatarii culpa Missas celebratas minime fuisse, nec ceteroquin supersit tantus reditus, ut omissionibus praeteritis suppleri valeat. S. C. Conc. in *Ianuen. Capellaniar.* 31. Augusti 1819., in *Mazzarien. Red. et absol.* 14. Decembr. 1822.; namque bona fides plurimum semper valuit, ut Missarum absolutio a S. Cong. concederetur. *Tudert. Red. miss. et absolut.* 27. Apr. 1805., *Venetiarum* 29. Ianuar. 1825. *per Sum. prec. apud Gamber. n. 126.*

88. Aliter vero sese gerit S. Congr., quandocumque constiterit, reditus adhuc satis esse oneribus sustinendis, adeoque hoc in casu omissiones quamprimum suppleri praescribit, S. C. in *Burgi S. Sepulchr.* 23. Febr. 1824. *per Sum. prec. apud Gamber. n. 28.* Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. ult. n. 23.*

89. Quando vero S. C. absolutionem concedit, imponit semper salutarem aliquam poenitentiam, ac praesertim celebrandi certum Missarum numerum (S. C. Conc. in *Mathelicen.* 9. Iul. 1825. *per Sum. prec. apud Gamb. n. 80.* et alibi passim).

90. Extrema paupertas causam legitimam praebet, ob quam absolutio concedatur (S. C. C. in *Taurin.* 30. Mart. 1726., *Massanen. Red. Miss.* 24. Ian. 1778., *Nucerina* 5. Sept. 1778.), praesertim quando de fundatorum consanguineis agitur, quorum explorata sit gravissima egestas *(Ferrar. Reduct. Miss.* 23. Feb. 1793., *Ianuen. Capell.* 21. Aug. 1819., *Ravennaten. Capell.* 15. Apr. 1820. §. *Ad paupertatem vero).* Iuris enim praesumptio est, testatores haud voluisse consanguineos tot tantisque oneribus obstringere, quibus sustinendis impares evaserint ob summas rei familiaris angustias (S. C. Conc. in cit. *Ianuen.* §. *Nonnulla, Ripana Commut. volunt. et red.* 27. Iulii 1822. §. *Redit.*).

91. Ad paupertatem quod attinet, aliqua distinctius explicare opportunum est. Paupertas primo distinguitur a mendicitate; mendicus enim ille dicitur, qui omnibus omnino bonis, sive mobilibus sive immobilibus caret, neque aliquid lucratur, sive manuum labore aut animi facultatibus, sed ostiatim victum quaeritat *(Annot. ad dec. 617. n. 86. P. IV. Recent. tom. 3.)*, utiturque esu et potu vilis aquae et panis dumtaxat *(loc.cit.n.87.)* et discalceatus incedit *(loc. cit. n. 89. et seq.)* et in hospitali pro tecto recipitur *(loc. cit. n. 48. et seq.)*, ibique mortem oppetere cogitur. *(Dec. 337. num. 5. decis. 473. num. 4. ac 10. Par. XIII. Recent.).*

92. Secundo loco paupertas dividitur in *absolutam* et *relativam;* namque *absolute pauper* ille dicitur, qui omnibus omnino bonis, sive mobilibus sive immobilibus destituitur, (S. C. Conc. in *Veliter. Subs. dot. 30. Iulii 1774.* §. 5. Abbas *Cons. 69. n. 6. Rota decis. 98. n. 10. coram Duran.*), vel parum huiusmodi bonorum possidet, *(Decis. 268. n. 3. P. IV. t. 1. Recent.)* quae vitae tuendae sint imparia ita ut, si vitam traducere ac tueri velit, vel manuum labore, vel animi facultatibus aliquam industriam exercere compellatur. Quamvis enim huiusmodi industria quodammodo stet loco bonorum, nihilominus ob fragilitatem humanae conditionis, quae variatur ex tempore, minime attenditur *(Dec. 268. n. 3. et seq. P. IV. tit. Recent.).*

93. Is dicitur *relative pauper,* cuius bona minime sufficiunt statui tuendo, in quo quis constitutus est (S. C. Conc. *Narnien. Subsid. dotal.* 21. Aug. 1762. §. 4., Card. de Luca *de Dote discur. 174. n. 9.,* Rota *Decis. 98. n. 9. ac 10. coram Duran.*), et specialius tuendae conditioni, in qua natus est, vel dignitati,

quam obtinet. Sic ex. gr. qui nobili genere prognatus est, sed fortunae bonis tantum potitur, quibus nobilitatis suae splendorem charitatemque sustinere non possit, relative pauper appellari vere potest (S. C. Conc. in *Apuana Red. Miss.* 15. Dec. 1792. §. *4.*, Rota *Dec. 98. n. 10. coram Duran.*). Idem dic, si quis ex. gr. episcopali dignitate fulgeat, et reditus eiusdem dignitatis honori ferendo pares non habeat, relative pauperis nomine venire potest *(Decis. 283. n. 4. P. X. Recent.)*.

94. Hisce constitutis, aut agitur de paupertate probanda respectu certi et determinati effectus, veluti est restitutio expensarum litis, aut alimentorum assecutio, ac alia id genus, et hoc in casu requiritur paupertas absoluta. Rem formiter expendit *S. Rota decis. 283. n. 1. et seq.* Additur *Dec. 573. n. 3. et seq. P. I. Rec.* Idem docet S. C. Conc. in *Lucan. Subs. dot.* 27. Augusti 1791. §. *3.*, *Romana seu Sav. Subs. dot.* 26. Apr. 1788. §. *Ut*, ubi pariter statuitur, quod, ubi agitur de paupertate probanda ad certum ac determinatum effectum, pauper dicitur, cuius bona non sufficiunt ad illum effectum.

95. Si vero casus huiusmodi secludatur, paupertas relativa causam idoneam suppeditat, ut favor vel subsidium, aut aliud quodcumque beneficentiae genus obtineatur. Et sane: Thesaurus resolutionum S. C. Conc. plenus est huiusmodi gratiis ab eo S. Ordine ob meram paupertatem relativam elargitis, nominatim vero pro absolutione Missarum non celebratarum, eadem accedente, non denegatis, *Tranen.* 22. Novembris 1738., aliisque plena manu relatis in *Vercellen. Oner.* 15. Decembris 1792. §. *Emo contra.*

96. Absolutionem aliquando S. C. Conc. indulsit legatario, qui magno aere alieno gravatus fuerat, ut in *Roman. Commut. vol.* 27. Feb. 1734., *Roman. Red.* 2. Maii 1818., *Ianuen.* 22. Iun. 1822. allegatis in *Tarentin.* 22. Maii 1823. *per Sum. prec. apud Gamb.* §. *Profecto, n. 119.*

97. Ad reductionem quod attinet, in primis statuendum est, eidem locum non esse, quando universa haereditas Missarum onere gravata fuerit: tunc enim minime prodest haeredi fundi adsignatio, quam ultro ecclesiae fecerit, si progressu temporis eiusdem fundi fructus oneri sustinendo impares efficiantur, (S. C. Conc. in *Romana Reduct. oner. Miss.* 18. Apr. 1733. §. *Id*, ubi allegatur *Rota in Romana Ann. Praes.* 16. Ian. 1702. §. *13. co-*

*ram Caprara, Romana Supplem. et app.* 11. Iunii 1723. *coram Adovrando*). Vide insuper hac de re voluminis III. num. 62.

98. Idem dicendum est, si testator haeredi mandaverit, ut legatario tot fructus praestare debeat, quot satis sint ad iniunctam Missarum celebrationem adimplendam; hoc enim in casu, etiamsi haeres tot bona consignaverit, quot eidem celebrationi sufficiant, nihilominus onere eadem bona supplendi non liberatur, si quando eadem tractu temporis ad eam rem imparia seu insufficientia fieri contingat, prouti probat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. ult. n. 33.*, S. Cong. declarationibus in rem allatis.

99. Aliter vero se res habet, si testator fundum, aut quamlibet aliam rem in specie relictam legatario tradi iusserit: tum enim simul ac haeres fundum, aut rem legatam iuxta mentem testatoris legatario tradiderit, non amplius cogi potest ad fundum, vel rem legatam supplendam, si forte postero tempore fructus exinde profecti ad onus Missarum adimplendum minime sufficiant (Bened. XIV. *loc. cit.* cum declarationibus S. C. Conc. apte congestis.).

100. Missarum reductio non conceditur, quoties pro earum celebratione non fuit a testatore certus fundus designatus, sed haeredes ad certam pecuniae summam solvendam adstricti fuerunt; (S. C. Conc. in *Romana* 22. Mart. 1732., et alia *Romana Red. oner. Miss.* 28. Feb. 1733., veluti habetur in *Florentina Appl. Miss.* 24. Iul. 1734. §. *Secundo. Tom. 6. Resol. pag. 335.*) idque eo minus conceditur, si haeres inventarium confecisse minime deprehendatur (*Burgen. Red.* 1. Mart. 1777. §. *8.*).

101. Missarum reductioni item locus non est, si earum onus per contractum fuerit acceptatum: hoc enim in casu coram iudice ordinario agendum est, ut cognoscat, an contractus ob laesionem et iniustitiam sit rescindendus, vel ad aequitatem redigendus, prouti pluribus allatis S. Congr. resolutionibus firmat Bened. XIV. *loc. cit. n. 35.* Vide etiam *Vallisol.* 22. Maii 1784., in qua ad §. *Sacro* praeterea plures in eamdem sententiam resolutiones afferuntur.

102. Ex eo quod Episcopus aliquis facultatem reducendi onera Missarum obtinet, non idcirco potest sibi vindicare auctoritatem etiam alia diversi generis onera; privilegia siquidem non possunt extendi de casu ad casum, quemadmodum videre est penes

Bened. XIV. *loc. cit. n. 22.* Si Missarum celebratio simul et chori servitium praescriptum fuerit, chori servitium est potius reducendum, quam Missarum celebratio; *(Lunen. Sarzanen.* 15. Septemb. 1787. §. *Quatenus),* et hanc praxim esse S. Cong. Conc., testatur folium in *Lunen. Sarzanen.* 9. Iul. 1785. iuxta ea, quae habentur §. *Non minori.* Quando igitur de reducendis Missis, vel anniversariis agitur, ista potius, quam illae reducendae sunt, (S. C. Conc. in *Nepes. Reduct. Miss.* 15. Ian. 1772. §. *2.*, *Albanen. Capell.* 12. Mart. 1774. §. *5.*).

103. Item si aliqua dispositio Missarum onera et alia pia opera comprehendat, ac ceteroquin ob redituum tenuitatem reductio aliqua facienda sit, reduci potius debent opera pia, quam onera Missarum, excepto tamen casu, quo ex universo testamentariae dispositionis contextu alia fuisse mens testatoris deprehendatur. Vide Bened. XIV. *loc. cit. n. 23.*, necnon S. C. Conc. in *Bracharen. Reduct. Miss.* 3. Septembris 1718., *Mediol.* seu *Comen. Red. on.* 11. Ianuar. 1721. §. *6.*, et alibi passim.

104. Regulam in reductione Missarum concedenda praebere debet Theorica Felini in *Cap.* Super literis *de Rescr.*, quam optime illustratam praesefert clarus de Vecchis, olim S. Congr. Conc. a Secretis, in voto impresso apud Crispin. *de Vis. past. pag. 2.* §. *18. n. 6.*, neque ab ea deflectendum esse Episcopis auctor est Bened. XIV. *loc. cit. n. 32.* Eiusdem voti tenor hic est: « Quo» modo autem se gerere debet in exsecutione quoad legata *taxa*» *tive* vel *demonstrative* concepta, Sanctitas Sua Ampl. Tuae notifi» candum iussit, quod, mature pensatis vel perlectis dispositionibus » et fundationibus quibuscumque, quibus praefata Missarum onera » annexa reperiuntur (exceptis instrumentis seu contractibus, su» per quibus manus apponere non debeat, nisi in casu iudicialis » instantiae pro illorum rescissione, titulo laesionis), illa legata, » seu fundationes erunt taxative conceptae, si fundatores legan» do, vel aliquo modo disponendo, orationem, seu dispositionem » prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde Missarum » onus adiecerint, et hoc casu huiusmodi onera ad rationem elee» mosynae manualis, ut supra, moderari possit; secus vero si » fundatores orationem seu dispositionem inceperunt ab imposi» tione oneris, et subinde fundum assignaverint; tunc enim onus » dicitur demonstrative conceptum, ac fundatorum haeredes per » Ampl. Tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentio-

» nem, et ad supplendam summam deficientem tam pro praeterito, » quam futuro tempore. » Vide *Tricaricen. Legati Missar.* per sum. prec. diei. . . . . 1847.

105. Quoties ab Episcopo Missarum reductio facienda est in vim facultatum, quas a S. C. acceperit, eleemosyna Missarum reducendarum taxanda est ad *manualem*, ut dici solet, nimirum statuendum est, ut tot in posterum Missae celebrentur, quot celebrari possunt, non quidem constituta pro iis eleemosyna ad eam mensuram, qua Missarum perpetuarum eleemosyna taxatur (quippe si agitur de acceptando perpetuo Missarum onere, eleemosyna maior ab Episcopis constituenda est, quam ea, quae iuxta Synodum dioecesanam vulgo ad manum, ut dici solet, sacerdotibus traditur pro Missis adventitiis, quas Christifideles ipsis committunt), sed iuxta eam quantitatem, quae ex recepta regionis consuetudine praestatur pro singulis Missis, quas fideles dietim, ad manus tradita eleemosyna, celebrari curant. Consulatur Benedictus XIV. *l. c. n. 35.*

106. In elargienda Missarum celebrandarum reductione multi facienda est inculpata redituum imminutio (S. C. C. *Fossanen. Reduct. et abs.* 15. Ian. 1791. §. *4.*, ubi allegatur *Senogallien. Reduct.* 10. Maii 1783.), idque eo magis attenditur, si agatur de fundatoris consanguineo ad paupertatem redacto. (*Aquilana Red. Miss.* 17. Sept. 1796. §. *5.*, *Montisfalisci Reduct. Miss.* 17. Decemb. 1791. §. *3.*) At econtra non habet locum reductio Missarum, si redituum imminutio eveniat ex facto et culpa legatarii (S. C. C., *Asculan. Reduct. Miss.* 18. Sept. 1773. §. *4.*).

107. Ceterum quae causae satis esse dictae sunt ad absolutionem obtinendam, eaedem idoneae censentur, ut Missarum reductio obtineatur, ceu communis et quotidiana penes S. Cong. Conc. docet experientia.

### Art. VI. De translatione Missarum.

Summarium. 108. Si Missae in ecclesia designata celebrari non possunt, licet Episcopis earum translationem impertiri. - 109. Probatur id etiam ex Conc. Trid. dispositione. - 110. S. Cong. Conc. translationem aliquando concessit, aliquando denegavit. - 111. Translatio non conceditur, si vel testatoris voluntati, vel divino cultui, vel populi commodo adversetur. - 112. Si ecclesia designata corruerit, in primis inspiciendum est, an reaedificari possit.

108. Tametsi translatio Missarum de una ad alteram ecclesiam testatoris voluntatem ex parte subvertat, adeoque eius voluntatis commutationem secum ferat, nihilominus si casus intercidat, quo in ecclesia a testatore designata Missae celebrari omnino nequeant, licebit Episcopis earumdem translationem ad alteram ecclesiam impertiri. Id enim ex eo naturali principio profluit, quod quando testatoris voluntas eo, qui a testatore praescriptus est, modo, adimpleri non possit, eo meliori, quo fieri potest, sit adimplenda ex textu in *Cap. 3.* Nos quidem *de testam.*, ubi statuitur, ut si coenobium a testatrice erigi iussum eo loco exstrui nequeat, quem ipsa designavit, alio commodiori loco iuxta prudens Episcopi arbitrium aedificandum sit. (Fagnan. ad *Cap. 12.* Ex parte *De const. n. 27.*).

109. Sed enimvero ipsa Tridentina Synodus hanc eis potestatem facit *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*, ubi cavet, quod « Epi» scopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati transferre possint be» neficia simplicia (ideoque multo magis legata pia), etiam iuris » patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, » et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum » interest, in matrices, seu alias ecclesias locorum eorumdem, » seu viciniorum arbitrio suo; atque in iisdem ecclesiis erigant » altaria, vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in iam ere» cta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumen» tis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. »

110. Attamen caute hac in re ab Episcopis procedendum esse videtur. Namque ipsa Apostolica Sedes plurimam in huiusmodi translationibus elargiendis adhibere diligentiam non omittit, veluti passim admonet S. C. Conc., praesertim in *Comen. Translat.* §. *Sacra*, cuius folium exstat ad diem 15. Sept. 1764., ubi insuper pleraeque allegantur causarum resolutiones, in quibus petitam translationem denegavit. Quamvis subsequenti paragrapho exempla etiam subiiciuntur, ubi S. C. translationem, vel temporariam vel perpetuam, ex iusta causa concessit, praesertim si testatorum cadavera ibidem condita non sint; hinc S. Cong. translationem denegavit in *Bononien. Legati Miss.* 15. Dec. 1742., necnon in *Uxentina Cel. Miss.* 16. Dec. 1743., ac 13. Ian. 1748., ea nempe de causa, quod fundatoris cineres in ecclesia, ubi sacra ordinata fuerant, conditi reperiebantur.

111. Neque immerito; nam « quamvis (ita eadem S. Congr.

» in *Firmana Transl. on. Miss.* 3. Augusti 1782. §. *Quamvis*) ob » Sacrificii excellentiam nihil detrimenti fundatoribus obveniat, » si Missae Sacrificium in una potius, quam in altera ecclesia » adimpleatur, tamen quando certa ecclesia designata est, in ea, » et non alibi Sacrificia peragi debent, ne testatoris voluntas » subvertatur, neve illius ecclesiae minuatur cultus. » Quibus ex verbis eruitur etiam, translationem impertiri non solere, quoties appareat, Missas in aliqua ecclesia a testatore idcirco fuisse praescriptas, ut divinus inibi cultus augeretur. Id enim ceteroquin confirmatur aliis exemplis, ac praesertim in *Ariminen. Transl. Miss.* 18. Sept. 1779. §. 7., *Placentina Translat.* 7. Augusti 1775. §. 7. Translatio praeterea denegatur, si testator populi commodum respexisse intelligatur. *(Amerin. Red. et disp.* 17. Iulii 1773. §. 7., *Firmana Translat.* 3. Aug. 1782. §. 4.).

112. Illud insuper animadvertant Episcopi, an ecclesiae dirutae reapse nullimode reaedificari queant, et an sit aliquis, qui ad earum reaedificationem teneatur. Hanc enim iuris et aequitatis normam secuta est etiam S. C. C., ut monet memorata *Comen.* §. *Non denegavit,* in *Sabinen. Transl. leg. Miss.* 16. Feb. 1735. et fere ubique.

## APPENDIX.

### Urbani VIII. decreta de celebratione Missarum ab Innocentio XII. innovata et confirmata.

Summarium. 1. Alias prodierunt a S. Cong. Concilii decreta super celebratione Missarum, ac prohibitione eas moderandi et perpetuo supra vires suscipiendi, necnon augendi numerum Religiosorum, quae Urbanus VIII. approbavit, suoque nomine promulgavit, quaeque ad literam referuntur. Causae, cur huiusmodi decreta edi debuerint. - 2. Prohibetur, ne in Synodo Ordinarii ac Superiores regulares Missas reducant, commutentve absque Apostolica venia; aliter nulliter agunt. - 3. Praecipitur locorum piorum administratoribus regularibus ac saecularibus, ut tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint. Alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciunt, graviter peccant, et ad restitutionem tenentur. - 4. Revocantur privilegia antea concessa satisfaciendi plurium Missarum oneribus per certarum Missarum aut precum celebrationem. - 5. Prohibetur etiam, ne quis Missam alii celebrandam committat, eleemosynae parte sibi retenta. - 6. Pecuniae ac bona mobilia pro Missis relicta in aede sacra vel apud personam idoneam ac fidelem deponantur, ut quamprimum investiantur. - 7. Idem agatur, si bona immobilia rite alienari contingat. - 8. Onera

perpetua ne suscipiantur sine licentia in scriptis Ordinarii, vel Superioris regularis sub certis poenis. - 9. Eleemosynae manuales ne suscipiantur, si oneribus antea impositis satis non fuerit factum. Auferantur capsulae cum inscriptione *Eleemosynae pro Missis*. - 10. Episcopi ac Superiores regulares dictam licentiam pro perpetuis oneribus non impertiant, nisi sibi constiterit, iisdem absolvendis locum et copiam adhuc esse, et bonorum relictorum reditus iisdem sufferendis pares esse. - 11. Praecipitur, ut Regulares ex praecedenti decennio firment statum activum et passivum conventuum. - 12. Eumdemque Superiori praesentent in proximo capitulo provinciali vel generali. Cuique domui tot Religiosi assignentur, quot ex eiusdem reditibus ali queant. - 13. Haec geri debent infra annum post capitulum provinciale vel generale. - 14. Qui numerus augeri nequeat absque S. Congregationis licentia, licet reditus accreverint. Poenae contra Superiores, qui hisce decretis non pareant. - 15. Nulla religiosa domus reperiatur, in qua saltem duodecim fratres non inhabitent et ali queant; aliter Episcopo subiecta remaneat. - 16. Haec decreta, certis constitutis poenis, in mensa publica perlegantur singulis sex mensibus. - 17. Excitatis aliquibus dubiis circa praemissa, S. Cong. resolvit, Episcopos non posse reducere absque Apostolica venia ullum legatum, tametsi tenue, nisi id Episcopo in lege fundationis permissum fuerit. - 18. Illa decreti verba *praescriptae fuerint* intelligenda ita esse, ut praescriptio ab offerente eleemosynam non ab Ordinario facta fuerit; quod si offerens nihil praescripserit, tot Missas celebrandas, quot Ordinarius iuxta morem loci praescripserit. Sacerdotes accipientes eleemosynas minores eo, quod congruum est, Missas praescriptas nihilominus celebrare teneri. Sacerdotes celebrandi onere gravatos ratione beneficii non posse eleemosynam manualem accipere, ut per unicam Missam utrique oneri satisfaciant. Taxam eleemosynae a testatore non praefixam praefigi debere ab Episcopo iuxta morem loci. - 19. Verba decreti *in futurum suscipiendis*, intelligenda de oneribus suscipiendis post privilegium. Ex legatis Missarum tum solum sumptus pro celebratione esse retinendos, cum ecclesia alios non habeat reditus, idque ultra sumptuum limites non esse extendendum. Rectorem beneficii celebrationem alteri committentem posse eleemosynam impertiri iuxta morem loci, nisi aliter in fundatione cautum fuerit. - 20. Sacerdotes accipientes eleemosynam solito maiorem teneri eam totam sacerdoti dare, cui celebrationem forte committant. Nova Missarum onera suscipi posse, etsi praecedentibus satisfactum non fuerit, quando infra modicum tempus persolvi queant. Item quando offerens sciat praecedentibus non esse satisfactum, et consentiat. Poenas in decreto appositas habere locum in suscepturis onera perpetua absque venia Ordinarii vel Superioris regularis. - 21. Illa verba decreti prohibentia inscriptionem *Eleemosynae Missarum* comprehendere

etiam capsulas in die commemorationis Omnium Defunctorum cum titulo *Casse de' morti*. Sub illis decreti verbis *et aliis, ad quos pertinet*, comprehendi etiam privatos sacerdotes. Ubi praefixio numeri Religiosorum facta iam fuerat, nihilominus esse iterum faciendam, servata forma ibidem habita. – 22. Novitios posse admitti ultra numerum, dummodo post professionem in altero conventu, ubi possint ali, collocentur. Decretum de numero Religiosorum comprehendere etiam Ordines, qui Missarum onera non recipiunt. Insuper extendi etiam extra Italiam. – 23. Cum plures post Urbani VIII. decretum abusus irrepsissent, Innoc. XII. eos evellendos aggreditur. – 24. Itaque in primis Urbani VIII. decretum confirmat. – 25. Gratia reductionis nullo modo suffragatur, si Missae omissae fuerint malitiose cum animo habendi compositionem. – 26. Perficienda est distincta onerum perpetuorum ac temporalium tabella. – 27. Item duo diversi libri pro Missis perpetuis ac temporalibus, necnon pro manualibus, ubi earumdem implementum dietim ac nominatim adnotetur. – 28. Insuper apud Regulares eleemosynae omnes in capsa particulari ponantur cum duabus clavibus, una a Superiore locali, altera ab alio retinenda. – 29. Poenae contra eos, qui tabellam, libros et capsam, de quibus modo diximus, negligere praesumpserint. – 30. Penes ecclesias saeculares publice prostet onerum perpetuorum tabella in sacrario. Penes Regulares sexto quoque mense declarationes decreti, de quo res est, in publica mensa perlegantur. – 31. Ordinarii in sacris visitationibus et aliis actibus ex officio satagant, ut haec decreta omnimodae exsecutioni demandentur. – 32. Regulares, eorumque Superiores omnes sub poenis hic statutis in eamdem curam incumbant. – 33. Aliae diligentiae in ecclesiis regularibus hoc in rerum genere adhibendae. – 34. Superiores regulares in exitu sui muneris exacto doceant se omnes heic praescriptas conditiones adimpleri curasse. – 35. Hactenus praemissa extenduntur ad omnes confraternitates, societates, altaria ac similia. – 36. Sequuntur consuetae clausulae derogatoriae.

Nuper a Congreg. Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentia, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis:

1. §. I. Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur: indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter caetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri: aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento: aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, Sac. Congregatio Cardinalium Conc. Trident. Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e christiana republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani, divina providentia Papae VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit:

2. §. II. Ac primo districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes et commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

3. §. III. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, collegiis, capitulis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus,

ac locis piis quibuscumque, tam saecularibus, quam regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

4. §. IV. Id vero, ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis, tam saecularibus, quam regularibus, cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

5. §. V. Et similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

6. §. VI. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus, tam saecularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide ac facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium, quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

7. §. VII. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem poena, ut supra, deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

8. §. VIII. Ad haec S. C. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus, et singulis eccle-

siarum ac piorum locorum, tam saecularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: saeculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda: alioquin saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrat.

9. §. IX. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa – *Eleemosyna pro missis* – vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

10. §. X. Episcopus vero, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiae, monasterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiusque civitatis vel provinciae: intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

11. §. XI. Postremo illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant reditus et eleemosynae cuiusque monasterii, inhaerentes Summorum Pontificum, ac S. Trident. Conc. decretis hac de re editis,

Sanctissimi Domini Nostri auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis Generalibus, Provincialibus', Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus monasteriorum, conventuum ac domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti, existentium intra fines Italiae, et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel congregationis probatioribus, et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habita ratione, diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere.

12. §. XII. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cuius interest, in proximo capitulo, seu congr. generali, vel provinciali coram tribus iudicibus, ab ipsomet capitulo, seu congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis et obventionibus universis et oneribus, ut supra detractis, sedulo examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta regionis, et proprii instituti morem, victum et vestitum, et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet capitulo, seu congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae, monasterii conventus ac domus regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus, patrum capitularium voto praefigatur, quae reditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

13. §. XIII. Ne vero Superiores, qui id praestare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant: mandat Sacra Congreg., ut infra annum, post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere

capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congreg. Conc. singuli mittant.

14. §. XIV. Numerumque familiae, singulorumque conventuum, monasteriorum, et domorum huiusmodi regularium, capituli, seu congreg. generalis, vel provincialis sententia et auctoritate praefinitum, iidem Superiores, tam Generales et Provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti redituum, absque Sacrae ipsius Congregationis licentia: Superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum, ut supra praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae, et ad omnia suae Religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, a Sede Apostolica infligendis poenis, Sac. Congr. subiacere voluit et declaravit.

15. §. XV. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas Religiosorum seu Regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis huiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi, seu Religiosi degere, et ex reditibus, et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti fel. record. Gregor. XV. hac de re editi: alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

16. §. XVI. Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque monasterii, conventus ac domus regularis curare atque efficere teneantur, sub poena privationis officii, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, praesentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

17. §. XVII. Omnibus tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint Ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore et potestate praeditis, praesentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

(§. XVIII. ad XX. *Continent clausulas derogatorias.*)

§. XXI. Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentia seu interpretatione, infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congr. simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendae.

I. Super primo Sacrae Congregationis decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; quaeritur, quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit huiusmodi onera moderari?

18. II. Super secundo eiusdem Congr. decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint; quaeritur, an verba illa: « *praescriptae fuerint* » intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

IV. An sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere, et unico Missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro eius anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae; quaeritur, an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

19. VI. Super tertio Congr. decreto, in quo eadem Congr. revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satis-

fiat; quaeritur, an verba: « *in futurum suscipiendis* » intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

VII. Super quarto eiusdem Congr. decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat; quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium.

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii.

20. X. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

XI. Super quinto eiusdem Congr. decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba: *eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant etc.;* quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt; et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

XIII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

21. XIV. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die Commemorationis Omnium Defunctorum, et vulgo dicuntur *casse de' morti.*

XV. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si

iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum, tam saecularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali « *et aliis, ad quos pertinet* » supplicatur, pro opportuna declaratione.

XVII. Super septimo eiusdem Congr. decreto quo cavetur, ut in singulis monasteriis Religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari; quaeritur, an, ubi haec praefixio facta iam fuit in vim similis decreti s. m. Pauli V., absque tamen computatione redituum cuiusque Religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

22. XVIII. An novitii ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode ali non possunt?

XIX. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus Regularium, nisi praeter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint iurisdictioni Ordinarii; quaeritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt religiones Capucinorum ac Societatis Iesu?

XX. An idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur monasteria, nisi etc. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

*Declarationes, seu responsiones ad supradicta dubia.*

§. XXII. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apo-

stolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse iudicaverit. Verumtamen, si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad II. Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad III. Teneri.

Ad IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad V. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad VI. Ita esse intelligenda.

Ad VII. Respondit, permittendum non esse, ut ecclesia ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint: et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt subeundae; et nihilominus, eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII. Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis, vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad X. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad XI. Respondit, non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XII. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad XIII. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad XII.

Ad XVI. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad XVII. Numeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad XVIII. Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad XIX. Censuit comprehendere.

Ad XX. Habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres. – Prosp. Fagnan. S. Congr. Secr.

23. §. XXIII. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum huiusmodi detestabiles abusus e christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus ac emendata negligentia piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo maior gloria et Ecclesiae praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SSm̃um D. N. Innoc. divina providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata et postea in generali huiusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita et examinata edidit.

24. §. XXIV. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis penitus observari et omnimodae exsecutioni demandari decernit, sancit et praecipit.

25. §. XXV. Insuper, ut in re tanti momenti consultius ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur: si qui forsan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant sub malitiosa vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostol., vel compositionem a reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi, Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa: *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse et solere: quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quam praefatarum Missarum usum, seu satisfactionem, et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, iniustas et illicitas, illasque omnino reprobat et damnat et interdicit.

26. §. XXVI. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium, tum regularium ecclesiarum, seu illarum capitula, ne onera seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium

literis perspicuis et intelligibilibus descriptorum, et quorum implemento, si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant; et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis et celebrandis impares esse.

27. §. XXVII. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte ac diligenter annotare, et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam praefati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere, sive annotare, sive describendas vel annotandas respective curare.

28. §. XXVIII. Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares praedicti, omnes et quascumque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram patribus discretis, seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

29. §. XXIX. Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et Superiores, tum saecularium, tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum, et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus, saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activa et passiva, ac gradibus et officiis, quae obtinent, ipso facto, et absque alia declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad

huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint et intelligantur.

30. §. XXX. Porro, ne ullo unquam tempore omnia, et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cuiuscumque monasterii, conventus, ac domus regularis curare et efficere teneantur sub poena privationis officiorum, quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest, feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi omnes et singulae praemissae, tum insertae seu confirmatae, tum in praesens factae ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

31. §. XXXI. Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis, et in ecclesiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Conc. Trid. sibi subiectis, Missae, ea qua par est, fide et diligentia celebrentur; et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae exsecutioni demandentur, nedum iustitiam requirentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus, et modis, quos expedire et convenire toties, quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

32. §. XXXII. Caveant etiam respective omnes Regulares, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam provinciales, et generales, ne Missarum celebratio, et omnium decretorum praemissorum exsecutio, cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae, et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum, quae obtinent, necnon inhabilitationis ad huiusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

33. §. XXXIII. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte, etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales, in provincialibus capitulis, seu congregationibus exhibere attestationem

seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cuiuscumque domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis, tam perpetuis, quam manualibus Missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem horum praesentium decretorum tempore regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam, seu passivam in memoratis capitulis, seu congregationibus omnino habere non valeant.

34. §. XXXIV. Praeterea provinciales, vicarii et visitatores provinciarum, seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod exsecutioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus, seu monasteriis, vel domibus regularibus provinciae, seu congregationis, de omnibus et singulis oneribus et obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum, exactam et diligentem rationem exegerint; ac contra delinquentes ad declarationem et exsecutionem respective poenarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittantur.

35. §. XXXV. Ceterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitalia, altaria, capellas, oratoria et ecclesias, ac alia loca et opera pia, quomodolibet nuncupata, cuicumque curae, seu regimini, aut administrationi, vel directioni laicorum cuiuslibet gradus, status, conditionis, et praeeminentiae, etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertineat: hinc, salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque huiusmodi archiconfraternitatum, societatum et congregationum, hospitalium, altarium, capellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum

locorum et operum piorum rectores, seu administratores, vel directores, et alii huiusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellam, libros et haec decreta respective, iuxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere, sub poenis arbitrio, et in subsidium excommunicationis, teneantur.

36. §. XXXVI. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis cuiuscumque Ordinis, status, gradus, regulae, Congregationis, Societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis, quocumque honore ac potestate praeditis omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in huiusmodi decretis relaxandi, seu quoquo modo circa praemissa dispensandi omnis et quaecumque facultas erit penitus interdicta.

*Sequuntur clausulae derogatoriae.*

Datum Romae die 23. Novembris 1697.

Ioseph Card. *Sacripantes*, Praefectus.
Ferdinandus *Nuptius* S. C. C. Secretarius.

« II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis pun- » ctualiter exsecutioni mandentur pia opera a testatoribus in- » iuncta? »

113. In hac paragrapho referre debent Episcopi, an opera pia, quae confraternitatibus aliisque piis locis a testatoribus iniuncta sunt, exsecutioni accurate mandata fuerint. Quod argumentum in praecedenti articulo satis per nos explicatum esse iam per se lector intelligit. Licet enim speciatim de Missarum celebratione ibi res esset, nihilominus generalia principia statuere non praetermisimus, quae omni piorum onerum generi accomodantur: idque dedita opera fecimus, ne iterum iterumque eamdem cramben non sine temporis iactura recoquere cogeremur. Itaque satius ducimus gravissimam ecclesiasticae disciplinae partem, quae sodalitates respicit, paulo fusius exponere. Communes porro eae sunt, praesertim in hac nostra Italia, et Episcoporum curas et studia non parum distinere solent et occupare. Extra Italiam paulo rariores sunt; in Galliis et in Germania nominatim, ut plurimum, piae uniones ac societates inveniuntur,

atque in dies amplificantur, quas utiles porro esse nemo non dixerit; at utiliores sine dubio forent, si iuxta formam ab Apostoliça Sede pro sodalitatibus, vulgo confraternitatibus, constitutam atque praescriptam ordinarentur, praesertim ob indulgentias et favores spirituales, quibus ex Apostolica liberalitate huiusmodi coetus locupletati sunt. Quibus ex causis meam hanc elucubrationem, nemo, ut opinor, aut ingratam habebit, aut inutilem putabit. Eam interim plures in articulos dispescimus.

### Art. I. De sodalitiorum origine et canonica eorum erectione.

Summarium. 114. Sodalitatum prima vestigia non ex ethnicis, sed ex primitivorum Christianorum conventibus in catacumbis repetenda sunt. – 115. Bassus, Episcopus Anagninus, in suo de sodalitatibus tractatu primam originem apud Hincmarum adinvenit. – 116. Aliquanto post Hincmarum S. Franciscus Assisiensis *tertium Ordinem* instituit, qui primitus inter Religiones non accensebatur. – 117. Idem peregit S. Dominicus. – 118. De laicalibus sodalitatibus curam singularem egerunt Summi Pontifices; praesertim Clemens VIII. plurima saluberrime providit in sua Constit. *Quaecumque*. Item s. m. Pius PP. IX. – 119. Quae praecipua sint illius Constitutionis capita. – 120. Quae forma servanda sit in sodalitatum erectione, assignavit Paulus V. Quas indulgentias confratres adipiscantur. – 121. Formulam decreti pro sodalitatum erectione exhibet Monacellus. – 122. Corruit actus erectionis, si forma a Clemente statuta non fuerit servata. – 123. Chordigerorum, SSmi Rosarii, Corrigiatorum, Scapularium sodalitates qui erigere possint. – 124. Superiores regulares nequeunt sine Episcopi licentia saccorum usum concedere. De indulgentiis, non de privilegiis archiconfraternitatum participant confraternitates aggregatae. – 125. Privatae personae sodalitates erigere nequeunt. – 126. Plures eiusdem instituti sodalitates in uno eodemque loco erigere nefas est, praeter sodalitates SSmi Sacramenti et Doctrinae Christianae. – 127. Sodalitates SSmi Sacramenti absque aggregatione participes fiunt indulgentiarum, quas habet archiconfraternitas ad Minervam in Urbe instituta. – 128. Sicubi erecta confraternitas Doctrinae Christianae archisodalitio Urbis aggregatur, ceterae eiusdem loci nova aggregatione non indigent. – 129. Pro actu aggregationis exigi nequit plus quam scutatum *unum* aureum. – 130. Ad erectionem confraternitatis necessaria est auctoritas Superioris ecclesiastici, sive saecularis sive regularis. – 131. Non raro evenit, ut erectionis decretum intercidat, et magni intersit illud statuere, an sodalitas ecclesiastica sit, an laica, et duo praesertim casus adnotantur. – 132. Quae argumenta et coniecturae ecclesiasticitatem demonstrent, remissive. – 133. Item quae laicalitatem, remissive. De sodalitatibus in ecclesiis regularibus erectis alibi agitur.

114. Prima sodalitatum vestigia non quaerimus apud ethnicos in veteribus Romanorum collegiis tibicinum, artificum, dentrophorum atque augurum ac sacrificulorum et similium, veluti vulgo fere fit. Melius profecto earumdem cunabula reperiri posse videntur apud primitivos Christifideles, quorum « credentium erat » cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, » aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia » *(Act. v. 32. cap. 4.)*. Quin imo nonne ipsi ad agapes celebrandas conveniebant in unum? cumque tyrannorum ira saeviret, nonne in sacratissima catacumbarum latibula ad religionis actus exercendos magno numero statis horis confluebant?

115. Sed nostrarum sodalitatum satis expressam imaginem ac formam Bassus, Episcopus Anagninus, in suo laudato opere de sodalitiis *(cap. ult. in fin.)* adinvenit anno Christi 852. apud Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, qui capitula scripsit ad presbyteros suae paroeciae, inter quae XVI. habetur hoc titulo: *De confratriis, eorumque conventibus, quomodo celebrari debeant:* incipit vero: *Ut de collectis, quas ghildonias, vel confratrias vulgo vocant, etc.* Quo capite normas illis delineavit, quae pietatem redolent eximiam, et charitatem erga proximum impense commendant apud Harduinum *(tom. 5.)*. Eadem leguntur in Concilio Nannetensi circa annum 900. celebrato, apud Harduinum *(tom.6.)*.

116. Paulo recentius S. Franciscus ab Assisio institutum tertii Ordinis excogitavit, cui seu viri, seu feminae nomen dabant. Ex hoc instituto ortum habuit Religio, cui titulus *Tertii Ordinis S. Francisci* iuxta eam formam, quae nostris hisce temporibus adhuc viget: quae porro hodie inter regulares familias, minime vero inter sodalitates recensetur. At vero institutum ipsum iuxta primitivam formam nequaquam defecit; namque adhuc exstant viri ac feminae, qui domi suae manentes, suumque habitum haud immutantes piis operibus, sodalitatum more, operam navant, et inter se charitatis vinculo coniuncti laicalem sodalitatem toto orbe diffusam plurimis indulgentiis, privilegiis et gratiis ab Apostolica Sede concessis perfruuntur.

117. Eodem ferme tempore excelluit S. Dominicus, Ordinis Praedicatorum fundator et auctor, qui divinitus admonitus ad grassantem Albigensium haeresim pervincendam ac debellandam piam rosarii formulam invenit vulgavitque, ac sub eo nomine viros ac feminas eadem ratione, qua S. Franciscus, in vinculo

charitatis coniunxit, qui religionis opera et charitatis christianae officia exercerent.

118. Neque silentio praetereundae sunt sodalitates Corrigiatorum S. Augustini, Scapularis S. Mariae de Carmelo, et aliae ab aliis Regularibus invectae; hic enim celebriores tantummodo innuimus. Quoniam vero huiusmodi sacra instituta, tametsi plurimam in Ecclesia Dei spiritualium fructuum segetem elicerent, nihilominus utpote ex hominibus, non ex Angelis coalescentia, aliquando nonnullis incommodis causam suppeditarent, Summi Pontifices Ecclesiae universalis sollicitudinem humero sustinentes suam ipsis vigilantiam ac providentiam impendere non destiterunt, ut finem, ad quem comparata erant, nedum non relinquerent, quin imo alacrius etiam atque etiam insisterent ac tutius assequerentur. Deinde, cum primariae sodalitates, Romae praesertim sedem habentes, vulgo archiconfraternitates, inter alia privilegia eo etiam perfruantur, ut alias sodalitates per alia totius catholici orbis loca aggregare queant, unaque illis indulgentias ac spirituales favores sibi impertitos communicandi ius obtineant, hinc accidebat, ut hoc etiam ex fonte persaepe dubitationes, lites, dissidia, aliaque incommoda subnascerentur. Itaque s. m. Clemens VIII. saluberrimam Constitutionem edidit die 7. Decembris 1604. incipien. *Quaecumque,* quae solemnem atque canonicam omnibus huiusmodi sodalitiis formam in modum uniformis constantisque regulae praeberet. Etiam s. m. Pius PP. IX. literas encyclicas ope S. C. Indul. dari iussit, quibus hanc Constitutionem confirmat et inculcat.

119. Praecipua vero Constitutionis huiusce capita haec sunt, quod unica tantum confraternitas eiusdem generis in uno eodemque loco aggregari, vel institui debeat cum venia et testimonialibus Episcopi literis; quod indulgentiae communicentur, quae directe, minime vero quae per viam communicationis acceptae fuerint, eaeque recognoscantur ab Episcopo et promulgentur; quod in aggregatione, vel institutione earumdem forma servetur ab hac ipsa Constitutione praescripta; quod eleemosynae accipiantur iuxta formam ab Ordinario assignandam, et pro ecclesia aliisque piis usibus prudenti eius arbitrio erogentur.

120. Haec est summa huiusce Constitutionis; quoniam vero fundamentum quodammodo constituit illius iuris, quod hac in re unice servandum est, eam per extensum in volumine III. sub

n. 63. dabimus. Quod inchoavit Clemens VIII., perfecit Paulus V. qui pone sequutus est. Hic enim formam assignavit adhibendam in erigendis, seu instituendis, confirmandisque confraternitatibus et communicandis indulgentiis et gratiis: formulam insuper praescripsit, quae in aggregationibus adhibenda est. Utramque vide penes Ferraris verbo *Confraternitas art. 1. a num. 16.* Quia vero paulatim defectus irrepserant, qui validitatem erectionum, aggregationum et receptionum in dubium vocare debebant, Sacra Congregatio Indulgentiarum tribus decretis remedium attulit et formulas aggregationum reformavit. Vide vol. III. num. 64–68.

121. Clementis VIII. Constitutio quamvis praecipue aggregationes respiciat, quae ab archisodalitiis fieri permittuntur, nihilominus una loquitur de novis sodalitiorum erectionibus, quas ab Episcopis peragi contingat. Si igitur aliqua de novo ab Episcopo sodalitas erigenda esset, formam decreti erectionis suppeditat Monacellus *Form. Eccl. tit. 6. form. 11.* necnon *tit. 13. form. 6.*, quam suo more idem auctor doctissime commentatur. Itaque animadvertit ibidem *num. 1.*, principales auctores cuiuscumque sodalitii esse debere viros probos et charitate christiana fervidos, quaerentes non sua, sed quae Iesu Christi sunt: dein *num. 22.* addit, laicorum sodalitates ad hoc in Ecclesia catholica constitutas esse, ut sodales in vinculo fraternae dilectionis opera pietatis, misericordiae et charitatis exerceant, utque nihil omnino in suum commodum convertere solliciti, tantummodo charismata meliora aemulari inter se certent.

122. Formam a Clemente VIII. inductam communem esse notavimus omnibus sodalitiis; eaque si non servetur, actus corruit, et aggregatio non valet, veluti docet Leon *Thes. For. Ecc. pag. 4. cap. 2. n. 103. ac 104.* apud Ferraris *loc. cit. n. 19.*, et diserte declaravit Paulus V. in Constit. *Quae salubriter*, quam dabimus in volumine III. sub num. 69. Nam Summus Pontifex gravissime praecipit, ut personae ius aggregandi obtinentes « nul» las in posterum indulgentias communicare possint, nisi praedi» ctae Constitutionis (Clem. VIII.) forma servata, et eas solummo» do, quae a nobis illis praescribitur... sub poenis in iisdem literis » contentis. » Iamvero erectiones factae contra praescriptionem Clementinae Constitutionis irritae ac nullae eodem declarantur.

123. Sodalitia Chordigerorum erigere possunt ex praescripto Pontificiarum Constitutionum Patres Conventuales; ubi vero hi

desiderantur, ius hoc ad Minores de Observantia devolvitur (Ferraris *loc. cit. n. 22. ac seq.*). Item sodalitia SSmi Rosarii Religiosis Ordinis Praedicatorum erigendi ius est, (Ferraris *loc. cit. num. 25. et seq.*) idemque dicendum de Corrigiatis S. Augustini, Scapularibus S. Mariae de Carmelo, aliisque sodalitiis aliorum Regularium iuxta specialia a S. Sede accepta privilegia (Ferraris *loc. cit. n. 27. et 28.*).

124. Regulares, qui Apostolicam facultatem obtinent instituendi confraternitates in suis ecclesiis, non possunt illas erigere, seu instituere cum usu saccorum absque Ordinarii loci licentia. (S. C. Episc. et Regul. in *Baren.* 6. Aprilis 1595., *Tirasonen.* 6. Novembr. 1595., 14. Martii 1599., 5. Maii 1645. apud Ferraris *loc. cit. n. 37.*). Huiusmodi vero erectiones nedum in propriis ecclesiis, sed et in alienis peragere valent iidem Regulares, servatis servandis, (Ferraris *loc. cit. num. 40.*) sodalitates vero aggregatae in partem veniunt solummodo indulgentiarum, favorumque spiritualium ad formam Constit. *Quaecumque,* minime vero privilegiorum, quae archisodalitiis aggregantibus concessa sunt (S. C. Episc. et Regul. in *Brugnaten.* 23. Novembr. 1691. apud Ferraris *loc. cit. n. 41.*).

125. Personae privatae sodalium collegium, vel universitatem erigere et constituere non possunt, nisi eis hoc a Superiore concedatur, ut notat Barbosa in *Cap.* Dilectio *n. 1. et 2. de ecc. prael.* apud Monacell. *Tit. 13. form. 6. n. 7.*

126. Quamvis in Clementina Constitutione prohibeatur, ne in uno eodemque loco plures erigantur sodalitates eiusdem nominis et instituti, attamen huiusmodi prohibitio non extenditur ad sodalitatem SSmi Sacramenti, imo ex declaratione S. Congr. Indulgent. 7. Februarii 1607. cum approbatione Pauli V. exoptandum est, ut in qualibet ecclesia parochiali fundetur, etiamsi quaelibet alia confraternitas in eadem erecta reperiatur (S. C. Episc. et Regul. in *Vercellen.* 3. Februarii 1610.). Eadem prohibitio neque similiter afficit sodalitates Doctrinae Christianae, quae erigi debent in unaquaque paroecia, ut decrevit S. C. Episc. et Regul. in dicta *Vercellen.,* et plurimum commendavit Innoc. XI. suis Literis encyclicis ad omnes Episcopos datis 22. Iunii 1686. Vide Ferraris *loc. cit. n. 29. 30. 31.*

127. Ceterum sodalitates SSmi Sacramenti ubique terrarum erectae vel erigendae absque nova concessione et aggregatione

participes fiunt omnium indulgentiarum, quae concessae sunt, vel conceduntur archisodalitio eiusdem instituti, quod in templo ad Minervam in Urbe erectum exstat (S. C. Indulg. 15. Februarii 1687. apud Ferraris *loc. cit. n. 44.*).

128. Si in aliquo oppido sodalitas Doctrinae Christianae iam erecta archisodalitio olim in alma Urbe in ecclesia S. Martini, hodie vero in ecclesia S. Mariae a Planctu nuncupatae aggregetur, aliae sodalitates in eiusdem oppidi parochiis erigendae, ut indulgentiis archisodalitii propriis potiantur, nova aggregatione opus non habent, ut declaravit S. C. Indulg. 23. Mart. 1711. apud Ferraris *l. c. n. 45.*, ubi declarationem per extensum praebet.

129. Ex decreto S. Congr. Indulg. 6. Mart. 1608., quod ex toto similiter exhibet Ferraris *loc. cit. n. 47.* necnon et ex decretis d. d. 10. Aprilis 1720. et 11. Maii 1722. pro actu aggregationis exigi nequit plus quam scutatum unum aureum, sub poenis contra violatores in iisdem decretis irrogatis.

130. Ad erectionem confraternitatis ecclesiasticae necessaria omnino est auctoritas Superioris ecclesiastici, vel vera, vel saltem praesumpta. Rota in *Pistorien. Benef.* 13. Ian. 1738. *coram Vais;* Superior vero ecclesiasticus in materia, de qua agitur, non est semper Episcopus; nam et esse potest Superior regularis, si agatur de sodalitatibus erigendis in propriis, vel alienis ecclesiis, quas nimirum ex peculiari Apostolico privilegio erigendi ius habent (Ferraris *loc. cit. Addit. ex alien. man. num. 1. ad 4.*). Ceterum aliae sodalitates a solo Episcopo erigi queunt (Rota in *Cassanen. Trans. Confrat.* 8. Maii 1744. §. *8. coram Brussio.* Ferraris *loc. cit. n. 5.*).

131. Non raro accidit, ut omnino lateat, an ecclesiastici Superioris auctoritas in erectione sodalitatum intercesserit, sive id fiat ex eo, quod in tenebris antiquitatis id delitescat, sive quod incendia, bella, aliaque huiusmodi infortunia erectionis decretum absumpserint atque perdiderint. Itaque dubitatur, an sodalitas inter loca ecclesiastica, vel laica recensenda sit: neque superflua est huiusmodi controversia, cum pluribus de rebus, tum nominatim primo ex causa iurispatronatus, quo non raro super aliqua ecclesiastica capellania perfruuntur; secundo ex causa beneplaciti Apostolici, quo necessario opus est in sodalitatibus canonice erectis, ut contractus, qui alienationis nomine veniunt, rite ac valide celebrari queant.

132. Ad primum quod attinet, nemo nescit per sacros canones quadrimestre ad nominandum tempus patrono laico, semestre ecclesiastico attribui, eamque doctrinam cum personis laicis et ecclesiasticis physice consideratis, tum moraliter inspectis omni procul dubio accommodari. Sub hoc aspectu disceptabatur magistralis decisio S. Rotae in *Urbanien. Archiep.* 27. Maii 1697. *coram Ansaldo*, quam per extensum refert Monacell. in *Append. sub n. 35.*, in qua totus controversiae cardo in eo versabatur, an tempus ad nominandum utile quadrimestre, vel semestre reputandum foret. Hinc non sine multa doctrina et ordine referuntur coniecturae et argumenta, tum quae locorum piorum huiusmodi ecclesiasticam qualitatem, tum quae viceversa laicam naturam suadent atque demonstrant.

133. Ad alterum quod attinet, facit causa *Ferrarien. Super affr. can.* 10. Sept. 1852. et 29. Iul. 1853. apud S. Congr. Episc. et Regul. Administratores namque unius ex istiusmodi locis piis bona quaedam permagni valoris in emphyteusim concesserant. Emphyteuta beneficio legis utens a pro-thesaurario die 9. Martii 1848. promulgatae bona ipsa certo iuxta conditiones in ea lege praestitutas pretio redemerat, itaque dominium directum cum utili consolidaverat. Pontificia ditione post civiles illius temporis vices restituta, administratores pro tempore ingens ex ea redemptione, vulgo affrancatione detrimentum loco pio profecturum perdolentes, nullitatem affrancationis ex beneplaciti Apostolici defectu mordicus propugnabant. At vero emphyteuta nullam beneplaciti Apostolici necessitatem adfuisse replicabat, quippe de loco agebatur, qui inter laica, minime vero inter ecclesiastica loca computandum erat. Cum itaque rationum momenta, quae ad laicam loci illius qualitatem comprobandam afferebantur, maioris ponderis esse bis Emi Patres iudicavissent, administratores causa cadere debuerunt. Ceterum si quis huius argumenti penitiorem acquirere notitiam cupiat, adeat Bassum de *Sodal. qu. VI.*, et Pignat. *tom. 4. Cons. 21.*, item *quaest. VIII.*, necnon de Rosa *Cons. 10. per tot. Capon. discept. 276. tom. 4.*, Pilaia *Decis. Pont. lib. 2. dec. 5. de Eccl. loc. cit. a n. 28. et seq.*, Ferraris verbo *Confraternitas art. 6. in princ.*

De sodalitatibus in ecclesiis Regularium erectis res erit in proximo articulo tertio huiusce paragraphi, ubi de iure visitandi loca pia ad Episcopos pertinente sermo fit.

### Art. II. De iure condendi statuta, comitia celebrandi, et officiales eligendi.

Summarium. 134. 135. 136. Sodalitia possunt statuta sibi condere; sed ab Ordinario, et non ab alio approbanda sunt. Eadem potest mutare Episcopus, dummodo ab Apostolica Sede confirmata non fuerint. – 137. 138. 139. De causa *Spoletana*. – 140. Sicubi statuta deesse, vel correctione indigere viderit S. C., eadem confici vel corrigi iubet. – 141. Sodales ius habent conventus habendi, neque eos potest Episcopus absque causa prohibere. – 142. Sed Episcopo sive per se, sive per alium conventui interesse licet. – 143. Episcopus moneri debet de conventibus extraordinariis dumtaxat, eisque potest interesse, etiamsi sodalitia erecta sint in ecclesiis Regularium. – 144. 145. Quae servanda sint circa modum conventus. – 146. 147. Quid requiratur, ut conventus legitimus dici possit, praesertim si agatur de rebus gravibus. – 148. Vota debent esse secreta. – 149. Dari debent collegialiter. – 150. Quid de fratribus germanis et sobrinis dicendum, an votum ferre queant. – 151. Quid servandum sit circa locum conventus. – 152. Sodalitates habent ius eligendi suos officiales, reservata Episcopo facultate eos confirmandi. – 153. Absque Ordinarii licentia officiales, exspirato tempore officii, nequeunt in eo continuare. – 154. Plura vide apud Bassum. – 155. Hactenus dicta confirmantur ex iis, quae peculiariter statuta sunt in sequentibus declarationibus. – 156. S. C. Conc. in *Asculana* declaravit, officiales confraternitatis convocare posse conventus tam generales, quam particulares, devenire ad electiones officialium, aliaque negotia proponere ac determinare sine licentia et assistentia Episcopi sive per se, sive per alium; ipsum vero sive per se, sive per alium conventibus generalibus in aliquo casu posse intervenire; sed non posse ferre suffragium; posse officiales et ministros non idoneos ac exceptionibus obnoxios removere; officiales teneri Episcopo reddere rationem sive in visitatione, sive extra, officiales non posse acceptare legata et pecunias investire, sed quoad legata lucrativa et erogationes posse id cum participatione Episcopi; tandem contribuere expensis visitationis. – 157. In *Civitatis Plebis* resolvit, confratres Mortis sese potuisse transferre ad aliam ecclesiam pro exercendis assuetis officiis; itemque se coadunare et eligere officiales sine Episcopi sive per se, sive per alium interventu, at praehabita eius notitia; in casu non sese locum deputationi alterius; non posse confratres officiales confirmare, vel de novo eligere sine licentia Ordinarii; esse locum novae officialium extractioni, petita venia ab Episcopo. – 158. In *Balneoregien.* edixit, non esse locum electioni alumni, et subministrationi, et non sustineri electionem iam factam, confratres ultimo deletos esse confirmandos, et novos electos ab Episcopo esse delendos, restituendam esse confratribus facultatem ad-

ministrandi et exigendi reditus. Expensas litis non a confratribus solvendas esse sed ex reditibus confraternitatis. – 159. In *Assisien.* edixit, Episcopos vel Vicarios foraneos certiorandos, et confratres monendos singulatim in propriis domibus pro conventibus extraordinariis tantum, ab administratoribus fieri non posse expensas ultra scutata 3 sine consensu collegialiter dato; itemque sine venia Episcopi. Officiales teneri deponere sortes censuum aliorumque creditorum, neque facere posse investimenta sine Ordinarii approbatione; deponenda subsidia dotalia statim post puellarum extractionem, vel nominationem; faciendum esse librum resolutionum, et codicem administrationis oeconomicae; vota debere esse secreta, et sufficere pro re concludenda maiorem partem; buxolos faciendos esse iuxta solitum, sed cum approbatione Episcopi; non esse locum circumscriptioni conventus, de quo res erat.

134. Primam huiusce articuli partem explicaturi, Bassum *de Sodalit. quaest. IV.*, ubi quaerit, an sodalitates statuta et ordinationes condere possint, ita docentem afferimus: « Respondetur, posse in concernentibus earum Institutum, et quidem cum licentia Ordinarii ad formam Bullae Clem. VIII. §. 5. (S. C. Conc. in *Ulyssiponen.* 3. Iunii 1690., Monacell. *Form. leg. tit. 6. form. 11. num. 11., tit. 13. form. 6. n. 5.*), dummodo eadem statuta, correcta emendata et ab Ordinario confirmata sint; cum Episcopus possit ipsa statuta, prout melius expediet, revocare, mutare (Monacell. *ubi supra, tit. 13. ad form. 1. num. 49.*). Verum si statuta, seu constitutiones confraternitatum sint confirmatae a S. Sede Apostolica, nequeunt amplius mutari, aut corrigi ab inferioribus (S. C. Episc. et Regul. in *Astoricen.* 17. Febr. 1603); non enim convenit, quod mutari possint ea, quae S. Sedes confirmaverit. »

135. Quoniam vero Bassus Clementis Constitutionem appellat, huius verba exscribimus §. 5., ubi prohibet archisodalitiis, ne statuta sua sodalitiis aggregatis impertiant, « nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.» Idipsum declaravit S. C. Conc. in *Potentina Aggreg.* 29. Maii 1683. *ad prim. dub.*, quod per extensum cum aliis tribus refert Monacell. *Tit. 13. form. 6. n. 6.*

136. Quae cum ita sint, statuta nemo confirmare potest, invito vel inconsulto Episcopo; nam ipsi unice ea res competit, ac

praeterea nemini (S. C. Rit. in *Elboren.* 7. Octobr. 1617. apud Ferraris verbo *Confrat. art. VI. n. 22.*).

137. In hoc argumento, de quo res hic est, non èrit fortasse superfluum, causam referre *Spoletanam Super appr. stat. sod.* 10. Septembris 1852. et 16. Ian. 1854. penes S. Congr. Episc. et Regul. In sodalitio oppidi Bevaniae dictae dioecesis sub titulo vulgo *Gonfalone*, per quamdam sodalium deputationem statuta condita fuerant, et S. Congregationi pro approbatione delata, etiamsi huius interventus ex iure necessarius non sit. Interim Archiepiscopus nonnullis de causis sodalibus interdixerat, ne in comitia coirent. Itaque duo dubia concinnata sunt: « 1. An et » quomodo approbandum sit statutum in casu? 2. An et quo- » modo omnes sodales in ius interveniendi generalibus comi- » tiis re lintegrandi sint? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. » et 2. dilata et ad mentem »; mens est, « quod, suspensa qualibet » generali Congregatione tam ordinaria, quam extraordinaria, » R. P. D. Archiepiscopus congruum virorum numerum, in quibus » unus uti praeses adsit, qui sodalitii administrationem adsu- » mant, et in se recipiant, ipsique Archiepiscopo rationem red- » dant, satisfactis oneribus et obligationibus assumptis erga le- » gitime congregatos, non impeditis piis operibus, exclusis interim » novis sodalium aggregationibus. Conficiantur interim nova sta- » tuta enucleatim concinnanda, quae approbationi submittantur » S. Congregationis, cuius nomine aget ipse Archiepiscopus. »

138. Cum sodalitas nova statuta condidisset et S. Congregationi repraesentasset, iterum propositis duobus, quae supra allata sunt, dubiis, Emi Patres die 16. Iunii 1854. rescripserunt rursus: « Ad 1. et 2. dilata, et ad mentem; » mens est, « ut scribatur Ar- » chiepiscopo, qui suas exhibeat animadversiones circa statuta, » quae oblata fuerant, ac prae oculis habeat quidquid partem » constituit principalem circa ea, quae res spirituales et opera » pietatis respiciant; necnon curet habere statutum confraterni- » tatis, vulgo *Gonfalone* almae Urbis, ex quibus sibi normam » arripiat. »

139. Post haec, quid ulterius acciderit, ignoratur; neque enim causa isthaec ad generalia S. Congregationis comitia redi- tum umquam fecit.

140. Si quando contingat, ut S. C. Episc. et Regul. intelligat, statuta in sodalitio, de quo agitur, vel non exstare, vel ea, quae

exstant, aliquo gravi defectu laborare, praecipere non omittit, ut eadem iuxta allatam Ecclesiae disciplinam conficiantur, vel corrigantur et emendentur, quod pluribus in casibus praescriptum fuisse vidi.

141. Ad alteram de iure celebrandi comitia partem gradum facientes, statuimus in primis, ex cuiuscumque collegii legitime erecti natura profluere, ut collegae in conventum coire libere possint, ac deliberationes capere, quin huiusmodi libertas, ordinarie loquendo, intercipi ac turbari queat. (Frances *de Eccl. cath. cap. 25. num. 330.*, Barbosa *Decis. Ap. coll. 207. n. 12.*, Ferraris verbo *Confrat. art. 3. n. 33.*, Bass. *de Sodal. qu. 14. n. 13.*, apud S. C. Conc. in *Assisien.* 10. Septembris 1785. §. *Verum*). Sodalibus proinde congregationes habere licitum est absque speciali Episcopi facultate (S. Congr. Conc. in *Assisien. loc. cit.*). Ferraris *loc. cit.* insuper docet, Episcopum non posse prohibere, vel restringere confraternitatibus, praesertim aggregatis, solita exercitia, ex. gr. non potest sodalitio a Morte nuncupato vetare, ne defunctos sepeliat post horam 23.; (S. C. Episc. et Regul. in *Ferrarien.* 12. Ianuarii 1592.). Subinde *n. 33.* idem Ferrarius sodalitiorum libertatem pro comitiis celebrandis fuse demonstrat usque ad *n. 36.*

142. Id autem ita intelligendum est, ut idcirco Episcopo haud liceat sive per se, sive per virum a se deputatum comitiis interesse, modo novitates non admittat. (S. C. Conc. in *Ragusina* 1. Aprilis 1596., *Cosentin.* 14. Iul. 1600. penes Ferrar. *loc. cit. num. 16.*). Consulatur etiam folium in cit. *Assisien.* §. *Sodalium*, ubi hoc argumentum evolvitur, ac doctores inter se discrepantes amice componuntur.

143. Episcopus moneri debet de conventibus extraordinariis, minime vero de ordinariis. Vide *Assisien.* infra in num. 159. una cum dubiis eorumque responsionibus afferendam. Imo potest Episcopus per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire et assistere confratrum comitiis, etiamsi fiant in ecclesiis et oratoriis Regularium, in quibus sodalitates reperiuntur erectae, absque eo, quod possit excludi, ut respondit S. C. Episc. et Regul. *Caesenaten.* 24. Novembr. 1690. apud Ferraris *loc. cit. n. 17.*, votum tamen dare non potest (S. C. Conc. in *Senogallien.* 4. Iunii 1701., Ferraris *loc. cit.* et folium S. C. C. in *Balneoreg.* 14. Ianuarii 1769. §. *Quare*, ubi resolutio *Senogalliensis* per extensum refertur).

144. Circa modum adhibendum in sodalium convocatione sic legitur in folio dictae *Balneor.* ad diem 26. Aug. 1769. §. *Si quae.* « Si, quae de capituli convocatione a doctoribus traduntur, transferre licet ad convocationem congregationum, quae a confratribus haberi solent, compertum erit, moneri praesentes per diem ante oportere de die, hora et loco, *(Gloss. Cap.* Si de Cap. *de conc. praeb..,* Petra *Comm. ad Const. 1. S. Leonis Magni, sect. 2. n. 44.)* non ita tamen necesse esse, ut in ipsa convocatione res pertractanda significetur, quemadmodum tradit Card. Petra *loc. cit.,* et declaravit S. Congreg. in *Lunen. Sarzanen.* 12. Mart. 1655. *ad 4.* Ratio autem est, quia qui suffragium ferre debent, possunt dilationem exposcere, ut consultius respondeant de re ad deliberandum proposita. Monet insuper Card. Petra eodem in loco, attendendum potissimum esse stylum, et consuetudinem, seu capituli statutum, quo immutato iure possent capitulares actum irritare (Passer. *cap. 10. n. 49. de Elect.*). »

145. Secus autem se res habet, quando ex statutorum praescripto, vel ex antiquiore sodalitii consuetudine omnibus innotescit, congregationes fieri certis diebus, vel occasionibus, ex. gr. post processiones, quando sodales ad proprias redeant ecclesias. Quoties enim certa est dies praestituta, nulla amplius monitio, seu interpellatio requiritur (S. C. Conc. in *Assisien.* 21. Ian. 1796. §. *ad II.*).

146. Nonnullas a Basso traditas regulas circa deliberationes sodalitatum adiungimus, quae nosse in praxi non erit inutile. Idem itaque in laudato opere *de sodal. qu. 14. num. 8.* statuit regulam, « ut congregatio, sive adunantia de more legitime intimata et coadunata possit determinare et resolutionem capere, etiamsi non interveniant duae ex tribus partibus, aut maior pars confratrum; nam maior pars universitatis, collegii, seu capituli constituitur per praesentes, non habita ratione absentium (Rota coram Buratto *Decis. 573. num. 22.,* et *Decis. 85. n. 9.* coram Celso), dummodo non adsit statutum, quod aliud determinet (Monac. *Tit. 6. formul. 11. n. 22.*). »

147. Admonet vero Bassus numero sequenti, id quidem sibi arridere, si de rebus agatur non gravibus: alias tutius esse putat, si ad Episcopum confugiatur, qui hunc usum ratum habeat, aut specialem licentiam tribuat comitia celebrandi ac deliberationes

capiendi, tametsi fratres, licet omnes iuxta solitum invitati, ad comitia non accedant.

148. « Vota (idem docet *loc. cit. n. 10.*) in huiusmodi con» fraternitatibus sive adunantiis ad servandam libertatem debent » esse secreta (Card. Petra, de Luca *Miscell. eccl. Dis. 4. n. 25.*).

149. » Vota etiam confratrum (idem *n. 11.*) debent dari uti » ab universis collegiatim, non uti a singulis: et ideo illorum » consensus praestitus extra congregationem, seu collegium non » suffragatur (Rota coram Buratto *Decis. 225. num. 3. et 4. et* » *Decis. 193. n. 5.* coram Caval.).

150. » Obiter notandum (idem *n. 12.*), quod etiam fratres » germani et sobrini, sive etiam patrui ac nepotes non prohiben» tur omnes dare vota, sive suffragia, nisi obstet legitima con» suetudo, aut statutum (quod tamen esset laudabile), aut nisi » ageretur de interesse eorumdem consanguineorum in primo et » secundo gradu, Monacell. *Tit. 14. form. 8. n. 3. et seq.*, ubi in » *n. 6.*, quod etiam plures canonici fratres germani, vel sobrini, » aut patrui et plures nepotes in capitulo existentes, de iure » habent omnes vocem in actis capitularibus, non obstante in » contrarium statuto, » quod tamen statutum ibidem Monacellus, allatis ad rem S. Congr. Conc. resolutionibus, diserte tradit esse laudabile, adeoque servandum. Vide super hac re §. *3. art. 4. de chori disc. n. 163. vol. 1. pag. 327.* Itaque Innoc. XII. resolutionem confirmavit datam a Congregatione pro reformatione locorum piorum Urbis ann. 1699., quam per extensum relatam a Basso *loc. cit. ad quae. 6.* sub titulo: *Ordini e provisioni etc.* in hoc rerum genere plurimum expedit cognoscere ac observandam tradere. Porro in eadem ad §. *Nelle congregazioni* prope finem, diserte prohibetur, ne in secretis conventibus coniuncti in primo et secundo gradu ad suffragium ferendum admittantur.

151. Comitia debent celebrari in loco ad hunc finem per consuetudinem aut statutum praefinito. At quamvis iuxta Gloss. in *Cap.* In nomine §. *Quod si v. Fieri 13. Dist.* deliberationem in loco non solito captam nullitatis vitio laborare doceatur, nihilominus Fagn. Glossae opinionem reiicit, ac sententiam adversam veram esse tradit *Lib. V. dec. Cap.* Cum ex iniuncto *de no. op. nunc.* apud fol. S. Cong. Conc. in *Cervien.* 17. April. 1790. §. *Nullam*, ac §. *Ad excludendam.*

152. Tertia pars de iure eligendi officiales explicanda superest. In quo animadverit fol. S. C. Conc. in *Civit. Pleb.* 26. Ianuarii 1760. §. *Ad ius*, ius eligendi proprios officiales et ministros profluens a naturali facultate, quae residet penes collegium, competere sodalibus, reservata solum potestate Episcopo illos eligendi ex iure devolutionis, si in tertio scrutinio sodales non convenerint (1), vel electionem de indigno peregerint. Idem confirmatur in fol. causae *Forolivian.* 21. Augusti 1784. §. *Pro.* Ad Episcopum vero pertinet ius confirmandi officiales ac ministros a sodalitate nominatos (S. Cong. Conc. in *Balneor.* 14. Ianuarii 1769. §. *Circa* et *Quare*).

153. Officiales sodalitatis post exspiratum illorum officium haud legitime continuare in eo possunt absque licentia Episcopi, vel eius Vicarii, non foranei, sed Generalis (S. C. Conc. in *Fol. Cervien.* 17. Apr. 1790. §. *Merito*).

154. Plura alia ad sodalitatum officiales pertinentia affert Bassus *l. c. Miscel. cap. ult. a n. 12. ad 16.*, ubi insuper, quae modo innuimus, idoneis auctoritatibus confirmantur.

155. Quae hactenus ostendimus, confirmationem accipiunt ex pluribus declarationibus S. C. Conc., quas idcirco ad exitum huius articuli reservavimus, ut eodem ordine ac statu, prout iacent, eas referre possemus.

156. In *Asculana* 24. Mart. 1725. haec dubia proponebantur: « 1. An liceat confratribus confraternitatis SSm̃i Suffragii terrae » Offidae convocare congregationes tam generales, quam particu- » lares, ac devenire ad electionem officialium, aliaque negotia » confraternitatis proponere ac determinare absque licentia et » assistentia Rm̃i Episcopi seu Vicarii foranei aut alterius per- » sonae per Rm̃um Episcopum deputandae? – Et quatenus affir- » mative, – 2. An saltem Rm̃us Episcopus in aliquo casu per se, » vel per alium ab ipso deputandum possit intervenire dictis » congregationibus generalibus? – Et quatenus affirmative, – 3. An » Episcopus, seu persona per eum deputanda possit suffragium » ferre? 4. An liceat Rm̃o Episcopo removere officiales et mi-

(1) *Senogall. Iuris Instr. et deput. 4. Iunii 1701. (Lib. 51. Deret. pag. 306.)*-ibi- « An temporalis deputatio capellanorum in discordia confratrum spectet ad Episco- » pum vel potius ad gubernatorem et officiales dictae confratern.? » S. C. respondit: « Spectare ad Episcopum post tertium scrutinium. »

» nistros a confratribus electos, quatenus non sint idonei, et gra-
» ves exceptiones patiantur? 5. An officiales teneantur reddere
» rationem eorum administrationis Ordinario, sive in actu visi-
» tationis, sive alio tempore, et in quo loco? 6. An officiales,
» sive confratres possint acceptare legata, et pecunias a testato-
» ribus relictas investire, vel in usus a testatoribus destinatos
» sive in alios erogare absque licentia Ordinarii? 7. An dicta
» confraternitas sanctissimi Suffragii teneatur contribuere expen-
» sis visitationis eiusdem Ordinarii? » Emi Patres rescripserunt:
« Ad 1. et 2. affirmative. Ad 3. negative. Ad 4. affirmative. Ad 5.
» affirmative tam in actu visitationis, quam extra, et in loco ab
» Episcopo designando, in terra tamen Offidae. Ad 6. negative;
» et quoad legata pure lucrativa, et erogationem in usus a te-
» statoribus designatos, affirmative, sed cum participatione Epi-
» scopi. Ad 7. affirmative. »

157. In *Civitatis Plebis* 22. Mart. 1760. haec dubia in con-
sultationem vocata sunt. « 1. An liceat ven. confraternitati Mor-
» tis Castri montis Ioveni sese transferre ab ecclesia parochiali
» ad aliam B. M. V. de Quercu ad effectum in ea exercendi as-
» sueta pietatis opera iuxta illius institutum in casu? 2. An li-
» ceat eidem ven. confraternitati libere prosequi restaurationem
» ecclesiae B. M. V. de Quercu, et iuxta illam construere man-
» siones pro eius et capellani decenti commodo necessarias,
» etiam ex caementis aliarum mansionum ruinosarum, ita ut locus
» sit in hac parte moderationi edicti seu praecepti a Rmo Or-
» dinario editi sub die 16. Ianuarii 1758. in casu? 3. An valide
» coadunari possint confratres dictae societatis absque interventu
» parochi deputati ab Episcopo, et respective eligere officiales
» ita, ut sit locus etiam in hac parte moderationi edicti seu prae-
» cepti in casu? Et quatenus negative ad primam partem, 4. An
» deputatio ab Ordinario facta in personam rev. D. Bartholomaei
» Volpini, moderni plebani Montis Ioveni sustineatur, sive potius
» sit locus deputationi alterius personae confraternitati non su-
» spectae in casu? 5. An libere possint confratres praedicti iuxta
» eorum statutum confirmare veteres officiales, seu de novo eos
» eligere, qui recenter fuerunt in officio, absque licentia Ordina-
» rii, ita ut sit locus moderationi edicti etiam in hac parte in
» casu? 6. An extractio officialium facta die 6. Ianuar. 1758.
» absque interventu dicti plebani sustineatur, ita ut in hac parte

» etiam moderari debeat edictum praefatum Rmi Ordinarii in » casu? » S. C. respondit: « Ad 1. affirmative. Ad 2. affirmative » ex fructibus exstantibus et non necessariis pro implemento ope- » rum piorum ac praevia approbatione donationis ecclesiae, et » salvis iuribus parochialibus. Ad 3. Affirmative iuxta modum, » idest praevia certioratione Episcopi, vel eius deputati. Ad 4. in » casu, de quo agitur, esse locum deputationi alterius. Ad 5. ne- » gative et amplius. Ad 6. affirmative, petita venia ab Episcopo » per confratres. »

158. In *Balneoregien.* 16. Sept. 1769. sub his dubiorum formulis controversia discussa fuit: « 1. An sit locus electioni alu- » mni et respective subministrationi annuorum scut. 30, ita ut » electio facta de persona clerici Ioannis Baptistae Ricci susti- » neatur in casu? 2. An sint reintegrandi confratres ultimo loco » deleti ab Episcopo et respective delendi novi confratres ab » Episcopo electi in casu? 3. An sit restituenda facultas officia- » libus confraternitatis administrandi et exigendi reditus eiusdem » confraternitatis ita, ut sint removenda sequestra in casu? 4. An » ad expensas praesentis litis teneantur confratres, seu potius » fieri debeant ex reditibus confraternitatis in casu? » S. C. re- scripsit: « Ad 1. negative in omnibus. Ad 2. affirmative in omni- » bus. Ad 3. affirmative in omnibus. Ad 4. negative ad primam » partem, affirmative ad secundam. »

159. In *Assisien.* 21. Ian. 1786. haec dubia concinnata sunt: « 1. An sustineatur Episcopi edictum in ea parte, in qua confra- » ternitatum officiales iubentur certiorem facere Episcopum in civi- » tate, et vicarios foraneos in dioecesi de congregationibus haben- » dis, ne conveniant sine ipsius sive vicariorum interessentia?

» 2. An sustineatur edictum in ea parte, in qua mandatur, » intimari omnes et singulos sodales in propriis domibus, ut in- » tersint congregationibus tam ordinariis, quam extraordinariis?

» 3. An sustineatur edictum in ea parte, in qua vetitum fuit » administratoribus confraternitatum facere expensas cuiuscum- » que generis usque ad scut. 3 sine collegiali consensu in plu- » ralitate suffragiorum praestita?

» 4. An sustineatur edictum in ea parte, in qua sancitum fuit, » quod si expensae cuiuscumque generis excedant scut. 3, prae- » ter approbationem maioris partis confratrum, impetrari debeat » Episcopi licentia?

» 5. An sustineatur edictum in ea parte, in qua iubetur, con-
» fraternitates, seu illarum officiales deponere in aede sacra As-
» sisii sortes censuum aliorumque creditorum in casu restitutio-
» nis cum vinculo investimenti, itemque vetantur ad investimenta
» procedere absque Ordinarii approbatione?

» 6. An sustineatur edictum in ea parte, in qua mandatur,
» fieri depositum in aede sacra subsidiorum dotalium, statim ac
» facta fuerit extractio, seu nominatio puellarum ad eadem sub-
» sidia?

» 7. An sustineatur edictum in ea parte, in qua iubetur con-
» fraternitatibus, ut praeter retentionem libri resolutionum, quae
» in congregationibus capiuntur, conficiatur alius codex admini-
» strationis oeconomicae cum adnotatione facultatum ab Ordina-
» rio pro faciendis sumptibus et investimentis datarum?

» 8. An sustineatur edictum in ea parte, in qua decernitur,
» electionem officialium faciendam esse per secreta suffragia, non
» viva voce, ac insuper conclusam non censeri, nisi concurrant
» duae ex tribus partibus suffragiorum?

» 9. An sustineatur edictum in ea parte, in qua mandatur,
» buxulos officialium fieri coram Ordinario, vel persona ab eo
» deleganda, et extractiones fieri praesentibus omnibus sodalibus?

» 10. An sit locus circumscriptioni congregationis habitae die
» 6. Febr. 1785. in casu? »

S. Congr. dicta die 21. Ianuarii 1786. rescripsit:

« Ad 1. affirmative quoad certiorationem pro extraordinariis
» tantum; in reliquis negative.

» Ad 2. et 3. Affirmative quoad extraordinarias tantum.

» Ad 4. Affirmative ad formam Synodi Episcopi Sermattei.

» Ad 5. Affirmative in omnibus.

» Ad 6. Affirmative.

» Ad 7. Affirmative in omnibus.

» Ad 8. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam,
» et suffragia maioris partis sufficere.

» Ad 9. Negative ad primam partem, et quoad secundam ser-
» vari solitum, salva approbatione Episcopi.

» Ad 10. Negative et amplius. »

—

### Art. III. De nonnullis controversiis quae circa sodalitia saepenumero oriri solent.

Summarium. 160. Decretum S. Cong. Rit. Urbis et Orbis super sodalitiis. – 161. Confraternitates erectae in ecclesiis parochialibus quoad functiones licet non parochiales pendent a parocho. – 162. Item erectae in capellis, vel oratoriis publicis et privatis, quae adnexae sunt parochialibus. – 163. Minime vero eae erectae in aliis ecclesiis, licet in ambitu parochiali. – 164. Vel in oratoriis, quae seiuncta sunt a parochialibus. – 165. ad 173. Quae functiones sint de iure parochiali, quae non. Nominatim recensentur functiones non parochiales, quae fieri possunt sine dependentia parochi. – 174. Confratres recitare possunt horas canonicas, nisi aliter statuat Ordinarius. – 175. Item celebrandam committere Missam privatam. – 176. Confraternitatum capellani possunt denuntiare vigilias et festa occurrentia. – 177. Parochus invitis confratribus nequit doctrinam christianam in eorum ecclesia tradere. – 178. Ibi possunt haberi conciones etiam in Quadragesima cum sola licentia Episcopi. – 179. Non potest ibi celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante parochialem. – 180. Quando spectet ad parochum facere officium funebre super cadaveribus. – 181. In ambitu ecclesiarum fieri possunt processiones. – 182. Minime vero extra ambitum, nisi adsit licentia Episcopi. – 183. Capellani stolam deferre nequeunt extra ecclesiam confratrum. – 184. Episcopo aspersorium porrigere ad parochum non spectat. – 185. Rectores et capellanos nequit parochus compellere ad assistendum functionibus parochialibus. – 186. Confraternitates SSmum Sacramentum retinere non possunt. – 187. Et supposita facultate nequeunt illud exponere absque Episcopi licentia. – 188. Non potest parochus se ingerere in oblationibus et eleemosynis, vel clavium capsulam tenere. – 189. Intra ecclesiam parochialem neque capellanus, neque confratres immiscere se possunt in functionibus parochialibus, et non parochialibus. – 190. Bene vero possunt suas congregationes habere absque parocho, dummodo functiones parochiales non impediant. – 191. Itemque suos reditus administrare. – 192. Si parochus intersit, tanquam Episcopi deputatus, neque simplex, neque duplex suffragium ferendi ius habet. – 193. Sartae tectaeque maneant conventiones vel consuetudines speciales, aliaque huiusmodi. Sanctissimus praecedentes resolutiones approbavit. – 194. Hoc decretum S. C. Rit. Bened. XIV. doctissime commentatus est. – 195. Et S. C. Conc., Episc. et Regul. illud accommodat etiam ecclesiis simplicibus, licet ad sodalitia non spectent. – 196. Ferraris alias etiam resolutiones super sodalitiis affert, remissive. – 197. Quae sit praecedentiae ratio inter unam et aliam confraternitatem servanda. – 198. Controversiae in so-

dalitiis suboriuntur occasione collationis beneficiorum et subsidiorum dotalium. – 199. In *Fanen.* S. C. Conc. resolvit, attinentes de sanguine testatoris ad subsidia dotalia praelative vocatas intelligi usque ad quintum gradum canonicum inclusive. Praelationem extendi ad puellas comitatus Corticeti. Sub nomine attinentium de sanguine non venire affines. Iudicium de qualitate paupertatis committendum arbitrio et conscientiae collatorum. Expensas litis subeundas ab haereditate. – 200. In *Romana* edixit, non esse exsequendum Rescriptum a Sanctissimo impetratum, non exposita conditione praescripta a testatore, qui diserte extraneas excluserat. – 201. In *Ravennaten.* edixit puellas ad subsidia nominatas non posse iterum nominari; admittendas esse puellas intra civitatem Ravennae tantum notas; praefigendum terminum puellis ad matrimonium contrahendum, et quomodo. Providendum dotibus antea collatis, et quo modo. – 202. In *Romana* praescripsit, puellis ad monasticam dotem admissis non esse praefigendum terminum ad professionem emittendam; in casu non secutae professionis dotem non archisodalitio cedere, sed locum esse novae collationi; dotes caducatas conferendas puellis anno a devolutione proximo concurrentibus; puellas dotem consecutas non posse iterum admitti; conciliatur responsio ad primum dubium huiusce causae *Romanae* cum tertio dubio *Ravennaten.* mox allatae, et primo dubio sequentis *Ferrarien.* – 203. In *Ferrarien.* censuit, puellas ab urna eductas contrahere debere matrimonium intra quinquennium, data schedula, quam exhibeant, sive in saeculo, sive in Domino nupserint; dotes vacantes, exacto quinquennio ob matrimonium temporale aut spirituale non secutum, conferendas aliis puellis. – 204. In *Narnien.* S. C. Episc. et Regul. resolvit, puellas natas a patribus pertinentibus ad antiquum coetum gonfalonierorum, vel consiliariorum, comprehensis adscriptis post decretum Borgia, vel adscribendis, habere ius ad dotem scut. 190; facienda esse statuta subiicienda S. Cong. pro moderanda pii operis administratione, ad obtinendum ius dotium tertii coetus satis esse, ut puellae nascantur et domicilium habeant Narniae; puellas proclamatas ab altari praeferendas esse puellis syngrapham stipulati matrimonii exhibentibus; dispositionem R. P. D. delegati pro Irene Fichetti esse confirmandam. – 205. In *Guastallen.* S. C. Conc. edixit, admittendas esse puellas etiam per subsequens matrimonium legitimatas, et quousque ad septimum annum in locis designatis commoratae fuerint.

160. Experientia constat, non paucas controversias oriri solere inter Episcopos et sodalitates, itemque inter parochos easdemque sodalitates, aliasque personas, prouti ostendit magnus causarum numerus, quae praesertim Sacrarum Congregationum almae Urbis iudicio delatae sunt. Iamvero ad hoc malum salu-

tari remedio reparandum ex maxima parte provide consuluit S. C. R. die 10. Dec. 1703. per *Decretum Urbis et Orbis* editum in causa, cui titulus *Iurium parochialium, functionum et praeminentiarum inter parochos et confraternitates laicorum, eorumque capellanos et officiales*. Idem decretum per extensum exscribimus ex Collectione Gardelliniana (num. 3670.): « Ad debitum imponen- » dum finem controversiis, quae inter parochos et confraternitates » saeculares, earumque capellanos et officiales super iuribus pa- » rochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeemi- » nentiis, seu praerogativis frequenter oriri solent, in S. R. C. ab » Emo et Rmo D. Cardinal. Colloredo propositis infrascriptis du- » biis videlicet:

161. » 1. An confraternitates laicorum legitime erectae in ec- » clesiis parochialibus habeant dependentiam a parocho in explen- » dis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? Resp. *Affir- » mative.*

162. » 2. An dictae confraternitates erectae in capellis, ora- » toriis tam publicis quam privatis adnexis parochialibus eccle- » siis, et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a » parocho quoad dictas functiones? Resp. *Affirmative.*

163. » 3. An confraternitates erectae in aliis ecclesiis publi- » cis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam » a parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt ecclesiae? » Resp. *Negative.*

164. » 4. An confraternitates erectae in oratoriis tum publi- » cis, tum privatis, seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad di- » ctas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a » parocho? Resp. *Negative.*

165. » 5. An benedictiones et distributiones candelarum, cine- » rum et palmarum sint de iuribus parochialibus? Resp. *Negative.*

166. » 6. An benedictiones mulierum post partum, fontis ba- » ptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus » mere parochialibus? Resp. *Negative, sed benedictiones mulierum » et fontis baptismalis fieri debere a parochis.*

167. » 7. An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de » iuribus mere parochialibus? Resp. *Negative, prout iacet.*

168. » 8. An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena » Domini sit de dictis iuribus parochialibus? Resp. *Negative, pro- » ut iacet, sed spectare ad parochos.*

169. » 9. An prima pulsatio campanarum in Sabato sancto » sit de dictis iuribus parochialibus? Resp. *Negative prout iacet,* » *sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constit. Leonis X.* » *num. 22. §. 14.*

170. » 10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive » pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus? » Resp. *Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in* » *festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, ut in* » *Brundusin. sub die* 11. Iulii 1601.

171. » 11. An expositio 40 horarum et benedictio, quae fit » super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus? Resp. » *Negative.*

172. » 12. An expositio, quae fit cum reliquiis et sacris ima- » ginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de » dictis iuribus parochialibus? Resp. *Negative, et quoad benedi-* » *ctiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta.*

173. » 13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet » a dub. 5. ad 12. expressae, peragi possint in oratoriis privatis, » contradicente parocho? Resp. *Satis provisum in superioribus.*

174. » 14. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per » confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum » cantu, vel sine, absque licentia parochi? Resp. *Affirmative, nisi* » *aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

175. » 15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio » Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente » parocho? Resp. *Affirmative.*

176. » 16. An capellani confraternitatum possint populo de- » nuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada abs- » que licentia parochi? Resp. *Affirmative.*

177. » 17. An parochus, invitis confratribus, docere possit do- » ctrinam christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis » vel privatis, a parochiali divisis et separatis? Resp. *Negative.*

178. » 18. An in praedictis ecclesiis publicis confraternitatum » possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Qua- » dragesimae et Adventus cum licentia Ordinarii absque licentia » parochi? Resp. *Affirmative.*

179. » 19. An in iisdem ecclesiis possit recitari Missa sive » lecta, sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive » cantatam? Resp. *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

180. » 20. An ad parochum spectet facere officium funebre » super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et ora- » toriis publicis confraternitatum? Resp. *Affirmative, quando tu- » mulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia » vel oratorium.*

181. » 21. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri pos- » sint processiones iuxta cuiusvis confraternitatis institutum abs- » que interventu vel licentia parochi? Resp. *Affirmative.*

182. » 22. An eaedem processiones fieri possint extra ambi- » tum dictarum ecclesiarum absque licentia ipsorum parochorum, » per quorum territorium est transeundum? Resp. *Negative, nisi » adesset licentia Episcopi.*

183. » 23. An in dictis processionibus capellani confraterni- » tatum possint deferre stolam? Resp. *Negative, extra propriam » ecclesiam.*

184. » 24. An Episcopo accedenti ad ecclesias publicas con- » fraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium re- » ctorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a » parocho, in cuius territorio sitae sunt ecclesiae? Resp. *Negative.*

185. » 25. An earumdem ecclesiarum et confraternitatum re- » ctores et capellanos possit parochus, cessante speciali ac legi- » timo titulo, et ex solo iure parochialitatis compellere invitos » ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis? Resp. *Ne- » gative.*

186. » 26. An in saepedictis ecclesiis confraternitatum, neque » parochialibus neque regularibus retineri possit SSmum Sacra- » mentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae? Resp. *Negative.*

187. » 27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra » annum publice exponi sine licentia Ordinarii? Resp. *Negative.*

188. » 28. An possit parochus se ingerere in administratio- » nem oblationum et eleemosynarum in supradictis ecclesiis re- » collectarum, vel capsulae pro ipsis recipiendis expositae clavem » retinere? Resp. *Negative.*

189. » 29. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum ca- » pellani immiscere se valeant, invito parocho, in eiusdem eccle- » siae functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus? » Resp. *Negative.*

190. » 30. An confraternitates, sive sint erectae in ecclesia » parochiali, sive extra illam, possint pro lubitu, et iuxta unius-

» cuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque » interventu et licentia parochi? Resp. *Affirmative, dummodo non » impediant functiones et divina officia.*

191. » 31. An possint propria bona administrare, ac de illis » disponere absque ulla dependentia a parocho? Resp. *Affirmative.*

192. » 32. Quando parochus iisdem congregationibus intersit » de mandato Ordinarii et tamquam eius delegatus, an possit » suffragium decisivum ferre? Et quatenus Affirmative.

193. » 33. An etiam suffragium duplex? Resp. *Negative.*

» Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione » confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et » a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et » provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem » centenariis, declaravit atque decrevit, si SSmo D. N. videbitur. » Die 10. Dec. 1703.

» Et facta deinde per me Secretarium de praedictis decretis » SSmo D. N. relatione, praevia eorumdem integra lectura, San- » ctitas Sua laudavit, benigneque approbavit et publicari, et, non » obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, ser- » vari mandavit. Die 12. mensis Ianuarii 1704. »

194. Post haec admonemus primo, huiusmodi decretum per singulas partes a Bened. XIV. *Inst. eccl. 105. a n. 83. et seq.* doctissime more suo illustrari commentarique. Quocirca, si qua controversia vel dubitatio hoc in rerum genere adhuc suboriatur, erit summopere opportunum ac forsan etiam necessarium tantum doctorem consulere ac sequi.

195. Admonemus secundo, declarationes in allato decreto comprehensas, accomodari non solum ad sedandas controversias cum sodalitatibus exortas, sed etiam alias, congrua nimirum congruis referendo, excitatas cum rectoribus aut patronis ecclesiarum simplicium, quae in ambitu parochiae sitae reperiuntur. Et sane; huiusmodi in casibus iisdem decretis inhaerere solet S. C. Conc., prout passim accidit, et praesertim deducitur ex folio *Mutinen. Aggregat.* 20. Nov. 1762., et in folio *Ianuen.* 15. Iulii 1848., ubi agebatur de quodam oratorio, in quo parochus sua iura plus aequo propugnare satagebat; et ceteroquin sodalitas nulla ibidem erecta prostabat. Idem dicendum de S. C. Episc. et Regul., quae in duabus diversis *Causis Meliten.* cum titulo *Iurisp. et funct.*, una diei 17. Mart. 1854., altera cum eodem ti-

tulo 18. Iulii 1856. dubitationes in utraque exortas amputavit, applicatis declarationibus Sacrae Congregationis Rituum in allato decreto.

196. Admonemus tertio, Ferrarium verbo *Confraternitas art. 2.* alias etiam declarationes sacrarum Congregationum referre eo nempe consilio, ut controversiae inter confraternitates, earum capellanos et parochos facilius praecidi queant. Idem agit Bassus *de Sodalit.* in toto suo tractatu, quem in hanc rem doctissime elucubravit.

197. Admonemus quarto, Ferrarium ipsum *loc. cit. art. VI. a n. 15. et seq.* nonnulla adnotare circa praecedentiam inter unam et aliam sodalitatem, quae suis heic verbis referimus: « Confra-» ternitates laicorum in processionibus procedere et praecedere » debent inter se iuxta Bullam Gregorii XIII. incip. *Exposcit.* » Sic S. Congr. Rit. in *Nepesina* 10. Maii 1608. et in *Thelesina* » 19. Martii 1611. Unde confraternitas, quae prius saccum in-» duit, praecedere debet aliis, quae postea induerunt. S. Cong. » Rit. in *Sorana* 7. Aug. 1628. et in *S. Severinae Praecedentiae* » 24. Sept. 1712. Excipitur tamen confraternitas SSm̃i Sacramenti, » cui debetur praecedentia supra omnes alias confraternitates in » illis processionibus, in quibus defertur SSm̃um Sacramentum, » prout declaravit S. C. Rit. in *Vercellen.* 18. Iunii 1695., *Cre-» monen.* 3. Aug. 1697. In aliis vero processionibus confraternitas » SSm̃i Sacramenti debet procedere et praecedere iuxta suam » antianitatem sicuti ceterae aliae, S. Cong. Rit. in *Lauden.* 18. » Iulii 1628. et *Nullius* 3. Sept. eiusdem anni. Ius praecedentiae » non attenditur in regressu a processionibus, eadem S. C. Rit. » in *Vercellen.* 18. Iunii 1695. Confratres ad conveniendum solitis » processionibus compellere potest Episcopus sub poenis pro ar-» bitrio imponendis stante possessione illos vocandi per edicta. » S. C. Conc. 21. Ian. 1622. et 8. Maii 1627. »

Quoniam vero Constitutionem Gregor. XIII. incip. *Exposcit* memoravimus, eiusdem textum hic afferre congruum arbitramur. « De nobis.... decernimus, quod quicumque ex dictis mendican-» tibus inter se de praecedentia huiusmodi contendentibus, aut » confratrum confraternitatibus praedictorum, inter quos lites et » causae praemissorum occasione ortae iam sint, seu oriri con-» tigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae ac » iuris praecedendi sunt positi, quibuscumque.... praecedere de-

» beant. » Si vero non constet de possessione praecedentiae, statuitur, ut illi sodales praecedant, « qui prius saccis induti sunt ».

198. Admonemus quinto, unum ex fontibus, unde alia similia dissidia derivant, situm esse in iure nominandi ad beneficia, vel distribuendi pias elargitiones, quod saepenumero sodalitatibus inhaeret. Ad primum quod attinet, nihil est hic plane disserere; si quidem iuxta normas iuris canonici eiusmodi quaestiones dirimendae sunt. Ad secundum quod attinet, diversi generis esse queunt piae illae elargitiones, sed praesertim ad subsidia dotalia puellis conferenda referuntur. Hinc nonnullas super hoc argumento declarationes afferemus, quibus lites et quaestiones, quae frequentissime reviviscere solent, similibus in casibus definiri ac dirimi facile queunt.

199. In *Fanen. Subs. dot.* 9. Apr. 1785. penes S. C. Conc. Fornaciarius ex oppido Carticeti haereditatem suam aere alieno purgatam pro tot dotum subsidiis scut. 25 in singulos annos puellis vel in saeculo vel in Domino nupturis erogandam esse iussit. Cavit, ut subsidium petente Catharina Lombardi avi sui abnepte, « aut alia ex meis attinentibus » (sic ipse) ea ceteris praeferrentur; quibus non exstantibus, pauperum Carticeti puellarum nomina in urnam coniici, ac sortitionis ope praelationem obtinere. Curatorem pii operis subsidiorumque collatorem nominavit parochum, in cuius locum successere collegiatae canonici. Controversiis nonnullis exortis, dubia eo pertinentia concinnata sunt: « 1. An et usque ad quem gradum praeferri debeant » puellae attinentes Iacobo Fornaciari ad assecutionem subsidii » dotalis ab eo instituti? 2. An dicta praelatio extendi debeat ad » puellas attinentes comitatus Carticeti? 3. An sub nomine atti- » nentium comprehendantur etiam affines? 4. An et de qua pau- » pertate pro assecutione dicti subsidii dotalis constare debeat » quoad puellas extraneas? 5. An expensae huius litis fieri de- » beant sumptibus haereditatis Fornaciari? » Emi Patres S. Cong. Conc. rescripserunt: « Ad 1. Affirmative usque ad quintum gradum » canonicum inclusive. Ad 2. Affirmative. Ad 3. Negative. Ad 4. » Arbitrio et conscientiae collatorum. Ad 5. Affirmative. »

200. In *Romana Subsid. dotal.* 17. Iunii 1797. Alphonsus Putignani nonnulla subsidia dotalia fundavit, ac ius nominandi reliquit sodalibus archiconfraternitatis Orationis ac Mortis in Alma Urbe erectae, hac scripta lege, ut quisque ex sodalibus nominare

posset aliquam, dummodo eadem sodalium SSmum Sacramentum et mortuorum sepulturam frequentantium sit filia, soror, nepos, aut consanguinea usque ad quartum gradum, exclusis disertissime iis, quae hisce qualitatibus destituerentur. Iamvero quatuor puellae, licet minime consanguineae, ex Rescripto Summi Pontificis ad subsidia perfruenda nominatae fuerant. Cum tamen in precibus Sanctitati Suae dimissis expressum non fuisset, quod testator diserte extraneas excluserat, quodque aliae habiles multo numero puellae aderant, quibus praeiudicium obveniebat, impetrato beneficio aperitionis oris, dubium S. C. propositum fuit: « An sit locus executioni Rescriptorum? » S. C. respondit: « Ne» gative ». Cumque iterum die 19. Augusti eiusdem anni causa ad Emorum Patrum iudicium conscendisset, confirmata resolutio fuit per responsum: « In decisis et amplius ».

201. In *Ravennaten.* 18. Mart. 1820. Franciscus Michieli totam suam haereditatem in census converti iussit, eiusdemque fructus erogari quotannis in perpetuum pro dotibus scut. quadraginta, quae a sui haeredis successoribus una cum canonicis poenitentiario ac priori dari deberent puellis quatuor, patre orbatis, ortis in urbe Ravennate, minime vero in eius burgis ac territorio. Super huiusmodi pio opere dubia, quae sequuntur, suborta sunt: « 1. An puella iam nominata ad subsidium dotale possit a quovis » ex collatoribus iterum nominari? 2. An ad subsidia dotalia » admitti debeant puellae natae intra civitatem Ravennae tan» tum, seu potius etiam illae, quae in eadem civitate domicilium » legitimo modo acquisiverint in casu? 3. An puellis nominatis » praefiniendus sit terminus ad contrahendum matrimonium sub » poena caducitatis a nominatione, ita ut tunc fiat locus novae » collationi sub eadem conditione in casu? 4. An et quomodo sit » providendum pro dotibus collatis ab anno 1779. ad ann. 1818? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. Negative. Ad 2. Affirmative » ad primam partem, negative ad secundam. Ad 3. Affirmative » pro praefixione termini duorum annorum, ita tamen, ut, elapso » biennio, dos collata puellae, quae neque nupsit, neque para» tam habeat occasionem nubendi, alteri conferatur cito nuptu» rae; firmo tamen iure favore puellae, quae nominationem re» stituit, illam iterum in proxima collatione consequendi, quatenus » nuptias conciliaverit. Ad 4. Affirmative iuxta modum, nempe » ut intimatis omnibus puellis, quae ab anno 1779. nominationem

» sunt consecutae, iisque praefixo arbitrio Archiepiscopi termino ad » docendum de inito, vel conciliato matrimonio, eoque elapso de- » nuo nominationes earum, necnon demortuarum conferantur aliis » puellis ad formam fundationis et resolutionis in tertio dubio. »

202. In *Romana Subs. dot.* 16. Dec. 1854. Ven. archisodalitium SSmae Trinitatis peregrinorum et convalescentium in Urbe uti haeres Phil. Bartholomaei tenetur quolibet anno nonnulla subsidia dotalia distribuere tribus puellis in Domino tantummodo nupturis, seu religiosam professionem emittentibus, quae tamen sodalium filiae esse debeant. Si aliquo anno huiusmodi puellae non adessent, scutata triginta subsequenti anno puellis, quae supervenissent, accrescere deberent iuxta formam a testatore praescriptam. Cum aliquae dubitationes subinde exortae fuissent, hisce verbis S. C. propositae fuerunt: « 1. An et quomodo puellis ad subsidium » dotale admissis sit praefiniendus terminus ad emittendam pro- » fessionem religiosam in casu? 2. An in casu non secutae pro- » fessionis religiosae sit locus novae collationi subsidiorum dota- » lium, seu potius haec cedant commodo archisodalitii in casu? » Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad se- » cundam. 3. An et quibus puellis eadem subsidia conferenda » sint in casu? 4. An puellae iam admissae ad subsidium dotale, » iisdem exstantibus conditionibus, iterum possint admitti in » casu? » S. C. rescripsit: « Ad 1. Negative in omnibus. Ad 2. » Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad 3. » Affirmative puellis, quae anno a devolutione proximo concur- » runt. Ad 4. Negative. » Notandum circa primum dubium id, quod in folio perpendebatur §. *Ad primum,* agi illic non de puellis incertis, ut erat casus *Ravennatensis,* at de puellis e certo genere ab ipso testatore passive vocatis, quibus propterea ulteriora onera, quam quae testator iniunxerat, imponi haud poterant; deinde agebatur de puellis religiosam emissuris professionem, quarum libertas per termini praefixionem laedi non poterat.

203. *Ferrarien. Subs. dot.* 25. Feb. 1842. Penes S. C. Episc. et Regul. Franciscus Surchi sodalitio Stigmatum bona sua reliquerat cum onere distribuendi duodecim subsidia dotalia totidem puellis ope sortitionis eligendis, iisdemque *pauperibus nativis Ferrariensibus,* (quarum tamen duae esse deberent *de Gradizza*) singulis vero honestatis bonaeque famae laude commendatis. Quo super pio relicto dubia exarserunt: « 1. An, et quomodo

» puellae ab urna eductae pro consequendis dotibus pii legati » Surchi matrimonium contrahere teneantur? et quatenus affir- » mative infra annum, 2. An adoptanda sit methodus adoptata » anno 1824., conferendo dotes vacantes aliis puellis propositis, » et ab urna eductis, quae per annum nuptias celebrant: seu » potius cedere debeant ex gratia in beneficium sodalitii, et quo- » modo? 3. An, quo casu praefata conditio intra annum adim- » pleri non debeat, quae methodus adoptanda sit ad impedien- » dum dotum cumulum in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. Affirmative ad primam partem, ad secundam infra quin- » quennium, et ad mentem; mens est, ut puellis, quae ad dotem » sortiuntur, detur schedula, quam ipsae exhibere possint, sive » nupserint in Domino, sive in saeculo (1). Ad 2. Provisum in » primo. Ad 3. Elapso quinquennio vel ob mortem, vel si ma- » trimonium, sive spirituale sive temporale, non fuerit secutum, » dotes vacantes conferantur aliis puellis, quae sortitae sunt in » additionem duodecim annuatim conferendarum. »

204. *Narnien. Subs. dot.* 15. Mart. 1861. Penes eamdem S.C. Episc. et Regul. ex testamento Dominici Alberti Narniensis, et decreto Card. Borgia reditus pro summa scutat. 500 a Dominico in testamento relictus in sex subsidia dotalia hac lege distribuendus erat, ut una dos scutat. 190 puellae assignaretur e primo coetu, qui audiebat *de' gonfalonieri*, altera dos eiusdem summae puellae de secundo coetu, qui vocatur *de' consiglieri:* quod supererat, in quatuor dotes scut. 30 divisum puellis e populo assignandum erat. Insuper praedictae omnes puellae ex dicto decreto debebant esse *natae et commorantes in paroeciis tantum civitatis Narniensis*, quamvis in testamento diceretur, quod deberent esse *di Narni*. Promulgatio novarum legum pro municipiorum constitutione illud effecerat, ut ad munera sive gonfaloniorum, sive consiliariorum admitti possent etiam ii de populo, qui qualitatibus per ipsas leges praescriptis pollerent. Itaque tum hac ex causa, tum ex alia originis ac domicilii controversiae in sequentibus dubiis comprehensae efferbuerunt: « 1. An et quomodo pro obti- » nendo iure ad dotes scut. 190 satis sit, ut puellae nascantur

(1) S. C. Episc. et Regul. nupturas in Domino ad dotes admiserat in *Pisaurien.* 26. Aug. 1616., dummodo tamen aliter a testatore praescriptum non fuerit, idest, ut dotes puellis tantummodo matrimonium temporale inituris conferantur.

» e patribus pertinentibus ad antiquum gonfaloneriorum, vel con-
» siliariorum coetum ad normam decreti Cardinalis Borgiae, seu
» potius necessarium sit, ut hi insuper sedeant in consilio ob
» electionem factam iuxta leges vigentes in casu? – Et quatenus
» negative ad primam partem, affirmative ad secundam, – 2. An et
» quomodo frui possint eodem iure, sive in concursu cum dictis
» puellis, sive absque concursu puellae natae e patribus, qui
» sedeant in consilio ad formam legum vigentium? 3. An sit locus
» alicui providentiae, et quali ad effectum melius moderandi ad-
» ministrationem pii operis in casu? 4. An et quomodo ad fruen-
» dum ius dotum tertii coetus satis sit puellis, ut nascantur et
» domicilium habeant Narniae, aut opus sit praeterea, ut natae
» sint ex patribus a Narnia oriundis? 5. An et quomodo puellae
» iam proclamatae ab altari (ad hoc videlicet enuntiatae, ut ma-
» trimonium ineant) praeferendae sint iis, quae producunt so-
» lummodo contractum (sive syngraphum) matrimonii stipulati
» in casu? – Et quatenus affirmative ad primam partem in utroque
» dubio, – 6. An confirmanda sit dispositio R. P. D. delegati ad
» favorem Irenis Fichetti? » (quae videlicet Narniae nata erat,
et commorabatur, sed pater e Narnia oriundus non erat). Emi
Patres rescripserunt: « Ad 1. Affirmative ad primam partem, com-
» prehensis adscriptis post decretum Borgiae, vel adscribendis,
» negative ad secundam. Ad 2. Provisum in primo. Ad 3. Affir-
» mative, et fiant statuta subiicienda S. Congregationi. Ad 4. Af-
» firmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad 5. Af-
» firmative. Ad 6. Affirmative. »

205. Digna denique, quae silentio non praetereatur, videtur sequens declaratio S. C. Conc., quam heic adtexere ingratum lectori minime putamus. Eadem est *Guastallen. Subs. dot.* diei 18. Dec. 1858. apud S. C. Conc. per summ. prec. Iacobus Pecorelli subsidia dotalia instituerat distribuenda pauperibus puellis sive in Domino, sive in saeculo nupturis. Praescripserat autem, ut eligerentur, quae forent honestae et bonae famae, nataeque fuissent ex vero ac legitimo matrimonio, et nunquam aliter. Subinde voluerat, ut hae in ambitu civitatis Guastallae natae educataeque (italice *allevate*) fuissent: circa duas vero determinaverat, ut in ambitu et finibus paroeciae Sancti Blasii itidem natae educataeque forent (italice, ut supra, *allevate*). Dubitatum est, an eligi posset puella, honestae quidem famae, at legitimata per

subsequens matrimonium, quae insuper Guastallae quidem orta erat, at vero anno, postquam nata fuerat, alio a parentibus una cum domicilio transvecta. Emi Patres rescripserunt generatim : « Admittendas esse ad subsidium dotale puellas etiam per sub- » sequens matrimonium legitimatas, et quousque ad septimum » saltem actatis annum commoratae fuerint in locis a testatore » designatis. »

### Art. IV. De scholis.

Summarium. 206. Episcopi ius et officium a Christo habent circa fidem, et mores populum edocendi, ac praesertim iuvenes in scholis. – 207. In aliquibus regnis non sine civilis societatis periculo hoc ius et officium vel ablatum vel interceptum. – 208. Laudatur pientissima Hispaniarum regina, quae in concordato anni 1851. Episcopis iura sua restituit. – 209. Item religiosissimus Austriae imperator, qui idem praestitit in concordato anni 1855. – 210. Optandum summopere foret, ut hoc exemplum ubique sequerentur principes. – 211. Summi Pontifices scientiarum studia semper promoverunt, eadem cum pietatis studio consociantes. – 212. In Pontificia ditione studiorum regimen ordinandum suscepit Pius VII. perfecit Leo XII. edita Constit. *Quod divina sapientia,* qua novam constituit S. Congr. a studiis nuncupatam. – 213. Quibus personis eadem coalescat, quaeque sint singularum officia. De Romana Sapientiae Universitate, de Bononiensi, aliisque in statu Pontificio institutis. – 214. De universitatum collegiis, professoribus ac reditibus. – 215. Iubetur, ut in omnibus oppidis per magistratum publicae scholae, ubi desunt, aperiantur, quae Episcopo subsint. – 216. De admissione iuvenum ad Universitates. – 217. De pietatis officiis. – 218. De sacris exercitiis quotannis peragendis. – 219. De ceteris capitibus, remissive. – 220. Constit. *Quod divina sapientia* aliquas immutationes identidem subiit. – 221. 222. Regulae traduntur pro regimine scholarum privatarum tum masculi tum foeminei sexus. – 223. S. Cong. studiorum praecipuam semper habuit curam circa studiorum patrimonia, quibus plura privilegia dilargita fuerunt. – 224. Quae postmodum adaucta sunt. – 225. Statutum est, ut in frequentioribus oppidis publicae pro foeminis scholae erigantur. – 226. De instituto *magistrarum piarum.* – 227. Ipsum in civitate Montisfalisci Card. Barbadicus instituit, et Romam invexit Clemens XI. – 228. Earum constitutiones emendatas approbavit Clemens XIII. – 229. Leo XII. Episcopos hortatus est, ut easdem in oppidis suae dioecesis instituerent. Cui subsint Romae magistrae piae. – 230. Haec omnia desumpta sunt ex opere Eminentissimi Card. Caterini tunc Secretarii Studiorum, deinceps Praefecti S. C. Concilii.

206. Unum idemque gravissimum ex officiis, quod Christus Dominus, sanctissimae fidei nostrae consummator et auctor, Ecclesiae sponsae suae vehementer iniunxit, munus certe est Christifideles edocendi, quid credere, quid agere debeant. Idem enim Apostolis alte proclamavit *Docete omnes gentes*. At huiusmodi opus tam ingens, tam vastum, tam diuturnum est, ut Apostoli, qui mortales erant ac pauci, iuxta illiusmodi effati vim et amplitudinem omni ex parte perficere minime valerent. Itaque pronum est inferre, voluisse Christum munus idem ad Apostolorum successores, nempe Episcopos extendere; cum praesertim Ecclesia, quae ceteroquin usque ad consummationem saeculi manere debeat, diu consistere non posset, si veritatis oracula circa fidem ac mores fidelibus pandere ac praescribere prohiberetur. Sed, ut christiana respublica semper et ubique eamdem fidei ac morum regulam teneat, necesse est a teneris annis mature pueriles aetatem religionis dogmata edocere, et ad christianae virtutis officia informare: ex quo illud sequitur, ut Episcopi, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, ius seu potius officium obtineant invigilandi ac satagendi, ne quid iuvenilibus animis in scholis instilletur, quod catholicae doctrinae adamussim non consentiat. Quae cum ita sint, Tridentini Patres adolescentium collegia, scholasque inter loca pia recensuerunt, in quibus episcopi iurisdictionem suam exerceant, sacram visitationem obeant, et oeconomicam administrationem tueantur ac regant (Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 8. et 9. de Reform.*). Merito proinde Bened. XIII. in sua Instructione, quam exponimus, dum de piis locis S. Congr. edoceri iubet, scholas comprehendere non omisit.

207. Dolendum tamen, ac summopere dolendum, quod supremi regnorum principes, haud raro malesuadae philosophiae consiliis, et artibus decepti, hanc provinciam suis in ditionibus Episcopis auferre non dubitarunt. Quid mirum igitur, si regnorum fundamenta nutant, principes e suo solio deturbantur, ac societas universa, veluti mare ab imis gurgitibus, miscetur atque pervertitur? Mens certe nostra non est, ut saeculari potestati scientiarum, praesertim naturalium, regimen et patrocinium denegemus (quando nimirum haec cum religione connexionem non habeant, ut aliquando contingit); ut civilem super his iurisdictionem imminuamus; ut omnem auctoritatem Ecclesiae unice arrogemus. Illud certum nobis est ostendere, tam quod pertinet ad effin-

gendos puerilis aetatis mores, tam quod pertinet ad supernaturalium veritatum semina inserenda ac excolenda, id omne proprium esse Episcoporum, id eorum vigilantiae, sollicitudini ac studio reservatum esse.

208. At vero gratiae agendae sunt Deo, quod doctiores suo periculo principes facti, quae sunt Dei, Deo reddere alicubi incipiunt. Pientissima regni Hispaniarum regina in pactis-conventis anni 1851. diei 16. Maii cum Apostolica Sede, postquam articulo primo religionem catholicam Romanam, excluso alio quocumque cultu, solam et unicam esse totius Hispaniae gentis religionem proclamavit, eiusque iura et praerogativas recognovit, asseruitque, ita pergit art. secundo: « Consequenter institutio » in universitatibus, collegiis, seminariis et scholis publicis, ac » privatis quibuscumque, erit in omnibus conformis doctrinae » eiusdem religionis catholicae; atque in hunc finem Episcopi ac » ceteri Praesules dioecesani, quorum munus est doctrinae, fidei » ac morum ac religiosae iuvenum educationi invigilare, in huius » muneris exercitio etiam circa scholas publicas nullatenus im» pedientur. » Insuper in articulo subsequenti non modo solemniter adpromittit, nullam in sui muneris partibus exercendis molestiam Episcopos passuros esse, quin brachii saecularis opem, et operam consecuturos, si quando ad impiorum hominum conatus conterendos patrocinium regiae maiestatis implorabunt.

209. Neque aliter sese gessit religiosissimus nationis Austriacae imperator, qui similiter in pactis-conventis die 18. Aug. 1855. cum Apostolica Sede initis cum aliis iuribus, hoc etiam, quod est de scholis invigilandis, redditum Episcopis voluit. « Omnis (ita » in *art. V.*) iuventutis catholicae institutio in cunctis scholis » tam publicis, quam privatis conformis erit doctrinae religionis » catholicae: Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere » dirigent religiosam iuventutis educationem in omnibus instru» ctionis locis et publicis et privatis, atque diligenter advigila» bunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod ca» tholicae religioni morumque honestati adversetur. » Subinde in *art. VI.* statuitur, nemini licere sacras disciplinas absque Episcopi venia tradere, neminem ad professorem sacrarum disciplinarum admittendum, qui ab Episcopo probatus non fuerit, neminem ad gradum in iisdem scientiis esse evehendum, qui testimonio censorum, partim ab Episcopis deligendorum, dignus

renuntiatus non fuerit. Dein *art. VII.* sancitur: « In gymnasiis, » et omnibus, quas medias vocant, scholis pro catholica iuventute » destinatis nonnisi viri catholici in professores, seu magistros » nominabuntur, et omnis institutio ad vitae christianae legem » cordibus inserendam pro rei, quae tractatur, natura composita » erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam » instructionem adhibendi sint, Episcopi, collatis inter se consiliis, » statuent. De religionis magistris pro publicis gymnasiis, mediis- » que scholis deputandis firma manebunt, quae hac de re salubri- » ter instituta sunt. » Dein *art. VIII.* iubetur: « Omnes scholarum » elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni » ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos » maiestas sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propo- » sitis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni reli- » giosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum eccle- » siasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. » In ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit » oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit. »

210. Utinam supremae per omnem catholicum orbem saeculi potestates aliquando intelligerent ac novissima provideˊrent! Utinam, quae vere bona sua sunt, apprime noscentes, tam salutarium exemplorum vestigiis insisterent, et a praecipiti, quo ruunt, tramite retrogressae liberam Episcopis pro ea, qua funguntur, divina legatione auctoritatem in scholarum regimine redderent! At certe neque animo despondendum, neque spes omnis est abiicienda; Deus enim sanabiles fecit nationes. Hac spe sustentati grave non ducimus nonnulla exponere, quae Episcopis iis in locis, ubi iis gymnasia tota, vel aliqua pars relinquitur, aut postmodo relinquetur, normam saltem suppeditare queant. Pauca siquidem praegustabimus de ea studiorum ratione, quam in sua ditione instituerunt et invexerunt ii, qui ceteroquin supremum totius catholici orbis magisterium a Christo consecuti sunt. Id autem eo etiam consilio facimus, ut cunctis ubique pateat, quam temere ac falso S. Sedes in suo principatu temporali fores ad humanas disciplinas cuilibet e populo claudere accusatur. Episcopis autem Pontificiae ditionis non erit prorsus inutile in mentem revocare leges et decreta, quibus hac in re haerere debent.

211. Nemo, qui veritatem historicam respuere non audeat, poterit diffiteri, nihil potius et antiquius Romanis Pontificibus

fuisse, quam ut studia non solum sacrarum, sed et humanarum disciplinarum insigniter promoverent. Illud vero proprium ac peculiare sibi supremi christianae respublicae Antistites vindicare possunt, quod humanae sapientiae profectum cum christianae pietatis cultu mirifice consociarent, ita ut nedum in Ecclesiam, sed et in civilem societatem ingens utilitatum copia redundarit iuxta ea, quae aiebat s. m. Sixtus V.: « literarum cognitionem, » liberalesque doctrinas et disciplinas, quibus iuventus in pu» blicis gymnasiis instruitur et eruditur, magnam christianae rei» publicae, si cum pietate coniungantur, afferre utilitatem; tunc » enim civitates et regna optime administrantur, cum sapientes » atque intelligentes gubernacula possident. »

212. Sed primus inter alia, quae in Pontificia ditione salubriter iuxta nostrorum temporum necessitates invexit, s. m. Pius VII. de nova ordinataque studiorum ratione sancienda cogitavit. Cum tamen meritis annisque iam plenus et grandis morte praereptus fuisset, s. m. Leo XII., qui proxime eidem suffectus est, homo singularis illius ingenii, consiliique, quod omnes norunt, sui decessoris cogitationem ad actum non sine summa sapientia providentiaque perduxit. Saluberrimam enim hic V. kal. Sept. anni 1824. edidit constitutionem incipien. *Quod divina sapientia.* In ea Summus Pontifex ante omnia aliis sacris Almae Urbis Congregationibus, quarum operam in Ecclesiae universalis regimine tantae utilitati esse nemo ignorat, aliam accedere iussit, quae studiis in Pontificia ditione regundis praeesset.

213. Constat ea ex S.E.R. Cardinali Secretario Status, S.R.E. Camerario, Urbis Vicario, Praefecto indicis, Praefecto (quando nempe aderat) boni regiminis, aliisque Cardinalibus, quos Summus Pontifex eligendos censuerit. Huic S. Congregationi a secretis adest dignus et idoneus vir ecclesiasticus familiaris Summi Pontificis, vel Romanae Curiae Praelatus. Subsunt huic S. Congregationi omnes Pontificiae ditionis Universitates, publicae privataeque scholae, sive marium sive mulierum, quodvis etiam collegium erudiendis adolescentibus addictum, minime vero dioecesana seminaria, quae omnimodae Episcoporum auctoritati libere iuxta Tridentinum Concilium dirigenda relinquuntur. Eiusdem S. Congregationis proprium est, non solum studiorum rationis noviter inductae (veluti modo explicabimus) observantiam urgere, verum etiam, quod maxime interest, puritati doctrinarum tra-

dendarum omni sedulitate advigilare, ludimagistrorum, quos probatiores noverit, electioni consulere, fideli denique ac diligenti universi studiorum patrimonii administrationi praecesse atque prospicere. Archigymnasio Romano (vulgo *Sapienza*) Archicancellarius praest, idemque semper est Card. Camerarius; Bononiensi Universitati alter item Archicancellarius praeficitur, nempe Bononiensis Archiepiscopus; ceteris Pontificii principatus Universitatibus praesunt locorum Archiepiscopi, vel Episcopi Cancellarii titulo decorati. Ili singuli Universitatum regimini, in suis quisque locis, advigilant, operamque navant, ut constitutiones et regulae observentur. Criminalem iurisdictionem habent in omnia crimina, quae quilibet, licet exteras, intra fines Universitatum patrarit, addita potestate infligendi modicas poenas iuxta limites ibidem praestitutos. Cuilibet Universitati Rector praepositus est, qui per se videndi munus habet, ne disciplina a professoribus, auditoribus ac famulis tenenda violetur vel remittatur, itemque ne eorumdem agendi ratio in morum honestatem ac religionem quidquam omnino peccare comperiatur.

214. Collegia subinde Summus Pontifex in singulis Universitatibus constituit, tum theologica, tum legalia, tum medico-chirurgica, tum denique philosophica, iisdemque suas tradidit normas. Agit de professoribus eorumque electione, quam per concursum iuxta solemnem, quam enucleatim praesignat, normam semper et ubique peragendam praescribit. Professorum officia praestituit, ac illud praecipue iubet, ut professores non modo tradant sanam doctrinam, ac voce et exemplo efficiant, ut animos iuvenum ad religionem et bonos mores informent, cuius rei Universitatum praesides curam diligentissimam gerunt, verum etiam in sua quisque disciplina errores ac systemata refellant, quae directe vel indirecte animum adolescentulorum corrumpere possint. Aliorum, qui Universitatibus mancipantur, officia recensere longum esset. At de reditibus Universitatum recte administrandis non est silendum, quos locorum magistratibus commendat. Hi proinde administratorem nominant, qui congruo praestito stipendio, idoneaque data fideiussione, a S. Consilio studiis regundis adprobatur. Idem quotannis album conficit sumptuum in annum totum scholasticum insequentem peragendorum, et fidelem, anno scholastico exeunte, Archicancellario vel Cancellario rationem reddit, eamque redditionem supremo suo iudicio confirmat, vel respuit eadem S. Congr. studiorum.

215. In omnibus civitatibus et oppidis ille scholarum numerus, Episcopo curante una cum loci magistratu, constituitur, qui pro civium numero, et subsidiorum modulo poterit institui. His publicis scholis Episcopus praeerit sive per se, sive per virum ecclesiasticum a se deligendum. Episcopus, vel ab eo deputatus vir advigilabit super omnibus, quae ad doctrinam moresque pertinent, itemque dabit operam, ut praeceptores doceant suos discipulos rudimenta fidei ac dogmata religionis. Episcopi hasce scholas visitare non praetermittant. Deputatus Episcopi de statu scholarum, quolibet anno exeunte, ad Episcopum referet. Magistratui disciplinam curandi, scholastica experimenta indicendi, ac praemia dispensandi, aliaque perficiendi cura relinquitur. Magistri ab Episcopo confirmantur et iustis de causis sive precario, sive perpetuo removeri possunt.

216. Post haec optimae traduntur normae tum pro adolescentibus ad Universitatem admittendis, tum pro disciplina in scholis ab auditoribus observanda, poenaeque contra violatores praestituuntur, quae dispositiones, congrua congruis referendo, ceteris publicis scholis accommodantur.

217. Specialis statutus est titulus pro pietatis officiis excolendis. Spirituale regimen alicui religiosae sodalitati committitur, quoad fieri potest. Non sine invocato Spiritu sancto studia instaurantur, eaque occasione singuli professores ac magistri fidei professionem repetunt iuxta formulam s. m. Pii IV., nec sine gratiarum actione, anno exeunte, studiorum curriculus concluditur. Singulis diebus scholasticis Missae sacrificium peragitur, cui discipuli intersunt. Diebus Dominicis in Universitatis ecclesia, seu in alia ad id designata discipuli in congregationem conveniunt, ubi recitatur officium parvum B. M. V., Missa auditur, et concio habetur, et Eucharistiae Sacramentum dispensatur.

218. Singulis annis Quadragesimae tempore spiritualia indicuntur exercitia. Hisce pietatis officiis discipuli (si ad gradus admitti velint) interesse *obligantur*, professores impense invitantur.

219. Cetera de graduum collatione in singulis scholarum classibus, de cursu scholastico ad lauream obtinendam, de annuis experimentis, de vacationibus, aliisque id genus omnibus pari sapientia compositis ordinatisque, cum pietatem (de qua praecipue allaboramus) non ita proprie respiciant, facile supersedemus.

220. Summa haec est sapientissimae illius Leoninae Constitutionis incipien. *Quod divina sapientia,* super qua veluti cardine tota studiorum ratio in ditione Pontificia agitur ac vertitur. De qua tamen monendum est, multa fuisse declarata et explanata per decretum S. Congregationis dici 2. Sept. 1833. auctoritate s. m. Gregor. XVI. confirmatum, habita nimirum ratione temporum et circumstantiarum. Sed S. Congr. studiis regundis deputata nunquam destitit, neque desistit pro rerum et adiunctorum necessitate providas ordinationes ad rectius scholarum regimen promulgare. Harum aliquas innuemus.

221. Regulae traduntur pro scholis privatis ex decreto dici 26. Septemb. 1825., quae huiusmodi sunt. Nemini sine legitima venia scholam privatam etiam gratuitam aperire liceat. Scholas clementares aperiendi venia in scriptis ab Episcopo loci conceditur. Magistri e statu Pontificio sint ingenuis orti parentibus, viginti annos nati, testimonio baptismatis praediti, religionis et integritatis laude commendati, nunquam inquisiti, aut sordidae arti addicti, non valetudine aegri, non corpore deformes. Nunquam sine examine ac fidei professione praemissa ad scholas aperiendas auctorentur. Certa distantia una schola ab altera seiungatur: ubique SSmi Redemptoris ac B. M. V. imago magis conspicuo loco ante oculos posita sit. Doctrina item christiana omnibus discipulis omnino tradatur iuxta expositionem Card. Bellarmini, aut alterius probati scriptoris. Normae pro puerorum receptione scite statuuntur. Praeter alia magistrorum officia haec peculiariter adnotanda sunt, quod schola semper ab ea prece auspicetur, qua pueri actiones omnes ad Deum referunt, et cum alia prece claudatur, qua Deo gratiae agi solent; quod Missam quotidie discipuli audire possint; quod vespere actus virtutum theologicarum eliciant, et sabbato litanias B. M. V. recitent. Cetera talia sunt, quae ad pietatem magis magisque conducunt.

222. Agitur etiam de privatis feminarum scholis, quas nulla femina sine Episcopi venia potest aperire, quin antea testimonium de morum honestate, deque aetate annorum saltem viginti et unius expleti exhibeat, et coram examinatoribus per Episcopum delectis de scientia doctrinae christianae, deque idoneitate eiusdem pro puellarum captu tradendae periculum faciat. Cetera fere collimant cum iis, quae de magistris masculis praescripta sunt. Episcopus deputatos viros vel mulieres, ut suas vices ge-

rant, poterit nominare, qui, quaeve scholis praesideant, ac regularum observantiam invigilent.

223. Unum hic paulo fusius explicare non praeterimus, in quo S. C. suas curas, repetitis vicibus, impensissime posuit; id est studiorum patrimonium, sive administratio bonorum, quae ad studia ordinata sunt tam pro alimonia praeceptorum, aut iuvenum, quam locorum, ubi schola sita est, tuitione. Praesertim vero literis encyclicis datis die 22. Sept. 1826. eadem S. C. studiis regundis praeposita, institit sese edoceri, qui sit bonorum status non solum eorum, quae magistris et discipulis alendis destinata sunt, sed etiam bonorum ad academias, religiosos Ordines magisterii onere obstrictos, aut ad quodlibet studiorum institutum pertinentium possessores et administratores sub poena caducitatis ab administratione documentum exhibere iubentur, quo constet, bona studiorum patrimonium constituentia censualibus tabulis fuisse recensita, praestationes vero et legata ad eumdem finem relicta rite fuisse publicis hypothecis inscripta. Praemia statuuntur Episcoporum iudicio iis largienda, qui bona studiorum patrimonio consecrata, quae ignorabantur, certis indiciis denuntiaverint. Huiusmodi bona prohibentur alienari, locari ultra triennium, hypothecae subiici, de iis transigi, vel aliquid remitti, aut alium quemcumque contractum iniri absque beneplacito S. Congregationis, salvo Episcoporum iure invigilandi super recta eorumdem bonorum administratione, exigendaque de hac ab administratoribus ratione redituum. Denique praeter alia privilegia, quae causis piis, quale est studiorum patrimonium, ex iure communi competunt, alia privilegia dilargiuntur, ac praesertim ea, quibus rever. Fabrica S. Petri, sacra palatia et Apostolicae Camerae donata sunt.

224. Quin uberius huiusmodi privilegia amplificata adauctaque sunt eum praesertim in finem, ut bonorum patrimonii res non solum in praesens stabiliter in tuto poni posset per inscriptionem in censuales, vel hypothecarias tabulas, aliosque actus a lege praescriptos, sed et in futurum tempus sarta tectaque servari posset; idque ut facilius ac certius assequi detur, speciales singulis locorum magistratibus et Ordinario facultates attribuuntur, ut opportunas notitias praebere, et actus a lege in bonorum tuitionem praescriptos peragere queant; veluti fusius videre est in edictalibus S. Congr. literis die 25. Ianuarii 1828.

225. Superius vidimus, privatas puellarum scholas Episcoporum iurisdictioni subiectas fuisse, certasque pro ipsis moderandis statutas fuisse leges. Sed ulterius etiam processit Pontificum Romanorum providentia; namque illud insuper saluberrime prospexerunt, ut in singulis oppidis, quae maiori populi frequentia potiuntur, publicae piarum magistrarum scholae aperiantur, ad quas cuivis e populo puellae praescriptis qualitatibus praeditae aditus pateret. De hoc saluberrimo magistrarum instituto aliqua enarrare liceat in gratiam Episcoporum exterorum, ut magis magisque elucescat, quo studio Summi Pontifices in id intendant, ut in temporali sua ditione sexus etiam femineus civilis et christianae educationis beneficii particeps fiat.

226. Hoc institutum in eo situm est, ut virgines *piarum magistrarum* nomine nuncupatae sub Episcopi regimine insimul habitent, quamvis nec claustrorum, neque religiosae professionis legibus obstrictae, et ita Deo unice vacent, unaque sincerae pietatis documenta ac manuum opificia puellis, humilioribus praesertim, vel apud eas degentibus, vel ad earum scholas convenientibus tradant. Earumdem porro studium et opera eo tendit, ut ipsae puellulae, adulta aetate, si ad coelestis Agni nuptias vocentur in christianae perfectionis studio facilius progrediantur, sin autem terreno connubio iungantur, ediscant iam, quod decet mulieres, promittentes, ut inquit Apostolus, pietatem per bona opera, diligere scilicet viros suos, regere familiam, gubernare domum, et seipsas irreprehensibiles exhibere; ita Clemens XIII., in suis Apostolicis Literis incip. *Experientia rerum* datis 8. Sept. 1760.

227. Huic instituto ortum dedit, ineunte saeculo decimo octavo in dioecesi Montisfalisci, cl. m. Marcus Antonius Barbadicus, B. Gregorii item Cardinalis nepos. Huius memoria in Montisfalisci natali mea dioecesi semper erit in benedictione, cum hanc ob rem et alias permultas, tum ob amplificationem et insigne decus seminario additum, ex quo prima scientiarum rudimenta haurire mihi contigit. Ceterum utilitatum exinde proficiscentium mature certior factus s. m. Clemens XI. Romae easdem advocare non retardavit, qua in Urbe, cum brevi scholarum numerus plurimum auctus esset, aliquod inter virgines dissidium exortum est, quod statim compositum sopitumque fuit, separato Instituto in duas partes, quarum utraque unice supremae suae antistitae ob-

temperaret, nulla alia remanente subiectione, ceu videre est apud Bened. XIV. in Constit. *Quamvis iusto.*

228. Quoniam vero Card. Barbadicus, modo laudatus, magistris piis suas constitutiones observandas tradiderat, quae typis Montisfalisci primum prodierunt, s. m. Clemens XIII. suis Apostolicis Literis mox memoratis, incipien. *Experientia rerum* easdem constitutiones in compendium redactas, et aliquibus in partibus emendatas de verbo ad verbum inseruit, suaeque Apostolicae approbationis et confirmationis calculo communivit.

Hoc in statu se res habebat, cum S. C. Studiorum die 3. Martii 1828, s. m. Leonis XII. menti obsecuta decretum edidit, quo singulos Episcopos hortabatur, ut magistras pias in civitates et oppida frequentiora suarum dioeceseon accersendas curarent. Quapropter eodem decreto constituebat, ut eaedem magistrae piae uni Episcopo subderentur, et constitutiones in harum usum a s. m. Clem. XIII. confirmatae singulis Episcopis mitterentur, facta potestate iuxta locorum ac personarum rationem easdem emendandi; ut Episcopi, in sua quisque dioecesi, aliquam pro tyrocinio magistrarum domum constituendam providerent; ut iidem cum magistratibus locorum agerent pro subsidiis, ubi deficerent, eam in causam assignandis ex municipii vectigalibus; ut nullam in magistras auctoritatem magistratus obtinerent, copia solummodo facta ad Episcopum pro re nata recurrendi; ut denique Episcopi ad S. C. Studiorum de scholarum huiusmodi statu quotannis referrent.

229. Quod vero speciatim pertinet ad Almam Urbem, s. m. Leo XII. suas Apostolicas Literas incipien. *Praeter puerorum* die 6. Octob. anno 1828. edidit, quibus piarum magistrarum domos, ut erant in duas partes divisae, in perpetuum unas Pontificio eleemosynario, velut antea immediate subiecit, alteras vero Emo Card. Pro-Datario pro tempore obsequi voluit, relicta Card. Vicario Almae Urbis praesertim facultate eligendi confessarios, et divini verbi concionatores, itemque testimonium perhibendi circa virginum ad instituti habitum induendarum admissionem. De cetero circa magistras pias universae Pontificiae ditionis confirmavit ea, quae a S. C. Studiorum decreto diei 3. Maii eiusdem anni sancita fuerant, eademque accurata observantia custodiri praescripsit.

230. Omnia haec hactenus exposita collegimus ex opere, cui titulus *Collect. leg. et ord. de recta stud. rat., curante Prospero*

*Caterini eiusdem S. C. secretario* (qui postmodum in sacrum collegium adlectus sapientia consilioque S. C. C. Praefecturam gessit). *Romae ex typis R. C. Ap. an. 1841.* in duos tomos dispertita.

« III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum » locorum administratoribus? »

231. Paragraphus haec de ratione a locorum piorum administratoribus reddenda manifeste respicit Conc. Trident. *cap. 9. Sess. 22. de Reform.*, ubi nimirum praecipitur, ut huiusmodi administratores singulis annis rationem de sua administratione Episcopo reddant. At vero caput istud Concilii Tridentini praecedit alterum, nempe *cap. 8.* eiusdem Sess., ubi de piorum locorum visitatione ab Episcopis peragenda sermo est, quod cum eodem capite nono maximam connexionem et affinitatem habet; ideoque a rerum canonicarum interpretibus communiter utrumque coniungitur: quin imo experientia constat, controversias hoc in genere nasci consuetas, ut plurimum utramque rem de visitatione rationumque redditione solere complecti. Ne igitur tractatio nostra manca et imperfecta videatur, antequam de nono capite agamus, aliqua de capite octavo, quod certe maximi momenti est, praelibare necessarium ducimus.

### Art. I. De piis locis ab Episcopo visitandis.

Summarium. 232. Affertur per extensum *cap. 8. Sess. 22. de Reform.*, quod apprime convenit cum *Cap.* Contingit. *de rel. dom.* – 233. Loca pia sub immediata regum protectione visitare nequeunt Episcopi sine regia venia. – 234. Si dubitetur, an locus pius sub regia potestate sit, cognitio ac definitio causae pertinet ad Episcopum. – 235. Concilium Tridentinum circa loca pia nihil derogavit Episcoporum potestati in rebus spiritualibus ac mere ecclesiasticis. – 236. Loca pia, alias non exempta, licet regio iuripatronatus obnoxia, a iurisdictione ac visitatione Episcoporum non subtrahuntur, haud obstante consuetudine immemorabili in contrarium allata. – 237. Regum nomine ad effectum, de quo agitur, non veniunt sublimes principes, qui regalia quidem iura, regis vero titulum non obtinent. – 238. Laicalis loci pii qualitas impedimento non est, quominus ab Episcopo visitari possit. – 239. Loca pia privata et ad privatos pertinentia ab Episcopo visitari possunt in casibus a iure concessis, nisi Episcopus in fundatione expresse fuerit exclusus; quae exclusio ad

rationum redditionem non extenditur. – 240. Neque officit, quod in *cap. 8. Sess. 22. de Reform.* clausula non addita sit: *nisi aliter in fundatione cautum fuerit.* – 241. Si post indictam visitationem oriatur dubium de loci exemptione, satius est, ut Episcopus a visitatione supersedeat, remque definiendam S. Cong. remittat. – 242. Loca pia Episcopi visitationi subsunt, licet alias sub municipii ac provinciae praesidis auctoritate subsint, veluti alicubi fit in Pontificia ditione ex circulari Card. Consalvi 21. Iul. 1819. – 243. Item tametsi eadem universitatum curae subiiciantur. – 244. Privilegium generale exemptionis non includit exemptionem specialem a visitatione. – 245. Sodalitates in Regularium ecclesiis erectae Episcopi visitationem ac iurisdictionem non effugiunt. – 246. Nec officeret observantia contraria etiam immemorabilis. – 247. Plures afferuntur peculiares S. Congregationis Concilii declarationes. – 248. S. C. in *Tudertina* declaravit, ecclesiam et hospitale Consolationis, non obstante privilegio Apostolico, subiacere Episcopi iurisdictioni ac visitationi circa ea, quae respiciunt cultum divinum. Eiusdem administratores teneri rationem reddere, et Episcopo incumbere exsecutionem piarum voluntatum. Eosdem Episcopo subiacere circa alienationem bonorum eorum, quae tantummodo Missarum oneribus subiecta sunt. – 249. In *Liparen.* declaravit, hospitale erectum sine Episcopi interventu, sine capella, altari, campanis ac beneficio immunitatis, non esse exemptum quoad redditionem rationum, licet ab hospitalis fundatore circa administrationem quaelibet auctoritas exclusa fuisset. – 250. In *Fanen.* declaravit, ius visitandi loca pia, de quibus agebatur, competere Episcopo iuxta formam Concilii, salva auctoritate curiae legationis in exercenda administratione rerum oeconomicarum. – 251. In *Montis Alti* declaravit, loca pia Montis Elpari iurisdictioni, visitationi ac reformationi Episcopi subesse et administrationem bonorum dependenter ab Episcopo per communitatem esse exercendam Episcopo competere ius tum faciendi ordinationes pro recta bonorum administratione, tum officiales approbandi. Item approbandi resolutiones captas pro contractibus ineundis, minime vero pro erogandis eleemosynis. Item removendi administratores non idoneos, vel male gerentes, minime vero subrogandi. Item exigendi rationum redditionem a syndacatoribus. Exequendi sententiam syndacatoriam, et inquirendi contra debitores. Tandem pronuntiavit, sustineri electiones officialium iam factas, accedente Episcopi approbatione. – 252. In *Spoletana* edixit deputatos hospitalis Trebiensis a communitate electos indigere Episcopi confirmatione, et subesse Episcopo in omnibus negotiis ad formam Concilii pro non exemptis. – 253. In *Perusina* sodalitates in Regularium ecclesias constitutas non participare de Regularium exemptione rescripsit. – 254. In *Civitatis Castelli* declaravit non constare de exemptione, bene vero de bono iure Episcopi visitandi sodalitium in regulari ecclesia

erectum, et exigendi rationum redditionem, etiamsi consuetudo contraria trium saeculorum ostenderetur. – 255. In *Bergomen.* rescripsit, constare de exemptione S. Mariae, et sodalitii ibidem erecti ex privilegio a Nicolao V. concesso, servatis tamen moderationibus a Concilio Tridentino decretis, deque iure Episcopi eam visitandi iure delegato. – 256. 257. S. C. Episc. et Regul. in *Lucana,* cuius facti species refertur, declaravit, operariis S. Crucis ius esse administrandi reditus omnes absque dependentia Archiepiscopi, recipiendi et administrandi eleemosynas, custodiendi sacras supellectiles, et conficiendi inventarium. Clavem autem sacri Vultus a Capitulo retinendam esse subiecit.

232. « Episcopi (ita statuitur dicto *cap. 8. Sess. 22. de Reform.*).... habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque » ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, non tamen quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia: eleemosynas Montis » pietatis sive charitatis, et pia loca omnia quomodocumque » nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, » seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, » iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant et exsequantur, » non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, » privilegio, aut statuto. » Huiusce decreti sanctio apprime congruit *Clem.* Quia contingit *de rel. dom.*, ubi loca pia, etiamsi exemptionis privilegio gaudeant, Episcoporum correctioni ex apostolica auctoritate subiiciuntur. Quibus positis nemo non videt, nullum esse locum pium, qui ab episcopali visitatione sese eximere possit. Et id quidem ab ordinaria potestate, si non sit exemptus, si vero exemptus sit, ex delegata a Pontifice auctoritate dimanat.

233. Una tantum exceptio fit, videlicet, ut Episcopus visitare nequeat hospitalia, collegia, sodalitates et scholas, aut quocumque alio nomine vocentur, quae sub immediata regum protectione posita sunt, si prius ab eisdem regibus ipse veniam non impetraverit. Ratio vero huiusmodi exceptionis a Patribus Tridentinis prae oculis habita iuxta Barbosam ad *Conc. Trid. cap. n. 27.*, Weims *Const. 16. n. 13. p. 179.*, Girald. *Ius Pont. sect. 82. P. II. p. 922.* in eo potissimum sita est, quod « Tridentina Synodus » (ita Barbosa *l. c.*) satis videtur confidere curae et sollicitudini

» regum, qui talia hospitalia in sua potestate habent, nec vo-
» lunt Episcopis causam praebere se immiscendi fundationibus
» illis, quas reges ex proventibus propriis, aut aerario publico
» constituerunt, suaeque iurisdictioni et immediatae protectioni
» reservarunt. »

234. Notandum vero primo, quod si opponatur exceptio, aliquem pium locum sub immediata regum protectione haud existere, at vero id clarum et perspicuum non sit, adeoque pro hac re cognoscenda ac finienda iudicis ministerium requiratur, cognitio definitioque non ad iudicem saecularem, sed ad ipsum Episcopum pertinet, prout a S. C. declaratum fuisse testatur Marta *de iurisd. P. II. c. 18. n. 5.* cum Armentario ac Weims apud Barbosam *l. c. n. 29.*

235. Notandum secundo, quod Concilii decretum nihil derogavit Episcoporum potestati in rebus spiritualibus, ac mere ecclesiasticis circa loca pia etiam sub immediata regum potestate existentia; et ideo, quam ipsi ante Concilium Trid. in illis iurisdictionem habebant, eamdem conservant, et adhuc possunt exercere, prouti post Sellium *Cap. 2. n. 20.* in *Neapolitana* 12. Aug. 1618. decisum fuisse tradit idem Barbosa *loc. cit. n.30.* Quo circa in hisce locis piis possunt Praelati solummodo visitare decentiam divini cultus et ornamentorum, aliaque huiusmodi.

236. Notandum tertio, quod Episcopus visitare possit etiam pia loca sub immediato regum patrocinio sita, si non a primaeva fundatione, sed, postquam haec locum iam habuerit, in suam tutelam a rege acceptata fuerint; quin ceteroquin prosit ad hunc effectum regium iuspatronatus, alias non exemptum, vel immemorabilis consuetudo. Quam in rem Ferraris verbo *Confrat. art. 3. n. 7.* declarationem affert, quae sequitur, editam in *Massanen.*, nempe: « 1. An hospitale alias non exemptum si accipiatur a rege
» sub immediata sua protectione, eximatur a iurisdictione Ordi-
» narii, ita ut ab eo visitari non possit iuxta sacri Concilii Tri-
» dentini *Sess. 22. cap. 8. de Reform.?* 2. An hospitale huiusmodi,
» in quo rex habet iuspatronatus, si alias exemptum non fuerit,
» visitari possit ab Ordinario? 3. An per immemorabilem consue-
» tudinem non visitandi aliquod hospitale excludatur Ordinarius
» a iure illud in posterum visitandi? » Die 11. Decemb. 1621. S. Cong. Conc. respondit: « Ad 1. Hospitale, alias non exemptum,
» non ideo esse immune ab Ordinarii iurisdictione, etiamsi ac-

» ceptum fuerit a rege sub immediata eius protectione, ac pro-
» pterea hoc non obstare, quominus ab Archiepiscopo visitari
» valeat. Ad 2. Hospitale, in quo rex habet iuspatronatus, si
» alias exemptum non fuerit, utique posse ab Ordinario visitari?
» Ad 3. Eiusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sub-
» latam decreto *cap. 8. Sess. 22. de Reform.*, ac proinde per eam
» numquam excludi Ordinarium a iure hospitale visitandi. »

237. Notandum quarto, quod, « quamvis (ita Bened. XIV. in
» folio causae *Senogallien.* 18. Mart. 1726. §. *Quoad*) nonnulli
» existimaverint, conciliarem exemptionem, quae loquitur *de re-*
» *gibus*, extendi etiam *ad sublimes principes, qui regalia in suis*
» *ditionibus possident, etiamsi regis titulum non gerant*, uti ha-
» betur apud Barbosam ad *cap. 8. Sess. de Reform. n. 28.*, alii
» nihilominus existimant, Concilium esse taxative intelligendum
» de regibus; ex quo, quando voluit comprehendere reges, et
» alios sublimes ac supremos principes, iura imperii in suis do-
» miniis habentes, id scivit exprimere, uti habetur *cap. 9. Sess. 25.*
» *de Reform.*; et adhaesisse videtur haec S. C., quae respondit,
» Episcopum Eugubinum posse visitare hospitale maius dictae
» civitatis, licet illud a Sede Apostolica privilegium obtinuisset,
» quod gubernari et regi deberet a septem civibus eligendis, et
» a duce Urbini confirmandis, quemadmodum plene habetur apud
» Fagnan. in *Cap.* Ad haec. *num. 15. et seq. de rel. dom.* ».

238. Ex verbis ipsius decreti Conc. Trid. omnia loca pia pos-
sunt ab Episcopis visitari, licet eorumdem cura ad laicos per-
tineat. Quapropter laicalis loci pii qualitas impedimento non est,
quominus in eodem visitandi ius ab Episcopo exerceatur. Mo-
nacell. *Form. leg. tit. 5. form. 1. n. 10.*; Piton. *de controv. patr.*
*all. 32. n. 5.*; S. C. Conc. in *Imolen.* 29. Novemb. 1692. et 20.
Iul. 1693. apud Monacell. *l. c.* et apud folium *Faventinae Redd.*
*rat.* 8. Aug. 1772. §. *Hoc praemisso.*

239. Quin imo etiamsi loca eadem sint privata, et ad priva-
tos homines pertineant, nihilominus Episcopus potest ea visitare
in casibus a iure concessis, scilicet ob negligentiam vel dilapi-
dationem bonorum, utque testatorum voluntas adimpleatur; id
enim decisum refert Marta *de iurisd. P. II. cap. 18. n. 5.*, aliique
penes Barbosam *l. c. n. 5. et 7.* Exceptio vero facienda est de
casibus, in quibus expressis verbis a testatore prohibitum fuerit,
ne Ordinarius in regimine et administratione sese immisceat,

veluti docet Barbosa *l. c. n. 3.*, et S. C. C. respondit in *Pientina* 15. Febr. 1607. et *Derthusen.* 27. Maii 1634. et confirmavit in *Liparen.* 6. Maii et 11. Iulii 1750. mox afferenda, in qua tamen Episcopo reservatum fuit ius super obligatione, ut sibi rationes redderentur.

240. Nec valeret obiectio, quod in *cap. 8. Sess. 22. de Reform.* non reperitur addita clausula *nisi aliter in fundatione cautum fuerit*, quae in *cap. 9. Sess. eiusd.* tantummodo legitur. Namque visitationem hoc in casu nihilominus ab Episcopo non posse iniri, pluries in terminis, ut aiunt, declaravit S. Cong. Conc. apud Pignat. *Tom. 7. Consult. 15. n. 5. 6. 7.*

241. Si postquam Episcopus visitationem indixerit, privilegium exemptionis sibi opponi videat, aut aliam quocumque exceptionem, satius est, ut supersedeat, et allegationes tum iuris tum facti ad S. C. transmittat, quae de controversia suborta diiudicet, prout a S. C. Episc. et Regul. praescriptum fuisse Episcopo Ruben. tradit Pignat. *loc. cit. n. 13.*, quam resolutionem fuse idem propugnat numeris, qui subsequuntur.

242. Neque etiam iuri Episcoporum officit, quod loca pia ex. gr. hospitalia, aliaeque huiusmodi religiosae domus sub cura ac regimine municipii existant, ac proinde auctoritati praesidis provinciae subiiciantur, prout accidit in ditione Pontificia, ubi in literis encyclicis cl. m. Card. Consalvi diei 21. Iulii 1819. hospitalia, brephotrophia, aliaque id genus municipio commendantur, municipesque ab Apostolico Delegato dependent. Namque S. C. Episc. et Regul. pluries, ac praesertim in *Camerinen. Praest. sup.* 18. Febr. 1842. ad tertium disertis verbis rescripsit, Episcopo ius esse iuxta *cap. 8. Sess. 22. de Reform.* sacram peragendi visitationem cuiusdam pii instituti, in quo viris a municipio deputatis munus erat pecunias erogandi in solamen aegrotorum, pauperum, aliarumque miserabilium personarum. Idipsum S. Conc. C. in *Spoletana Xenodochii* 26. Iul. 1851. respondit. Et in eamdem sententiam S. C. Concilii Card. Episcopo Aesino perscripsit suis literis diei 9. Maii 1859., cui ad relationem super statu dioeceseos respondebat in haec verba: « Quod pertinet ad » brephotrophia, non latet Eñam tuam, ex instituto Pontificiae » huiusce ditionis eadem municipiorum ac praesidum potestati » ac iurisdictioni subesse. Per haec tamen, quod pro tua doctri- » na non ignoras, nihil derogatum est iuribus ex sacris cano-

» nibus et Conc. Trid. lege Episcopo attributis, quae nihilominus » sarta et integra manere semel iterumque declaravit S. Congr. » Episc. et Regul. *Ripana Erection. hospit.* 14. Martii 1841. et » *Camerinen. Praest. sup.* 18. Feb. 1842. *ad 2.* Itaque pro data » tibi a Domino prudentia videbis, quemadmodum tuo iure uti » te expediat ad avertenda, quae doles, incommoda.

243. Episcopus loca pia visitare potest, etiamsi universitatum curae subsint, quippe in dicto capite satis clare includuntur et ipsae universitates ; praesertim quia, ubi illas in aliquo exemptas voluit Tridentina Synodus, disertis verbis expressit, ceu factum videtur in *cap. 5. in fin. Sess. 14. et in cap. 9. Sess. 25. ver. Exceptis.* Quemadmodum huiusmodi universitates, ita et illarum rectores privilegiis universitatum gaudentes Episcopi visitationi subduntur. Quo super negotio refert Fagnanus *cap. 4.* Ad haec *de rel. dom. n. 19.*, propositum fuisse in S. C. dubium : « An Episcopus possit cogere magistrum artium gaudentem pri- » vilegiis universitatis Oscen. ad exhibendum testamentum, in » quo sunt legata pia ab ipso solvenda, et eumdem ad exsecu- » tionem compellere »; et responsum prodiit : « Utrumque posse.» Vide *Spoletanae Xenodochii* supra memoratae folium ad diem 25. Ianuar. 1851. §. *Potest.*

244. Ex praedicto decreto Conc. Trid. illud sequitur, quod loca pia, etiamsi exempta sint, tamen ab Episcopo visitari valeant. Hinc non raro S. C. Conc., licet ex una parte exemptionis privilegium piis locis non denegarit, ad visitationem quod attinet, ea per Episcopum visitari posse subdidit, prouti patebit ex declarationibus, quae paulo post afferentur. Sed si dubium supersit, an vera adsit exemptio, pro iurisdictione Episcopi standum est, donec de exemptionis privilegio manifesto ac dilucide non constet, prout ad textum in *cap. 7. de priv.*, et sententiam s. Rotae ac ipsius S. C. tuetur folium in causis *Perusin. Visit. sacr. lim.* 26. Aug. 1854. §. *Partium* et *Civit. Pleb. Vis. sac. lim.* 18. Iul. 1857. §. *Ceterum, in fin.*

245. Sodalitates, quae in Regularium ecclesiis erectae sunt, Episcoporum visitationem non effugiunt, prout pluries S. C. rescripsit, ac nominatim in *Nucerina Pagan.* 23. Iun. 1729., quam affert Bened. XIV. *Inst. 105. n. 87.*, ubi statutum fuit : « Confra- » ternitates laicorum in ecclesiis Regularium exemptorum insti- » tutas subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab

» eo visitari posse, necnon illarum capellas in eisdem ecclesiis » Regularium existentes, in iis tamen, quae confraternitatum » administrationem respiciunt, etsi confraternitati incumbit onus » manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare » circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et or- » namenta altaris, seu capellae, onera Missarum atque divino- » rum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae » ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent. » Qui plura super hoc argumento desiderat, adeat prae ceteris ipsum Bened. XIV. *l. c.*, ubi monet, praedictam resolutionem, etsi in casu peculiari latam, attamen tamquam regulam generalem in similibus casibus, quos affert, a Sacra Congregatione traditam fuisse. Adeat quoque Ferrarium verbo *Confraternitas art. 3. in princ.*, et Bassum *de Sodalit. cap. 13. n. 6.* Faciunt ad rem etiam memoratae causae *Perusina* et *Civitat. Pleb. Vis. sacr. limin.*, quas postmodo referemus.

246. Quoniam vero ius visitandi ad Episcopos pertinens a decreto Conc. Trid. sancitum firmatumque fuit, hinc nulla observantia in contrarium ad eam infringendam valebit, uti probatur in fol. *Perusinae* §. *Contra*, et *Civit. Pleb.* §. *Denique*, et in terminis observantiae immemorabilis resolutum fuit a S. C. in *Massanen.* 11. Dec. 1621., quam ipsis verbis superius exscripsimus, *n. 236. pag. 518.*

247. Ultimo loco nonnullas declarationes, quas S. C. in casibus particularibus edidit, paulo plenius exponemus, ex quibus magis magisque ea, quae modo statuimus, comprobantur, et insuper in similibus casibus tutior poterit norma desumi.

248. In *Tudertina* 22. Sept. 1742., cum ecclesia fidelium oblationibus condita una cum hospitali adnexo, et ibi sodalitas etiam erecta fuisset, Clemens VII. suis Apostolicis Literis anno 1528. indulsit, ut confraternitas praedicta, et laici dumtaxat per eam deputandi ecclesiam et hospitale illorumque bona et iura quaecumque administrare, ministros ponere et amovere, bona distrahere et in utilitatem pii loci convertere, aliaque peragere possent absque ullius licentia et auctoritate. Prohibuit insuper, ne quis ordinaria vel etiam Apostolica auctoritate fungens, directe vel indirecte in bonorum administrationem, aliaque viris deputatis permissa immiscere se posset, alias nullius roboris ac momenti, quidquid contra actum fuisset, habendum foret. Huiusmodi Apo-

stolicas Literas s. m. Bened. XIV. de verbo ad verbum suis aliis Apostolicis Literis insertas confirmavit approbavitque, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceteris que contrariis quibuscumque. Nihilominus propositis dubiis: 1. « An » Episcopus habeat ius visitandi ecclesiam Consolationis tam in » iis, quae concernunt cultum divinum, quam in iis, quae respi- » ciunt gubernium oeconomicum, ita ut rectores aliique admi- » nistratores dictae ecclesiae teneantur eidem rationem reddere?

» 2. An idem Episcopus habeat ius visitandi hospitale dictae » ecclesiae et respective exigendi redditionem rationis ab illius » administratoribus?

» 3. An praedicti rectores et administratores subiaceant Extra- » vag. *Ambitiosae, de rebus eccl. non alienandis* quoad alienationes » bonorum tam non subiectorum quam subiectorum oneribus Mis- » sarum ex testatorum voluntate, non obstante asserto privilegio? » Et quatenus Affirmative,

4. An alienationes hucusque factae sine beneplacito Apostolico » sustineantur in casu? » S. C. die supradicta 22. Sept. 1742. rescripsit: « Ad 1. Affirmative quoad ea, quae concernunt » cultum divinum, in reliquis negative. Ad 2. Ut in primo, re- » servato iure Episcopo incumbendi exsecutioni piarum disposi- » tionum. Ad 3. Affirmative quoad bona subiecta oneribus Mis- » sarum tantum. Ad 4. Provisum in tertio. » (1).

249. In *Liparen. Exemp. hospit.* 6. Iunii 1750. Bartholomaeus Russius hospitale fundandum edixit, commissarios, exsecutores et administratores elegit, iisque facultatem dedit alios successive nominandi, voluitque « ne eorum, quae administrant dicti mei fideicommissarii, cuiquam rationem reddere teneantur, » etiam de negligentiis commissis, et male administratis, aut de qualibet alia re, quomodocumque et qualitercumque, etiam si ab ipso Praelato rationem reddere iuberentur. Testatore vita functo conditum fuit hospitale, nulla interveniente Episcopi auctoritate, sine altari, sine capella, sine campanis, ac sine beneficio immunitatis. Episcopi nunquam illud visitaverunt, nunquam Episcopi ab administratoribus rationes exegerunt; cum itaque Episcopus pro tempore a suorum decessorum exemplo deflectens

(1) Sic dubia et resolutiones leguntur in tomo XI. *Thesauri Resolutionum, S. C. C.* pag. 126.

hospitale visitare contenderet, duo apud S. Congregationem proposita sunt dubia: « 1. An hospitale S. Bartholomaei Liparen. » sit omnino exemptum a visitatione Episcopi? et quatenus af- » firmative, 2. An acta facta a curia episcopali Liparen. super » visitatione hospitalis sint delenda? » S. Congreg. rescripsit: » Ad 1. Hospitale non esse exemptum a iurisdictione Episcopi » quoad redditionem rationis. Ad 2. Provisum in primo. » Quae decisio cunctis suffragiis confirmata fuit die 11. Iulii eiusdem anni per responsum: « In decisis et amplius. »

250. In *Fanen. Iurisdictionis* 18. Iun. 1757. quaestio erat, an ius visitandi exigendique rationes quatuor piorum operum, quae in oppido Urceani reperiebantur, et quorum administratio apud decuriones erat eiusdem terrae, hospitalis nempe, montis frumentarii, et duarum haereditatum Salvi et Cevaloni, spectet ad Episcopum vel ad praesidem provinciae. Itaque dubium propositum fuit: « An et cui competat ius visitandi loca pia, de qui- » bus agitur in casu? S. C. rescripsit: « Competere Episcopo ad » formam Concilii, salva auctoritate curiae legationis (sive prae- » sidis provinciae), in exercendis administrationibus oeconomicis. » Quae resolutio confirmata fuit die 4. Mart. 1758. edito responso: « In decisis et amplius. »

251. In *Montis Alti* die 25. Ian. 1755. agebatur de variis locis piis, inter quae de hospitali, quod olim a sodalibus SSmi Sacramenti cum aliis dirigebatur. Deinde administratio ad loci communitatem migravit, quae anno 1748. occasionem nacta viduitatis illius sedis coram Secretario Congregationis Boni Regiminis petiit, atque, nemine obsistente, obtinuit manuteneri in quasi-possessione dictum hospitale administrandi. In huius decreti vim cum ipsa communitas cuncta pro lubitu suo gerere se posse arbitraretur, novus Episcopus ad controversias praecidendas disceptari impetravit haec dubia: « 1. An loca pia Montis Elpari, » hospitale scilicet, mons pietatis et mons frumentarius subsint » iurisdictioni, visitationi, correctioni et reformationi Episcopi » Montis Alti? 2. An administratio oeconomica eorumdem loco- » rum piorum exercenda sit libere a communitate laicali, vel » potius dependenter a directione et auctoritate Episcopi? 3. An » eidem Episcopo ius competat tam faciendi ordinationes pro » recta praedictorum locorum administratione, quam appro- » bandi officiales, administratores et revisorem computorum

» a communitate electos? 4. An ad praefatum Episcopum per-
» tineat approbare resolutiones, vel ab eadem communitate, vel
» a suis officialibus captas, tam circa contractus nomine locorum
» piorum ineundos, quam circa erogationem proventuum in elee-
» mosynas et usus pios, ac tandem quoad distributionem fru-
» menti personis indigentibus? 5. An Episcopus possit removere
» administratores dictorum locorum piorum electos a communitate
» non idoneos, vel male gerentes administrationem, atque alios
» per ipsum eligendos eorum loco substituere? 6. An Episcopus
» possit exigere redditionem rationum a dictis administratoribus
» independenter a syndacatoribus a communitate electis? 7. An
» Episcopo privativa competat exsecutio sententiae syndacatoriae
» adversus administratores, et inquisitio contra debitores dicto-
» rum locorum piorum? 8. An sustineantur electiones officialium
» factae a communitate ab anno 1751.? 9. An constet de atten-
tatis, et quomodo sint purganda in casu? » Quibus dubiis S. C. C.
haec dedit responsa: « Ad 1. Affirmative. Ad 2. Negative ad
» primam partem, affirmative ad secundam. Ad 3. Affirmative.
» Ad 4. Affirmative ad primam partem, in reliquis negative.
» Ad 5. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.
» Ad 6. Affirmative, una cum syndacatoribus. Ad 7. Affirmative.
» Ad 8. Affirmative, accedente approbatione Episcopi. Ad 9. Ne-
gative. » Et circa secundam partem 1. dubii die 10. Maii eiusdem
anni reservata fuit Episcopi auctoritas.

252. In *Spoletana Xenodochii* 26. Iulii 1851. hospitium in-
firmorum, cuius origo inter antiquitatis tenebras delitescebat, a
sodalitio Misericordiae civitatis Trebiae administratum fuisse com-
pertum erat, ab eoque ad civitatis communitatem transierat
anno 1848. Conditis a municipio statutis, et ab Apostolica Spo-
letana Delegatione approbatis, sex viri deputati sunt, qui hospitii
administrationi praeessent. Ostendebat Archiepiscopus, praeteritis
ante temporibus hospitium illud sub Ordinarii dependentia fuisse;
attamen cum adhuc dubitaretur, an praeter ea, quae praestita
fuerant, alterius auctoritatis, nempe ecclesiasticae, interventu
opus esset, res ad S. C. Conc. delata est, ibique duo proposita
sunt dubia: « 1. An deputati hospitalis Trebiensis a communitate
» electi indigeant etiam confirmatione Archiepiscopi Spoletani in
» casu? 2. An, quomodo, et pro quibus negotiis dicti deputati
» subsint iurisdictioni eiusdem Archiepiscopi in casu? » S. C.

respondit: « Ad 1. Affirmative. Ad 2. Affirmative in omnibus ad » formam Concilii Trid. pro non exemptis, *cap. 8. et 9. Sess. 22.* » *de Reform.* »

253. In *Perusina Vis. sacr. lim.* 26. Aug. 1851. res erat de quatuor sodalitiis diversas causas exemptionum sibi arrogantibus, inter quas ea erat circa unum et alterum, quod ecclesiae Regularium adnexa de exemptione Regularium participarent. Nihilominus, propositis dubiis, an constaret de bono iure Emi Episcopi visitandi singula ea sodalitia, S. C. respondit ad omnia: *Affirmative et amplius.*

254. In *Civitatis Castelli Vis. sac. lim.* 18. Iul. 1857. Sodalitas B. M. V. Gratiarum in ecclesia Servorum B. M. V. erecta, coram Priore conventus coetus agebat, decreta promulgabat, aliaque omnia exercebat ad regimen et administrationem pertinentia sine ulla dependentia ab Episcopo civitatis illius: cuius rei una erat causa, nempe antiqua consuetudo trium saeculorum observantia confirmata. Cum tamen modernus Episcopus sua iura vindicare satageret, ac sodalium oppositionem offenderet, dubium penes S. C. Conc. in disceptationem adductum est: « An con- » stet de exemptione, seu potius de bono iure Episcopi visitandi » sodalitium B. M. V. Gratiarum, ac exigendi administrationis » rationes ab eiusdem officialibus in casu? » S. Cong. rescripsit: « Negative ad primam partem, affirmative in omnibus ad se- » cundam. »

255. In *Bergomen. Exemptionis* 18. Decemb. 1858. Penes civitatem Bergomi basilica adest S. Mariae Maioris a saeculo XII. fundata civitatis expensis, eiusque iuripatronatus obnoxia, in qua sodalitium sub titulo Misericordiae erectum est, quod ecclesiae cultum moderatur, et bonorum eiusdem administrationem gerit ope deputationis per communitatem electae. S. m. Nicolaus V. per Bullam anno 1453. datam indulserat, ut nulla potestas nec directe, nec indirecte in administrationem sese intromitteret, neque deputationem vexare aut perturbare conaretur. Hinc factum erat, ut Episcopi Bergomenses, si leve aliquod actum semel aut bis elicitum excipias, nunquam in eius sodalitii gesta sese immiscuerint. Nihilominus cum Episcopus illius temporis acquiescendum sibi non esse duceret, controversiam ad S. C. Conc. adduxit, penes quam inter alia haec duo dubia proposita sunt: « 1. An, » et quomodo constet de exemptione ecclesiae Sanctae Mariae

» Maioris, ac sodalitii a Misericordia nuncupati a iurisdictione » Episcopi in casu? et quatenus negative, 2. An, et quomodo » competat Episcopo ius visitandi tam ecclesiam, quam sodalitium » in casu? » Emi Patres responderunt: « Ad 1. Affirmative ex » Bulla Nicolai V., servatis tamen moderationibus a S. Conc. » Trid. decretis. Ad 2. Affirmative iure delegato. » Quae declaratio consentanea est alii declarationi editae in *Regien. Exempt.* 30. Ian. 1836. ad 1. et 2., ubi aequaliter Pontificium s. m. Sixti IV. indultum concurrebat, in quo ante Conc. Trid. privilegium exemptionis concessum fuerat.

256. In *Lucana* a particulari Congregatione penes S. Congr. Episc. et Regul. disceptata, confraternitas S. Crucis in Metropolitana Lucana ecclesia ante dimidium saeculi XII., ad recipiendas oblationes perinsigni SSmi Vultus imagini factas, instituta anno 1273. perpetuo acceperat rerum capitularium administrationem cum onere eamdem ecclesiam quoad omnia manutenendi: et paulo post suas ipsa condiderat constitutiones, quibus operae S. Crucis independentia circa administrationem et alia, quae in infrascriptis dubiis disceptantur, constituta sunt: ideoque de facto Lucanus Antistes ad haec usque tempora in operae ipsius rem nunquam sese immiscuerat. Lucanum gubernium super eadem protectionem atque auctoritatem exercens huiusmodi dispositiones postea confirmavit, itemque oblationes identidem fecit, publica etiam vectigalia in eius utilitatem imponendo. Cum autem a saeculo XVIII. apparerent exempla, quibus et aliquae oblationes in Capituli manibus factae sunt, et ab eodem nonnulli administrationis actus exerciti, hinc, eodem saeculo exeunte, Capitulum ex assertis quibusdam Bullis Pontificiis cumulativam cum Ordinario iurisdictionem super ecclesia metropolitana praetendens, quasdam controversias super operae administratione et oblationum receptione contra S. Crucis operarium excitavit. Sed contra opinati sunt tres magni nominis viri, nempe Card. de Luca, cuius votum exstat in *Miscellan. cas. disc. 35.* necnon de Torre, ac Minoia, quorum vota exstant in ipsius de Torre opere de *Pactis fict. succ. L. III. c. 4.* §. *169.* Pace post gallicam tempestatem restituta, cum opera S. Crucis in pristinum redintegrata fuit, a supremo Lucano Principe leges super administratione ac regimine eidem operae datae fuerunt, quibus praesertim sancita sunt praetensa operarii, ac gubernii iura contra Capitulum et eccle-

siasticam potestatem. Id aegre ferentes canonici operarium in ius vocare decreverunt; ideoque cura principis tum regnantis summus Pontifex Gregor. XVI. controversiam S. C. Episc. et Regul. remisit, ex eaque Cardinales deputavit, qui rem definiendam susciperent. Operarius legitimitatem personae in Capitulo excludens omnimodam immunitatem propugnabat a qualibet ecclesiastica potestate, contendens, operam S. Crucis sub immediata gubernii protectione reperiri, itemque in operae institutione ac ordinatione ecclesiasticam potestatem fuisse exclusam ad formam Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 8. et 9. de Reform.*, et praesertim insistebat super amplissima saeculorum consuetudine, cuius argumentum insigne in eo situm dicebat, quod ecclesiae utensilia et armaria stegma operae praeseferrent. At Capitulum tuebatur, ex praedictis Bullis sese cumulativam iurisdictionem super opera obtinere, ideoque subsumens, quod in themate gubernium Lucanum non posset comprehendi nomine regis, neque haec immunitas a Sancta Sede cum titulo in ipsa fundatione concessa explicite fuisset, ac tandem consuetudo omnis tam antecedens, quam consequens a Conc. Trid. fuisset irrita declarata, concludebat, ordinariam super opera iurisdictionem sibi competere. Insuper mordicus oppugnans operariorum, utpote laicorum, incapacitatem super rebus ecclesiasticis, de quibus res erat, et insuper allegans in sui favorem consuetudinem praetendebat super iisdem directam potestatem exercere.

257. Itaque pro Congregatione particulari diei 11. Feb. 1842. sequentia dubia concordata sunt:

« 1. An constet de iure operariorum S. Crucis administrandi » et custodiendi omnes reditus ad operam pertinentes absque » dependentia et interventu potestatis ecclesiasticae, ac praeser- » tim Capituli in casu?

» 2. An et cui ius competat recipiendi, et administrandi obla- » tiones, quae fiunt imagini S. Crucis in casu?

» 3. An, et quomodo, et cui competat ius custodiendi sacras » supellectiles in casu?

» 4. An constet de iure operariorum conficiendi inventarium » quarumcumque rerum ad operam pertinentium absque inter- » ventu Capituli et immixtione laicae potestatis in casu? »

Emi Patres dicta die rescripserunt: « Ad 1. Affirmative, salva » auctoritate Archiepiscopi ad formam Conc. Trid. quoad Capitu-

» lum. Ad 2. Affirmative favore operarii S. Crucis, salva auctori-
» tate Archiepiscopi. Ad 3. Affirmative favore operarii S. Crucis
» iuxta solitum et ad mentem; mens est, ut operarius erga Ca-
» pitulum debitam observantiam et rationem adhibeat. Ad 4. Af-
» firmative in omnibus. »

258. Notandum insuper, quod die 24. Aug. 1841., praevio SSmi oraculo, declaratum fuit, quod clavis SSmi Vultus a Capitulo conservaretur. Cumque nova quaestionis germina super secundo dubio suborta et statim transactione sopita fuissent, huiusmodi transactio die 14. Sept. 1843. approbata fuit cum clausula, salva auctoritate Archiepiscopi ad formam Conc. Trid. quoad redditiones rationis circa erogationem eleemosynarum.

### Art. II. De rationum redditione quotannis ab Episcopo exigenda.

Summarium. 259. Affertur decretum *cap. 9. Sess. 22. de Reform.* – 260. Ordinarii locorum possunt exigere iuramentum de fideliter administrando ab administratoribus locorum et legatorum piorum. Possunt etiam ab ipsis rationes et computa administrationis exigere tam in visitatione, quam extra per suum delegatum. – 261. Ordinarii possunt rationum redditionem exigere, etiamsi testator, seu fundator id expresse prohibuerit, disponendo, quod legatum esset nullum, quando Episcopus se immisceret, et rationem exquireret ab exsecutore et administratore. – 262. Ab Ordinario potest praecipi, ut administratores locorum piorum singulis annis rationem reddant. Quin etiam administratores locorum privatorum, qui secundum iuris dispositionem visitari nequeunt, ad rationum redditionem cogi ab Ordinario possunt. – 263. Administratores locorum piorum licet exemptorum nullam rationem reddentes, Episcopo eam posthac reddere tenentur. – 264. Redditio rationum danda est etiam Episcopo a locis piis, quae sunt sub immediata regum protectione. Unde amplior est circa haec loca Episcoporum potestas in redditione rationum, quam in visitatione. – 265. Episcopi cogere possunt quoslibet administratores, etiam canonicos cathedralis, ad asportandos libros in aedem episcopalem, non tamen extra oppidum, ubi libri retinentur; hoc enim in casu aliquis ad eos libros recognoscendos deputari debet. – 266. Hinc administratores libros rationum conficere debent. Qua methodo conficiendi sint. Paginae ac folia dispalata ad hunc finem minime sufficiunt. Hanc redditionem effugere nequeunt administratores praetextu, quod eadem aliis detur. – 267. Pro labore recognoscendi libros rationum nulla potest exigi merces. – 268. Non prohibetur Episcopus legem condere sive in Synodo,

sive extra, ne administratores confraternitatum sumptus extraordinarios supra certam summam faciant absque consensu confraternitatis et venia Episcopi. – 269. Adducuntur recentiores quaedam S. Congr. Concilii declarationes. – 270. S. C. Conc. in *Iuvenacen.* declaravit, administratores et officiales locorum piorum in terra Terlitii facere debere erogationem proventuum cum scientia et approbatione Episcopi; itemque redditionem rationum de hisce proventibus, et erogationem faciendas esse in visitatione, seu extra, ad arbitrium Episcopi. – 271. In *Comen.* censuit confraternitatis et ecclesiae bona administrari posse cum sola dependentia ab Episcopo, eique dumtaxat rationem reddi debere. – 272. In *Faventina* declaravit: Vocales, seu membra constituentia congregationem Paulinam teneri reddere Episcopo rationem de administratione, minime vero teneri ex oppido Brixichellae Faventiam deferre libros administrationis, nec una vice tantum. Posse eosdem eligere ratiocinatorem, qui assistat synodali rationum revisori, aut viro alias per Episcopum deputato pro rationibus inspiciendis. Rationum redditionem gratis esse accipiendam. Teneri eosdem vocales eleemosynas distribuere annis dumtaxat penuriosis; qui vero anni penuriosi iudicari debeant, pertinere ad vocalium arbitrium. Litem agitatam sustinendam esse sumptibus loci pii, attamen locum pium a vocalibus de sumptibus factis non esse reficiendum. – 273. In bonorum ecclesiasticorum administratione quandoque contingit eadem bona cum Apostolico beneplacito alienare. – 274. Sub nomine alienationis quales contractus veniant. – 275. Quae super hac materia antiquitus, vel paulo remotius statuuntur, penes canonistas communiter inveniuntur. Quorum aliqui melioris notae nominantur, ac praesertim Petra. – 276. Quae in praxi bona modici valoris iudicari debeant ad effectum, ut eorum alienationem Episcopus auctorare possit, inter varias doctorum opiniones rem firmasse visa est S. Congr. Concilii declarans hac in re legitimam consuetudinem dioeceseos sequendam esse. – 277. Quae vero novissime de alienationis materia sancita sint, paulo fusius exponitur. Et primo quidem servandae sunt praescriptiones Motus Proprii Bened. XIV. pro locatione bonorum cameralium. – 278. Et decreta generalia S. Cong. Episc. et Regul. Benedictinae praescriptioni conformia. – 279. Ad legitimam vigesimae et sextae oblationem requiritur, ut haec vigesimam et sextam oblati pretii saltem exaequet. Non licet prorogare tempus legitimum ad oblationes exhibendas. – 280. Oblationes fieri debent in summa certa et explicita. Si ultra summam certam amplius quid augeatur, augmentum summae certae coniungitur. Quid agendum sit, si post tempus legitimum novae oblationes adveniant. Adiudicatario licet vigesimam et ultra augere. Adiudicatario oblatio vigesimae significanda est, ac terminus dierum decem relinquendus pro vigesima acceptanda. Pro sexta trium mensium spatium statutum est: ex quo tempore decur-

rere incipiat. Ius vigesimae et sextae reservatum censetur, licet in adiudicatione nulla fuerit facta mentio. Necessitatis haud est, ut edicta pro vigesima et sexta proponantur. – 281. S. C. Episc. et Regul. nunquam desistit generalium horumce decretorum observantiam inculcare. – 282. Hinc in *Perusina* acta licitatoria rescidit ex eo, quod oblatio nec certa, nec explicita visa fuit. – 283. Etiam S. Cong. Conc. hisce decretis inhaesit tamquam legibus obligationis vim habentibus. – 284. Adiudicatarius post adiudicationem est verus fundi dominus, eiusque fructus percipit, adeoque potest fundi possessionem ingredi, ac instrumentum stipulari. – 285. Si post aliqua acta rite confecta aliquid illegitimum admittitur, id rescinditur, antecedentibus in sua firmitate permanentibus. – 286. Si vero omnia usque ad sextam rite processerint, loco pio nihil aliud relinquitur, quam exceptio laesionis *prout de iure*. – 287. Idem dicendum, si vigesimae vel sextae experimentum ex dispensatione relaxatum fuerit. – 288. Cavendum tamen est, ne quid peccatum fuerit in rescripti forma exsequenda. – 289. Episcopo spatia vigesimae et sextae neque coercere, neque ampliare permissum est. – 290. Neque eidem licitum est tempus oblatori praefigere sub praetextu, ut oblationis conditiones dilucidius declaret. – 291. Quando pro vigesima et sexta tempus currere incipiat. – 292. Ex iusta causa rescripti exsecutionem potest ecclesia intercipere, si adhuc adiudicatio locum non habuerit. – 293. In alienatione bonorum beneficialium non iustae patronorum reclamationes reiiciuntur, iique nihil prorsus iuris ad praelationem obtinent. Opus advocati Trombetta de praxeos regulis a S. Congr. Episc. et Regul. servatis in contractibus rerum ecclesiasticarum ineundis commendatur. – 294. Ex disciplina S. C. Episc. et Regul. pecuniae ex venditione bonorum ecclesiasticorum ac legatorum investiri debent. Potest quidem Episcopus legem facere, ne loca pia investimenta peragant sine sua venia, sed utique sustinentur, si haec lex desideretur. Confirmatur ex declaratione in causa *Narnien.* – 295. Quanto tempore emptor bonorum ecclesiasticorum apud se pecuniam, soluto interusurio, retinere teneatur.

259. Decretum *cap. 9. Sess. 22. de Reform.*, quod modo nobis exponendum occurrit, ita statuit: « Administratores tam ecclesiastici » quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospi- » talis, confraternitatis, eleemosynariae, montis pietatis, et quo- » rumcumque locorum piorum, singulis annis teneantur reddere » rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privi- » legiis quibuscumque in contrarium sublatis; nisi secus forte in » institutione et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse » cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex » constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda

» esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: et aliter factae » liberationes dictis administratoribus minime suffragentur. »

260. Huiusmodi decretum docte sciteque explicat Ferraris verbo *Administratio;* itaque suis hic verbis eumdem exscribimus, idque eo libentius facimus, quod iura ab ipso statuta S. C. Conc. declarationibus confirmat. « Ordinarii (sic ipse) locorum possunt » exigere iuramentum de fidelitate administrandi ab omnibus ad- » ministratoribus locorum et legatorum piorum, S. C. Conc. in » *Aliphana* 18. Iul. 1705. et 8. Mart. 1706. Possunt ab ipsis » rationes et computa administrationis exigere tam in visitatione, » quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus qui- » buscumque privilegiis; Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*, » S. C. Conc. in *Hispalen.* 11. Ian. 1596., in *Ferentina* 15. Maii 1574., » S. Congr. Episc. et Regul. in *Caesaraugustan.* 29. Dec. 1588., » S. C. Immun. *in Carinolen.* 4. Sept. 1678.

261. » Ordinarii non obstante, quod a testatore et lege fun- » dationis excludantur expresse a revisione computorum admi- » nistrationis, possunt supplere negligentiam exsecutorum et ad- » ministratorum, et illos removere, si male administrent, et ab » illis possunt rationes exigere, etiamsi defunctus disposuisset, » quod legatum esset nullum, quando se immisceret Episco- » pus et rationem requireret ab exsecutore et administratore, » quem voluit et vult a nemine posse cogi ad reddendam ra- » tionem. Sic deducitur ex *Cap.* Tua nobis, *de testam.*, ubi Fa- » gnan. *n. 16.* ita fuisse decisum testatur his verbis: *Et rursus* » *cum quaesitum esset, an Episcopus in fundatione exclusus a vi-* » *sitatione hospitalis, quia in fundatione sit cautum, ne se ad-* » *ministrationi, visitationi aut correctioni immisceat, possit se* » *immiscere in casu negligentiae administratorum? Sac. Congreg.* » *censuit, posse iuxta cap.* Tua nobis, *de testam.* Et haec » decisio iterum fuit confirmata a S. Congreg. Conc. in *Civ.* » *Pleb.* 10. Decemb. 1695., in qua bis resolvit, Episcopum tam- » quam exsecutorem omnium legatorum piorum, posse ad formam » dicti *Cap.* « Tua nobis » cogere administratores ad exsequendam » et adimplendam testatoris voluntatem, non obstante, quod ex- » cluderetur in testamento. Et ratio est, quia exsecutio compu- » torum administrationis est munus publicae potestatis introdu- » ctum ad bonum commune, unde a privato testatore impediri » nequit; privata enim testatoris dispositio non potest generalem

» constitutionem legis vel canonis immutare, et ideo voluntati » defuncti irrationabili standum non est, licet expresse et abso- » lute disposuisset, ut dicebamus, quod alias legatum irritum » esset, et in diversam causam bona eius expenderentur, ut soli- » de defendunt Molina, Pirhing, Passerin., et cum aliis Barbosa » *Iur. ecc. T. 2. lib. 3. cap. 27. n. 41. et 42.* et Reiff. *3. Decr.* » *tit. 26. n. 821.*

262. » Ab Ordinariis potest ordinari, quod administratores » locorum piorum singulis annis rationem reddere teneantur; » S. Congr. Conc. *Mediolan.* 9. Augusti 1569. apud Pignat. *Tom. 7.* » *cons. 15. num. 19.* Item administratores locorum piorum pri- » vatorum, qui secundum iuris communis dispositionem visitari » non possunt, ad redditionem rationis per Ordinarium cogi pos- » sunt iuxta terminos Conc. Trid. *cap. 9. Sess. 22. de Reform.*, quod » loquitur absolute, et absolute debet intelligi, nulla habita ra- » tione iuris communis. S. C. Conc. in dicta *Mediolan.* 9. Aug. 1569.

263. » Administratores piorum locorum etiam exemptorum » nullam rationem reddentes, Episcopo posthac reddere tenentur. » Quod si aliis eam reddere consueverunt, cum illis adhiben- » dus erit etiam Episcopus principaliter: et non solum in ra- » tione reddenda adhibendus est Episcopus, verum etiam in de- » liberatione facienda a deputatis. Sic in *Mediol.* 23. Aug. 1576.

264. » Redditio rationis (sic pergit. *n. 12.*) administrationis » danda est Ordinariis etiam a locis piis, quae sunt sub imme- » diata regum protectione. Et ratio est, quia exceptio locorum, » quae sunt sub immediata regum protectione, non legitur, nisi » in *cap. 8. Sess. 22. de Reform.*, in quo capite, uti legenti patet, » agitur tantum de iure visitandi, non autem in *cap.* 9. *Sess. 22.*, » ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis. Caput enim 8. » restringit se ad dispositionem iuris communis, dicens in *casibus* » *a iure communi concessis*, sed *cap. 9.* loquitur indistincte et » generaliter etiam in casibus a iure non concessis, ut pluries » declaravit S. C. Conc., et expresse in *Gravinen.* 9. Aug. 1569. » Et ideo, ut refert Pignat. *Tom. 1. Cons. 45. num. 46. et 47.*, » S. C. C. saepius, ac signanter in *Neapolitana* respondit, ut se- » quitur: *S. C. Conc. censuit, cap. 8. Sess. 22. de Reform. intel-* » *ligi, et habere locum in casibus a iure communi permissis. Licere* » *tamen Ordinario ab eis rationem administrationis exigere ex* » *decreto cap. 9. eiusdem Sessionis, nulla habita ratione iuris com-*

» *munis*. Ex quo patet, dicit citatus auctor, Concilium amplio-
» rem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis, quam
» in visitatione piorum locorum: ideo non mirum, quod visi-
» tationem excipit loca sub regum protectione existentia, secus
» vero quoad rationes reddendas, ut etiam notavit Barbosa *Coll. 13.*
» *Apost. dec.* verbo *Administrator*, ubi affert decretum supradictae
» Cong. Conc. 11. Aug. 1618.

265. » Ordinarii possunt cogere quoscumque administratores
» locorum piorum et ecclesiarum, imo etiam canonicos cathedralis
» ad exhibendos et adsportandos libros administrationis etiam ad
» palatium episcopale, si sint in loco residentiae et permanentiae
» Episcopi. (S. Congr. Conc. in *Narnien.* 8. Aug. 1693., in *Mon-*
» *tisfalisci* 27. Augusti 1695., in *Hispalen.* 18. Augusti, et in
» *Calagur. Vis.* 18. Iunii 1701.). Et si valde longe distent admi-
» nistratores a civitate, seu a loco residentiae Episcopi, non de-
» bent cum nimio incommodo accersiri ad civitatem, sed in eo
» loco debet aliquis deputari ad ipsos computus recipien los. (S. C.
» Conc. in *Caiet.* 12. Iulii 1599. et in *S. Agathae Goth.* 27. Se-
» ptembr. 1687.).

266. » Ad hunc finem reddendi quotannis fideliter suos com-
» putus et rationes, tenentur omnes administratores conficere li-
» brum rationum. *(Lib. 1.* §. *Officio ff. de tut. et rat. distr. Rota*
» *Rom. Part. I. Recent. decis. 546. n. 4.)*. Qui liber debet conti-
» nere data et accepta, ex qua causa nominatim, et qua die,
» aliter non dicitur legitime conscriptus, nec legitime reddita
» ratio *(Lib.* Cum servus *ff. de cond. et demonstr. Rota Rom. Part. I.*
» *Recent. decis. 590. num. 5.)*. Nec sufficit, si loco libri exhibeantur
» paginae quaedam manu administratoris conscriptae; nam folia
» et listae non sufficiunt pro ratione reddenda. *(Rota Part. I.*
» *Recent. decis. 540. n. 4.)*. Nec possunt ipsi administratores exhi-
» bitionem librorum et redditionem rationum faciendam Episcopo
» effugere praetextu, quod soliti fuerint ipsos computus et ra-
» tiones reddere aliis, quia vigore Conc. Trident. principaliter in
» ipsis adhibendus est Episcopus, et specialiter ipsi est sic red-
» denda ratio. (S. C. C. in *Convers.* 2. Mart. 1697. et in *Milevit.*
» 20. Mart. 1700.).

267. » Pro labore autem revisionis computorum locorum pio-
» rum nequeunt Episcopi aliquam mercedem, seu propinam exi-
» gere, sed hoc munus gratis tenentur implere, non obstante

» quacumque contraria consuetudine, prout mandat Taxa Inno-
» centiana. Et ratio est, quia Ordinarius habet reditus mensae,
» ut onera officii sustineat. (*Cap.* Statutum *de Rescr. in 6.* et
» S. Congr. Conc. in *Panormitana* 4. Martii 1690.). »

268. Non prohibetur Episcopus legem condere sive in Synodo, sive extra Synodum, ne administratores locorum piorum sumptus extraordinarios supra certam summam facere praesumant absque consensu totius communitatis ex. gr. sodalitii, et absque venia ipsius Episcopi. Utramque siquidem sancitum fuisse in Synodo *Firman.* a Card. Parraciani *Lib. 4. cap. 3.* §. *7.*, in *Synodo Tusculana* a Card. Eboracen. *Cap. 7.* §. *12.* aliisque Synodis, refert fol. in causa *Assisien.* ad diem 17. Septemb. 1785. §. *De sumptibus.* Utramque rem sua declaratione confirmavit in eadem causa S. C. C. ad dubia III. ac IV. proposita in dicta *Assisien.* die 21. Ian. 1786., quae hisce verbis concepta erant:

« III. An sustineatur edictum Episcopi in ea parte, in qua
» vetitum fuit administratoribus confraternitatum facere expensas
» cuiuscumque generis usque ad scut. 3 sine collegiali consensu
» in pluralitate suffragiorum praestito? IV. An sustineatur edi-
» ctum in ea parte, in qua sancitum fuit, quod, si expensae
» cuiuscumque generis excedant scut. 3 praeter approbationem
» maioris partis confratrum, impetrari debeat Episcopi licentia? »
Emi Patres rescripserunt: « Ad III. affirmative quoad extraordi-
» narias tantum. Ad IV. affirmative ad formam Synodi Episcopi
» Sermattei », quem videlicet sumptus tantummodo extraordinarios supra scut. 3 absque Episcopi venia prohibuisse deducitur ex folio §. *Difficilem.*

269. Recentiores aliquae in hoc rerum genere declarationes a S. C. Conc. editae subsequuntur, ex quibus iura hucusque exposita in viridi observantia vigere, et maiorem confirmationem accipere constabit.

270. In *Iuvenacen. Administrationis* 7. Iulii 1736. administratores sodalitatum et locorum piorum oppidi Terlitii ab Episcopo mulctati fuerant, eo quod sine eius consensu proventus ad eadem loca pertinentes in usus licet pios erogaverant, hoc innixi fundamento, quod administratores ex sui muneris natura liberam habent administrandi facultatem, reservato Episcopis rationes exigendi iure, quodque ex longaeva consuetudine iidem administratores in proventibus erogandis nullum ab Episcopo consen-

sum obtinere consueverunt. Itaque proposita dubii formula: « An » administratio proventuum spectantium ad confraternitates et » loca pia Terlitii pertineat ad confratres et officiales cum omni- » moda independentia ab Episcopo, vel potius erogatio dictorum » proventuum facienda sit a dictis confratribus et officialibus cum » scientia et approbatione Episcopi in casu? » prodiit resolutio: « Negative quoad primam partem, affirmative ad secundam, ad » formam decretorum b. m. Episcopi Chiurlia (1). » Cumque eadem causa iterum proposita fuisset, altero addito dubio: « An » redditio rationis proventuum administratorum, eorumque ero- » gatio facienda sit a confratribus, seu officialibus Episcopo in » visitatione, seu potius extra ad arbitrium dicti Episcopi in » casu? » S. Congr. die 17. Novemb. eiusdem anni resolutionem confirmavit, et respondit: « Affirmative quoad utramque partem, » in loco Terlitii, et amplius. »

271. In *Comen. Administrationis* 27. Iulii 1737. cum sodalitium in ecclesia S. Ioannis Baptistae in Atrio iampridem erectum esset, et canonici ecclesiae praetenderent a sodalitii administratoribus sibi rationem reddi, ipsamque administrationem suo sub nutu geri, aliasque insuper controversias moverent, plura dubia S. Congr. disceptanda subiecta sunt, inter quae duo prima haec erant:

1. « An confratribus ecclesiae S. Ioannis Baptistae in Atrio » liceat administrare bona et reditus eorum confraternitatis et » ecclesiae cum sola dependentia ab Episcopo?

2. » An et cui de bonis et reditibus administratis, necnon » de oblationibus dictae ecclesiae confratres teneantur reddere » rationem? »

S. C. rescripsit: « Ad 1. Affirmative. Ad 2. Solum teneri red- » dere rationem soli Episcopo. »

272. In *Faventina Redd. Rat.* 19. Septembr. 1772. Marchio Paulus Spada quamdam pecuniae vim in causas pias oppidi Brixichellae erogandam reliquerat, eiusque administrationem cuidam deputationi iuxta formam a se praescriptam demandaverat, quae *Paulina* nominabatur, eiusque membra *vocales* dicebantur. Hanc congregationem immunem voluerat a Fabricae S. Petri commissariis, et ab alio quocumque etiam iudice ac tribunali sub poena

(1) Haec decreta quae fuerint, non eruitur ex folio dictae causae.

revocationis et rescissionis eius rei, cui manus apponeretur. At si vota deputatorum discordarent, Episcopus adeundus erat, qui uni ex partibus dissidentibus adhaerere eiusque sententiam suo suffragio praeponderantem efficere deberet. Proinde multa dubia in disceptationem vocata sunt, nempe:

1. « An vocales congregationis Paulinae terrae Brixichellae » teneantur reddere rationem suae administrationis Episcopo Fa- » ventino in casu? » Et quatenus affirmative,

2. « An iidem vocales teneantur deferre seu mittere ad Epi- » scopum in civitate Faventiae libros et scripturas respicientes » dictam administrationem in casu? » Et quatenus negative,

3. « An teneantur dictos libros et scripturas, ut supra, de- » ferre, seu mittere pro hac vice tantum in casu?

4. » An congregatio Paulina, seu illius vocales possint eligere, » sive deputare ratiocinatorem, qui eorum nomine praesentiam » et assistentiam praestet redditioni rationis recipiendae sive ab » Episcopo, sive a revisore synodali, aut ab alio per Episcopum » deputando in casu?

5. » An redditio rationis sive in terra Brixichellae, sive in » civitate Faventiae gratis recipienda sit ab Episcopo, seu potius » vocales dictae congregationis teneantur solvere mercedem re- » visori synodali, sive alteri per Episcopum deputando, et in qua » summa in casu?

6. » An eadem congregatio teneatur quotannis eleemosynas » pauperibus distribuere, seu potius annis penuriosis dumtaxat » in casu? » Et quatenus negative ad primam partem et affir- mative ad secundam,

7. « An iudicare, seu determinare annum penuriosum in casu » spectet privative ad vocales dictae congregationis Paulinae in » casu?

8. » An praesens lis agenda sit sumptibus dictae congrega- » tionis, seu potius sumptibus illius vocalium in casu? » Et qua- tenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam,

9. « An reficiendae sint eidem congregationi a dictis vocali- » bus etiam expensae hucusque factae in casu? »

Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. Affirmative et amplius. » Ad 2. Negative et amplius. Ad 3. Negative. Ad 4. Affirmative. » Ad 5. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. » Ad 6. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

» Ad 7. Affirmative et amplius. Ad 8. Affirmative ad primam » partem, negative ad secundam et amplius. Ad 9. Negative et » amplius.»

273. In administrandis locorum piorum bonis persaepe contingit, ut, accedente beneplacito Apostolico, aliqua eorumdem bona alienari expediat. Quae quidem res, ut quisque videt, maximi momenti est, eademque cum ab administratoribus summam honestatem ac solertiam, tum ab Episcopis maximam circumspectionem ac vigilantiam expostulat. Quamvis itaque Instructio Benedictina huic parti exponendae copiam directe minime faciat, nihilominus, cum nulla res frequentior in usum cadat, neque inutile, neque ingratum facturos nos esse confidimus, si de hoc argumento aliqua verba faciamus.

274. Monemus in primis, sub nomine alienationis nos intelligere contractus quoslibet, qui communiter ex iuris canonici et doctorum recepto more alienationis nomine veniunt. Iamvero omnia iura, quae huc pertinent, bifariam dividi possunt, in ea videlicet, quae ex antiquo et recentiori aevo promanant, et in ea, quae novissime, ac speciatim ab exitu praeteriti saeculi prodierunt. Mens nostra non est, ut antiquiora recentioraque iura consectemur; nam argumentum huiusce primae partis numeris omnibus absolvere non pateretur instituti nostri brevitas, ac dein in promptu communiter sunt doctores, quos, data necessitate, potest quisque consulere: itaque pauca de prima parte, de secunda vero paulo fusiori calamo sermonem facere curae nobis erit.

275. Ad primam partem quod attinet, non abs re certe fuerit, si doctores aliquos recenseamus, qui de alienatione bonorum ecclesiasticorum uberius elocuti sunt, nempe Barbosa *de off. et pot. Episcopi Alleg. 95.*, Pignat. *Consult. 95. tom. 6.*, de Luca *de alienat. disc. 1.*, Ferraris verbo *Alienat. et* verbo *Bona*, Turricel. in suo speciali tractatu *de alienat. rer. eccles.* Ante omnes vero recensendus est doctissimus Petra ad *Constit. V. Pauli II.*, quae incipit *Ambitiosae tom. V.* Nam in commentario, quem in eam Constitutionem auctor elucubravit, in primis recolligit ac innuit loca singula, quibus hac de materia in antecedentibus Constitutionum commentariis alias iam egerat. Subinde laborem suum in quinque sectiones dispescit, quibus ordine tractationem omnem absolvit, agendo primum de contractibus prohibitis, et sub censura Constitutionis *Ambitiosae* cadentibus, dein de rebus ac bonis, quae

comprehenduntur sub prohibitione alienationis bonorum ecclesiae, tum de personis, quae subiiciuntur prohibitioni huiusce Constitutionis, tum de poenis bona alienantium sine Apostolico beneplacito; tandem de concessione ac executione beneplaciti Apostolici.

276. Illud tandem addimus, non raro dubitari, quaenam summa determinanda sit, ut agnoscatur, an res alienanda cadat sub censura *Cap. Terrulas,* ita ut Ordinarii venia ad eam rem sufficere dicenda sit. Doctores hac in re in varias abeunt sententias; namque hi maiorem, alii minorem summam requiri docent. Verumtamen certa atque indubitata hodie regula est, ut consuetudini cuiusque dioecesis legitime praescriptae standum sit. Id enim deducitur ex declaratione S. Congr. Conc. editae in causa *Forosempronien.* 21. Iulii 1827., in qua, relatis doctorum utrimque decertantium opinionibus, reque formiter discussa, quaerebatur, an probanda esset dioecesis Forosemproniensis consuetudo legitime inolita, ut Episcopi veniam darent pro alienandis ecclesiae bonis summam scut. 50 non excedentibus. Itaque propositum est dubium: « An probanda sit consuetudo centenaria aut » quadragenaria in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Affir» mative. »

277. Ad alteram partem de iure novissimo gradum facientes animadvertimus in primis, nihil ex iis, quae in antecessum vigebant, abrogatum vel imminutum fuisse, sed solummodo ampliatum et expressius constitutum ius antiquius et recentius, solemnitatibus rite praescriptis, quibus bonorum ecclesiasticorum alienatio peragenda sit. Huiusmodi rei viam quodammodo stravit Bened. XIV. per suum Motum-Proprium (qui habetur in tom. prim. sui Bullarii sub numero 65. incipien. *Essendo ben gravi* diei 22. Novemb. 1742.), in quo sancivit leges observandas in concedendis locationibus bonorum Apostolicae Camerae. Hae porro leges eo rediguntur praecipue, ut per edicta oblatores publice de locatione facienda praemoneantur, ut oblatio maior ac melior praelationem obtineat; ut intra viginti dies post locationem adiudicatam cuique oblationem ad vigesimam eiusdem partem augere queat; ut primus oblator hoc augmentum acceptare valeat; ut intra tres menses augmentum huiusmodi ad sextam partem adaugere quisque possit, quam denique vigesimario, si lubeat, itidem acceptare vel reiicere liberum sit.

278. Hisce vestigiis insistens S. C. Episc. et Regul. anno 1835. decretum *de locationibus et alienationibus rerum ecclesiasticarum*, quod sequitur, edendum curavit; utque adamussim observaretur, tota diligentia et assiduitate instare nunquam destitit.

279. « Curia episcopalis Assisiensis, datis literis ad S. Congr. » Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam IV. Id. Mart. anno 1735. duas quaestiones, seu dubia » proposuit, videlicet: 1. Utrum ad legitimam sextae et vigesimae oblationem requiratur ea pecuniae vis, quae vigesimam » et sextam iam oblati pretii partem saltem exaequet, an vero » sufficiat quodcumque augmentum titulo vigesimae et sextae? » 2. An ad maiorem ecclesiae utilitatem possit prorogari legitimum tempus, ut oblatores, si velint, novas oblationes exhibere » valeant? » S. Congr. respondit: « Ad 1. Affirmative ad primam » partem, negative ad secundam. Ad 2. Negative, et dentur decreta de adiudicandis bonis ecclesiasticis alias edita et praesertim, quae sequuntur:

280. » 1. In adiudicandis rebus ecclesiasticis observandae » sunt leges latae a Bened. XIV. suo Motu-Proprio edito die 22. » Novembr. 1742. pro locationibus bonorum cameralium (1).

2. » Oblationes fieri debent in quadam summa certa et explicita sine ulla conditione, aut augmento, quod ex eventu » pendeat, ac proinde, si quis obtulerit ex. gr. decem nummos » scutatos vel supra meliorem quamcumque oblationem, vel supra » eas oblationes, quae ad certam summam pervenerint, oblatio » isthaec reiicitur, veluti captiosa, et utilitati locorum piorum » adversa.

3. » Si quis vero in eadem oblatione, postquam summam » certam obtulerit, polliceatur etiam se soluturum ex. gr. decem » nummos scutatos vel supra aliam quamcumque oblationem, vel » supra eas oblationes, quae certa summa contineantur, tum » augmentum decem nummorum scutat. non aliorum oblationibus, sed certae summae ab eo oblatae addendum erit.

4. » Si edicta proposita fuerint vi literarum S. Congregationis, et, elapso termino, apertisque oblationibus, novae exhibeantur oblationes, tum oblationes omnes ad S. Congregatio-

(1) Pius PP. VI. s. m. anno 1785. extendit ad rerum ecclesiasticarum alienationes hunc Motum-Proprium Bened. XIV.

» nem mittendae erunt; Sacra autem Congregatio, re adhuc » integra, poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel » reiicere, vel mandare, ut denuo edicta proponantur.

5. » Idem ius novas oblationes vel reiiciendi, aut etiam edicta » denuo proponendi, re adhuc integra, ad exsecutorem beneplaciti Apostolici spectat, ubi ob peculiares aliquas rationes facultas » adiudicandi eidem exsecutori tributa fuerit.

6. » Cuique licet oblationem eius, cui res adiudicata est, intra » viginti dies ad vigesimam et ultra augere; hic terminus incipit » a die, quo ex decreto exsecutoris beneplaciti Apostolici res adiudicata fuit.

7. » Si quis intra huiusmodi terminum vigesimam obtulerit, » tunc ei, cui res adiudicata fuit, significanda erit, eique decem » dies permittuntur, intra quos declaret, velit necne vigesimam » acceptare.

8. » Pro offerenda sexta spatium trium mensium conceditur; » hic terminus decurrit a die, quo primum res adiudicata est, si » nemo vigesimam obtulerit; si vero oblata fuerit, decurrit a die, » quo oblatori vigesimario res adiudicata fuerit.

9. » Privilegium addictionis in diem, et restitutionis in integrum, sive ius vigesimae et sextae tectum integramque manet » favore ecclesiae, etiamsi in decreto exsecutoris nulla mentio de » eo facta fuerit.

10. » Neque etiam pro invitandis oblatoribus necesse est, ut » edicta vigesimae et sextae proponantur (1). – Romae die 18. » Martii 1835. – I. A. Card. Sala, Praefectus. – I. Archiepiscopus » Ephesinus, Secretarius. »

281. S. C. Episc. et Regul., ut modo diximus, ex eo tempore, quo huiusmodi decreta sancita sunt, enixo studio nunquam non institit, ut ubique in ecclesiasticis curiis eorum observantia curaretur. Id profecto apprime patebit ex iis, quae modo allaturi sumus. Sic ex. gr. in dioecesi N. N. *Emphyt.* 16. Decembr. 1859., cum S. Congr. Episc. et Regul. deprehendisset, licitationis acta non fuisse ad normam decretorum generalium confecta, ita ut

(1) Exsecutores Rescriptorum, nisi super experimentis vigesimae et sextae expressa dispensatio a S. C. concessa fuerit, debent praescribere edictorum affixionem. Nihilominus si ipsi officio suo defecerint, etiam non affixis edictis quisque ius habet vigesimam et sextam offerendi.

colligere daretur a curia eiusdem dioecesis eadem decreta generalia forsan ignorari, Emorum Patrum mens ea fuit, ut illa decreta eidem communicarentur.

282. Nec secus in compluribus aliis casibus. Et sane; in §. 2. ipsorum decretorum statutum est, *ut oblationes fieri debeant in summa certa et explicita sine ulla conditione...* Qua de re S. C. in *Perusina Licitationis* 10. Iulii 1840. acta licitatoria rescindenda censuit ex eo, quod maior oblator conditionem quamdam oblationi apposuerat, ut contractus consummatus et perfectus haberi deberet ante fructuum recollectionem; ex qua re illud fiebat, ut oblatio, substantialiter inspecta, multo minor aliis oblationibus evaderet. Idipsum S. C. Episc. et Regul. firmavit in aliis causis, quas paulo post adducemus.

283. Etiam S. C. Conc. pragmaticas horum decretorum sanctiones ad unguem servandas esse tenuit in *Romana* seu *Nepesina Contractus* dici 1. Iunii 1861. Cum enim una ex partibus litigantibus eisdem sanctionibus inhaerens substantiales defectus intervenisse in licitationis actibus obiiceret, et altera pars obligatoriam sanctionibus iisdem vim inesse denegaret ac mordicus tueretur, S. C. C. defectus appositos agnovit reprobavitque, ideoque iterum edicta ex integro affigi voluit. Idipsum eadem S. C. tenuisse visa est in *Sabinen. Contractus* 31. Mart. 1860., in qua emphyteuticam concessionem amica concordia conventam approbavit *praevia dispensatione ab edictorum affixione etiam pro experimentis vigesimae et sextae;* qua porro dispensatione nihil opus fuisset, si sanctiones superius expositas obligandi vim non habere reputatum fuisset.

284. Iuxta Motum-Proprium Benedicti XIV., cuius observatio praescribitur in primo articulo eorumdem decretorum generalium, illud cautum est, ut, postquam vigesimarius vigesimam acceptam habuerit, eique res licitata fuerit deliberata, fisco, ideoque ecclesiae nihil aliud supersit, nisi restitutio in integrum, ut ad sextam assequendam admittatur. Vid. *Mot. Pr.* §. *V. ac VI. et VII.* Quapropter vigesimarius, cum res ad hunc locum adducta fuerit, pro vero ac legitimo rei licitatae domino sese gerendi ius habet, atque adeo eiusdem possessionem inire, et instrumentum stipulari non impeditur. Namque in *Tudertina Super stip. contr. emph.* 24. Mart. 1848. huiusmodi casui loco facto, duo penes S. Cong. Episc. et Regul. proposita sunt dubia: « An Marinellius, in casu,

» de quo agitur, vigesimarius, effectus fuerit verus ac legitimus » proprietarius fundi, ita ut eius favore decurrant fructus eius- » dem fundi, salvo iure restitutionis in integrum ex capite laesio- » nis favore beneficii casu, quo sexta offeratur? 2. An idem deli- » beratarius in fundi possessionem ingredi et instrumentum sti- » pulari possit, quin exspectare cogatur, ut tres ad sextam offe- » rendam dati menses decurrant? » S. C. respondit ad utrumque affirmative.

285. Si post vigesimam acceptatam, et confectum rite instrumentum, in sextae experimento peragendo, praescripta solemnitatum forma ad amussim servata non fuerit, acta in antecessum confecta firma rataque habentur, posteriora vero rescinduntur, atque iterari iubentur. Et sane; in *Montisfalisci* 22. Febr. 1861. penes S. Cong. Episc. et Regul. Petro N. N. quidam fundus, licitationi expositus, fuerat deliberatus in primo experimento, ac, salvo iure vigesimae ac sextae, instrumentum etiam celebratum fuerat. Vigesimae loco facto, constabat, eidem vigesimam ipsam per curiae Faliscae apparitorem die 29. Sept. 1840. fuisse significatam, sed non constabat, an ipse eam acceptam habuisset. Nihilominus cum vigesimae actum iuxta decreta generalia formiter peractum non fuisse liqueret, tametsi sexta etiam locum habuisset, adeoque inter N. N. ultimum deliberatarium et Petri haeredes controversia efferbuisset, dubium concinnatum est die 22. Febr. 1861.: « An, et quomodo, et cuius favore instrumenti » stipulatio permittenda sit? » S. Cong. respondit: « Affirmative » favore fratrum N. N. pro scut. 521., (talis porro erat vigesima » oblata ab N. N. ultimo deliberatario), praevio novo experimento » sextae. » Et dubio iterum proposito die 17. Maii eiusdem anni, Emi Patres rescripserunt: « In decisis et amplius. » Itaque, experimento sextae absoluto, fratres N. N. sextam acceptaverunt, qua fundi pretium ultra scutata mille adauctum fuerat, et ideo pius locus, hoc augmento superaddito, eisdem fratribus fundum definitive alienavit.

286. Aliter vero se res habet, si experimenta tum vigesimae, tum sextae ad amussim iuxta decreta generalia effectum habuerint; tum enim ad normam Motus-Proprii Benedicti XIV. §. 7. nihil aliud loco pio remedium superest, nisi exceptio laesionis iuxta dimidium *quatenus de iure, et prout de iure*. Namque S. Rota in *Romana Stip. inst.* 26. Iulii 1850. *coram Bonini* cum capel-

lani Innocentiani, postquam vigesimae et sextae experimentum expletum fuerat, praetereaque Apostolicum beneplacitum impetratum et exsecutioni rite commissum fuerat, poenitentia moti pluribus de causis resilire a contractu adniterentur, proposito dubio: « An » sit locus stipulationi contractus emphyteutici in casu? » S. C. respondit: « Affirmative. »

287. Idem esset, si ex venia Apostolicae Sedis ab experimento vigesimae et sextae dispensatum fuisset; id enim nimirum accidit in *Civitatis Castelli Stip. instr.* 11. Ian. 1860. apud S. Cong. Conc., in qua municipes loci pii administratores in emphyteusim Marinio dare recusabant domum quamdam, pro qua obtinenda experimenta vigesimae et sextae relaxata fuerant ex Apostolico beneplacito, quod formiter exsecutionem sortitum fuerat; ad dubium enim: « An sit locus stipulationi instrumenti emphyteusis » perpetuae favore Marini in casu? » S. Cong. Conc. respondit: « Affirmative. » Et causa iterum proposita die 21. Nov. 1860. Emi Patres rescripserunt: « In decisis ad formam beneplaciti Apo- » stolici et amplius. »

288. In huiusmodi tamen dispensationum casibus prope cavendum est, ne peccatum sit contra Rescripti formam, praesertim vero, ne quid in detrimentum loci pii admissum fuerit, aut quilibet alius defectus intercesserit. Tunc enim Rescripti valor ex hisce causis minime sustinetur, indeque Rescriptum ipsum non erit exsequendum, et si exsecutio praecesserit, idem reportandum erit, idest revocandum ac rescindendum, prout accidit in quadam *Balneoregien. Rep. rescr.* diei 13. Sept. 1861., in qua sub specie recedendi a lite, concordia inita fuerat a Priore sodalitii absque sodalium interventu, cuius vi praedia ad pium eum locum pertinentia, accedente beneplacito Apostolico, eiusque exsecutoriali decreto, homini cuidam sine licitationis experimentis in emphyteusim concedebantur. Cum enim sodales apud S. C. Episc. et Regul. acriter conquesti fuissent, tum quod ipsi auditi non fuerant, tum multo fortius, quod emphyteusis in evidens sodalitii damnum vergeret, Emi Patres, conquestionum huiusmodi veritate comperta, ad dubium: « An sit locus reportationi Rescripti die » 11. Octobris 1858., seu potius locus sit stipulationi instrumenti » ad normam eiusdem Rescripti ac decreti exsecutorialis in casu? » responderunt: « Affirmative ad primam partem, negative ad se- » cundam. » Idem responsum S. C. Episc. et Regul. praebuerat

in *Sutrin. Super Rep. rescr.* 26. Septembris 1851. et *Firmana Rep. rescr.* 30. Iulii 1852., confirmata die 3. Dec. eiusdem anni per Rescriptum: In decisis.

289. In allatis decretis tempus utile ad vigesimam viginti dies, ad sextam exhibendam tres menses praestituti sunt. Itaque nefas erit Episcopis huiusmodi spatia sive coercere, sive ampliare; id porro eruitur ex *Assisien.* superius allata ad secundum dubium, sed et confirmatur duabus aliis causis, quarum prima est *Comaclensis Praelationis* 8. Aprilis 1859. In ea tempus pro vigesima ad triginta dies prorogatum fuerat, e contra trimestre, ad sextam exhibendam praefinitum, ad dies quindecim coercitum fuerat: insuper inter oblationes ea, quae maior erat, ob aliquas reservationes in eadem adiectas vel captiosa, vel incerta circa summam adpromissam traduci poterat. Itaque Emi ad dubium: « An, et cuius favore, et pro qua summa emphyteusis adiudicanda » sit in casu? » rescripserunt: « Negative, et denuo affigantur » edicta pro experimento vigesimae et sextae ad praescriptum » S. Congr. diei 18. Mart. 1835. », nempe decretorum generalium.

290. Itidem in *Tiburtina Super emphyt.* 22. Aug. 1862. vigesima iam locum habuerat; at in offerenda sexta maior oblator expresse non edixerat, an conventionibus pro stipulanda emphyteusi propositis standum sibi esse duceret: itaque loci pii administratores, oblationibus resignatis ac patefactis, eidem maiori oblatori decem dies praefixerunt, ut mentem suam hac super re dilucide aperiret: quod ipse iuxta votum facere non praetermisit. At vero vigesimarius acerrime restitit, tum quia per aliorum decem dierum spatium, ut supra elargitum, tempora a decretis generalibus praefinita prorogationem quodammodo praeseferebant, tum quod oblatio summam certam portendere non videretur ex eo, quod obligationes, ex conventionibus propositis emphyteusi impositas idem maior oblator recusare fortasse poterat, cum iisdem sese inhaesurum clare in oblatione non edixisset. Itaque proposito dubio: « An, et cuius favore emphyteusis adiu- » dicanda sit in casu? » Emi Patres responderunt: « Denuo af- » figantur edicta. »

291. « Ex praescripto S. C. terminum pro vigesima incipere » a die, quo ex decreto exsecutoris beneplaciti Apostolici res ad- » iudicata fuerit; pro sexta vero decurrere ab eadem die, si nemo » vigesimam obtulerit; si vero oblata fuerit, decurrere a die, quo

» oblatori vigesimario res adiudicata fuerit, et quatenus vigesi- » mam nemo obtulerit, permitti tantum sextam offerri », significatum est Emo Card. Episcopo Montisfalisci literis S. C. Episc. et Regul. die 5. Nov. 1849., quibus respondebatur nonnullis dubitationibus a Vicario Generali propositis. Id constat ex Posit. *sub n. 4888.* resumpta et unita cum causa *Montisfalisci* 17. Maii 1861., de qua supra mentionem fecimus.

292. Etiamsi singula licitationis experimenta completa sint, quando adhuc rei licitatae adiudicatio peracta non fuerit, si de loci pii detrimento notitia perveniat, atque insuper suspicio suboriatur, quod in iisdem experimentis dolus aliquis admissus fuerit, tum causa est vel S. Congreg., vel exsecutori ab ea deputato pro adiudicatione peragenda, cur Rescripti exsecutionem intercipere queant; ut patet hoc exemplo. Quidam Maroncellus, beneficiatus, venia a S. C. accepta, aliqua praediola ad beneficium pertinentia auctioni exposuerat, ac omnia experimenta effectum sortita fuerant, nisi quod adiudicatio nondum acciderat. Hoc in rerum statu beneficiatus facti poenitens apud exsecutorem beneplaciti Apostolici mordicus obstabat, ne beneplacitum ipsum exsecutioni committeretur, tum quia contractus beneficio admodum perniciosus futurus erat, tum quod deliberatarius, cui praediola adiudicanda fuissent, accusabatur per dolum ab hasta alios competitores propulsavisse. Itaque, ut patet ex *Fabrianen. Exsec. res.* 27. Iulii 1860. subiecto dubio: « An, et quomodo exsequendum » sit Rescriptum diei 25. Maii 1857. in casu? » S. Congreg. rescripsit: « Non expedire. »

293. In alienatione bonorum ad beneficia pertinentium, quae iuripatronatus obnoxia sunt, nulla lege praescribitur, ut de necessitate patronorum consensus requiratur, quamvis hisce vetitum non sit alienationi se opponere per recursum ad Superiorem deferendum: multo vero minus patronis ius est praelationis pro acquirenda re beneficiaria, quae auctioni exponitur. Porro in *Veliterna,* seu *Terracinen. Emphyt.* 8. Mart. 1861. patronus contra emphyteusim, quam beneficiatus, impetrato beneplacito Apostolico, singulisque licitationis actibus rite absolutis, maiori oblatori concessurus erat, supplici ad S. C. Episc. et Regul. oblato libello, graves suas reclamationes detulit: utcumque vero se res haberet, praelationem contra eumdem deliberatarium sibi propugnabat. Itaque propositis dubiis:

1. « An, et quomodo attendendae sint patroni reclamationes » in casu? 2. An, et quomodo, et cuius favore permittenda sit » instrumenti emphyteutici stipulatio in casu? » S. Cong. rescripsit: « Ad 1. Negative. Ad 2. Affirmative favore Censi pro summa scut. 44. 33, et cum reliquis conditionibus in oblatione » Armellini appositis. » Porro Censius vigesimarius erat, et Armellinius sextam obtulerat; ideoque Censio integrum erat Armellini sextam acceptam habere.

Antequam hoc argumentum de contractibus bonorum ecclesiasticorum concludamus, operae pretium ducimus, lectorem nostrum admonere, ultimis hisce temporibus egregium hac de materia opus in lucem prodiisse studio et cura amicissimi collegae mei, quale alterum simile apud rerum canonicarum tractatores frustra quaereret. Huic operi titulus est: *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos ab Aloysio advocato Trombetta S. C. Episc. et Regul. Subsecretario iuxta principia iuris expositae – Romae 1865. ex typographia Salviucci.* Synopsim praeclari operis subiungemus infra pag. 549. in appendice ad hanc III paragraphum.

294. Quoniam de alienatione bonorum ecclesiasticorum locuti sumus, non erit abs re etiam de acquisitionibus, vulgo *investimentis* agere. Illud enim in administratione piorum locorum saepenumero accidit, ut aliqua pecuniae summa in promptu sit, quae otiosa et inutilis in locorum piorum aerario iaceat. Sed ut paulo plenius huiusmodi argumentum conficiatur, in primis statuendum est, disciplinam esse in usu S. C. Episc. et Regul. positam, ut pecuniae, quae ex. gr. ex dotibus monasticis, aut ex venditionibus bonorum ecclesiasticorum et legatorum veniunt, dummodo aliud non obstet, in bonis stabilibus, tutis, atque fructiferis collocentur (S. C. Episc. et Regul. in *Assisien. Investimenti* 4. Oct. 1823.).

Subinde pronum est inquirere, an locorum piorum administratores sine Episcopi venia possint investimenta facere? « Nulla » quidem (ita fol. S. C. Conc. in *Narnien.* 15. Mart. 1790. §. *Nulla*) » est canonica lex, quae canonicos cathedralis, aliosque locorum » piorum administratores obliget ad petendam in activis investimentis seu in acquirendo, veniam Episcopi. Contrarium imo » statuunt Ciarlin. *Contr. Cap. 183. n. 107.* et Monacell. *Form.* » *Leg. tit. 14. form. 6. n. 1. et seq.* Quotannis tamen ei reddenda » est administrationis ratio ex praescripto S. Conc. Trid. *Sess. 22.*

» *cap. 9. de Reform.*, et ad vitandas fraudes potest etiam edi» cere, ne absque sua licentia pecuniae investiantur, ut in Far» fensi Synodo *de reb. eccl. non alien.* decrevit Card. Barberi» nus, et declaravit S. C. in *Assisien.* 21. Ianuar. 1786. *ad V.* » *dub.* » Porro dubium huiusce *Assisiensis* ita conceptum erat: « An sustineatur edictum in ea parte, in qua iubentur confra» ternitates, seu illarum officiales deponere in aede sacra Assisii » sortem censuum aliorumque creditorum in casu restitutionis » cum vinculo investimenti; itemque vetantur ad investimenta » procedere absque Ordinarii approbatione? » S. C. rescripsit: « Affirmative in omnibus. » Ex his itaque colligi posse videtur, Episcopum posse quidem legem facere, ne pecuniae collocatio in emptione stabilium suscipiatur absque sua venia, sed si huiusmodi lex nunquam edita fuerit, poterunt administratores pecuniam locorum piorum investire, et investimenta ante huiusmodi promulgatam legem utique sustineri dicenda sunt, quod magis magisque confirmatur ex declaratione S. C. in eadem *Narnien.* edita, quam hic subnectimus.

In *Narnien.* 15. Maii 1790. exponebat Episcopus, in Capitulo Narniensi invaluisse, ut mensae capitularis pecunia investiretur, nulla petita ab Episcopo venia vel consensu: de qua consuetudine antiquitus et constanter servata apprime constabat. Perpendebatur in iure, nullum in huiusmodi investimentis a lege canonica requiri beneplacitum; quamquam Episcopis integrum sit suo decreto sancire, ne piorum locorum pecunia absque sua licentia investiatur (Monacell. *Form. Leg. tit. 14. form. 6. n. 1.*); ceterum Episcoporum ius salvum esse ob rationum redditionem, quam exigere, expendere et sententia sua prosequi possunt. Porro in Narniensi dioecesi nulla specialis aderat lex, quae huiusmodi investimenta vetaret. Itaque sequentibus dubiis:

1. « An et quomodo fieri debeant futura investimenta in casu?

2. » An sustineantur investimenta praeterita in casu? »

S. Cong. respondit:

« Ad 1. Affirmative, et in casibus particularibus Episcopus » utatur iure suo.

» Ad 2. Affirmative. »

295. In alienationum instrumentis conficiendis illud plerumque pactum ex S. C. Rescripto apponitur, ut pecunia ex re vendita retrahenda apud emptorem, convento interusurio, detinea-

tur, donec eamdem in fundis stabilibus collocandi occasio non occurrat. Quaeritur itaque, quamdiu emptor eamdem pecuniam apud se retinere cogatur? Si in Rescripto duratio temporis expressis verbis determinata fuerit, depactae conditioni standum esse quisque videt. Sin vero duratio temporis definita non fuerit, licet emptori post congruum temporis decursum pii loci administratores ad pecuniam recipiendam adstringere; aliter ius eidem est depositum in aede sacra peragendi. Etenim in *Cornetana Solut. pret.* 18. Iun. 1847. apud S. Congr. Episc. et Regul. Pascalis Detio per Rescriptum eiusdem S. C. diei 16. Mart. 1832. ab universitate sutorum (vulgo *calzolari*) fundum emptionis venditionis titulo acquisierat, depacto interusurio scutat. annuorum septem, donec pretium in contractu conventum *in aliis stabilibus utilioribus integre ac fideliter investitum fuerit.* Rescripto consonum plene fuit exsecutoriale Ordinarii decretum. Posthac Paschalis Detio fundum hunc ab universitate sutorum coemptum in fratres Falzacappa titulo cessionis transtulerat; qui proinde anno 1843. apud S. C. de negligentia sutorum in requirendo investimento lamentati implorabant, ut iidem sutores ad summam pretii, de quo diximus, recipiendam adigerentur. Itaque, auditis partibus, et exquisita iuxta morem Ordinarii sententia, dubium primo loco in discussionem vocatum est: « An et quomodo suto» rum universitas adigenda sit ad acceptandam solutionem pre» tii fundi venditi in casu? » S. Cong. rescripsit: « Affirmative, » et esse praefigendum universitati calzolariorum terminum unius » anni ad curandum utile investimentum conventi pretii, quo ter» mino inutiliter elapso, esse locum deposito in aede sacra per » emptores, salvo iure tamen universitati petendi rescissionem, » prout et quatenus de iure. » Porro universitas excipiebat, ab emptore conditiones in contractu conventas non fuisse servatas, adeoque contra imploraverat, ut contractus rescinderetur.

## APPENDIX.

**Synopsis operis advocati Aloisii Trombetta, cui titulus « Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos. » Romae apud Salviucci 1865.**

Cum synopsim operis a claro advocato Aloisio Trombetta, Subsecretario S. C. Episc. et Regul., collega nostro, cuius amicitia gloriamur, in usum ephemeridis, cui titulus *Acta ex iis excer-*

*pta etc.* edere debuimus, eam elucubrationem heic lectori nostro suppeditamus, ut pro re nata normam sumere valeat, opus ipsum, sicubi oportuerit, consulturus.

Itaque, ut ad rem veniam, clarissimus auctor, postquam suo operi per extensum praemisit tum celebratissimam *Extravagantem* Pauli II. incipien. *Ambitiosae*, tum Benedicti XIV. Motum-Proprium et generalia S. C. decreta, in primis id statuit ac firmat, hisce decretis inesse propriam ac veram obligandi vim, iisque propterea sese conformare debere tum eos, quorum est partem habere in administratione rerum ecclesiasticarum, tum etiam SS. CC. ac tribunalia. Sacra enim Cong. Episc. et Regul., cum agat nomine Papae, ut ait Card. de Luca, ab hoc auctoritatem obtinet leges etiam ferendi, cum praesertim nil, quod aliquam gravitatem habeat, sine scientia ac speciali iussu Summi Pontificis agere vel iubere soleat. Hinc est, quod et S. C. Cong., et ipsum S. Rotae auditorium iisdem decretis pro re nata inhaerere religiosum sibi duxerint, prout ostenditur idoneis allatis exemplis (1).

Hisce in primo capite praestitutis auctor in capite secundo de publicis edictis eloquitur, quae affigi debent, antequam aliqua ecclesiastica res licitationi exponatur: quae quidem absque auctoritate a sacro Ordine facta indici non posse docet; et si secus factum fuerit, S. Cong. integrum esse admonet eam affixionem posthabere, et novam praescribere, iussa nova aestimatione fundi per virum peritum ex officio eligendum, aliisque conditionibus adiectis, quae magis in rem et utilitatem ecclesiae cedere videantur. Sine speciali Sedis Apostolicae venia in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum edicta praetermitti nequeunt. Si fundum licitandum pro indiviso ecclesia cum persona laica pos-

---

(1) Adnotamus hic, auctorem nostrum singula ea, quae asseverat in hoc capite, itemque in iis quae sequuntur, quaeque nos summis labiis delibanda sumimus, idoneis rationum momentis copiose fulcire et comprobare solere. Qua in re hac idem methodo generatim usus est, ut iuris civilis et canonici, quo vivimus, principia ponat ac statuat, ex iisque veluti e fonte deducat regulas disciplinae, seu praxeos, quas servat servarique mandat S. C. Episc. et Regul. in contractibus rerum ecclesiasticarum ineundis: iisdem insuper quasi praesidium ac firmamentum comparat ex declarationibus, quas sacer Ordo edidit in casibus particularibus, quaeque idem excerpsit ex authenticis regestis tabularii S. C., nec quandoque, cum res postulat, argumenta mutuari omittit sive ex declarationibus S. Congr. Concilii, sive decisionibus S. Rotae Romanae.

sideat, non idcirco edictorum affixionem declinari ac negligi posse contendit. Non ex praecepto legis, sed tantum ex consilio et exhortatione edicta requiri tradit in locationibus, quae intra triennium continentur, dummodo tamen etiam hoc in casu eadem ex synodali sanctione haud praecipiantur. Nullus est terminus praefixus pro primis edictis, quem tamen ad viginti vel triginta dies plus minusve prudenti Ordinariorum iudicio protensum generatim sese inspexisse testatur. Quod pertinet ad edictorum pro vigesima ac sexta affixionem, hanc nec essentialem, nec praeceptivam esse docet, etiamsi consuetudo et maior ecclesiae utilitas eadem non omitti suadeat.

Gradum facit auctor in tertio capite ad oblationes, de quibus plura ad usum necessaria disserit. In primis quaestionem instituit de casu, quo duae oblationes vel plures inveniantur inter se pares. Hoc posito S. C. iubet ad se omnes oblationes remitti, ut ipsa eligere possit, quaenam oblatio inter pares quoad quantitatem sit melior quoad alia; neque enim hisce in rebus maior tantum, sed et melior debet oblator attendi. Subinde enumerat conditiones, quae requiruntur, ut oblationes suum sortiantur effectum; itaque primo debent esse *legitimae*, scilicet loco ac tempore factae in edictis praestituto: quod ita intelligendum est, ut nihilominus liceat nova proponere edicta, si utile id ecclesiae censeatur, et quoties res adhuc integra est, beneplacito nondum expedito, nec exsecutioni rite commisso, ac publico instrumento exarato. Secundo debent esse *certae*, videlicet in summa certa et explicita, unde reiiciuntur oblationes captiosae, incertae et ecclesiae bono adversae. Aliquando fit, ut aliquis oblator praeter propriam oblationem addat augmentum supra quaslibet alias oblationes: hoc in casu augmentum oblationi propriae addi debet non alienae; ex. gr. si Titius offerat centum, et addat scutata decem supra quaslibet alias oblationes, quae propriam exsuperent, oblatio recipitur in scutatis centum ac decem. Si oblationi inhaereat aliqua conditio, eadem tanquam incerta repudiatur. Tertio loco debent esse *evidenter utiles;* namque ecclesia ad alienationem non procedit, nisi cum evidenti sua utilitate iuxta privilegia, quae communia habet cum pupillis et minoribus; itaque ecclesiae utiles minime reputantur eae, quae pro *persona nominanda* exhibentur, nam si persona, cum qua contrahendum est, cognita plene non fuerit, de utilitate evidenti iudicium proferri

nequit; deinde persona ista nominanda sanguine coniuncta cum ecclesiae administratore facile esse potest: atqui vetitum est contractus inire cum his super ecclesiae administratae rebus; circa personam nominandam excipitur casus, quo illico et in continenti declaratur, quaenam speciatim ista persona sit; tunc enim exulant ea, quae metuuntur incommoda. Dein ratio discriminis adsignatur, cur obligationes pro persona nominanda admittantur in foro civili, ac reiiciantur in foro ecclesiastico: quae ratio in eo sita est, quod evidenter non apparet, an contractus, de quo res est, cum persona innominata utilitatem ecclesiae sit allatura, necne. Sed nec utiles reputantur oblationes, quae continent aliquam summam titulo ingressus, vulgo *di prima entratura*, aut alio quocumque nomine vocitetur, nisi ea summa favore ecclesiae ipsius investiatur. Denique oblationes esse debent *idoneae*, ab iis nempe exhibitae, qui sint solvendo pares, vel alias, quae necessariae sunt, cautiones praestare valeant: si secus fortasse fiat, oblatori certus terminus praefigitur, ut cautiones ipsas sibi comparet et exhibeat: quo inutiliter elapso, aliis, licet minoribus, oblationibus recipiendis aditus aperitur. Semel traditis rite oblationibus quaestio suboritur, an locus sit poenitentiae ita, ut oblatores factum suum retractare queant. In quo distinguenda sunt edicta *deliberatoria* et edicta *invitatoria*. Deliberatoria ea dicuntur, quae promissionem continent rem deliberandi favore maioris oblatoris; invitatoria audiunt, quibus expresse monetur, quod oblationum ratio habebitur; quod italice dicitur *saranno prese in considerazione*. Ad prima quod attinet, regula statuitur easdem oblationes esse obligatorias; namque oblatio promissionem involvit, quae simul ac facta fuerit, ex lege naturali ac civili servanda est. Hanc thesim auctor cum fuse tum solide comprobat. Si vero agatur de edictis invitatoriis regula generalis est, ut ea obligandi vim non habeant, dummodo tempus non sit praefinitum, quo liceat oblationes cernere et arbitrium interponere, an spernendae vel accipiendae sint: at hoc termino elapso, potest oblator oblationes suas revocare, et ab iis resilire. Verum cum agitur de contractibus cum ecclesia, idem adnotat auctor, eas quoque oblationes ex praxi S. Congr. Episc. et Regul. uti obligatorias semper fuisse habitas, atque omnia argumenta recenset, quibus praxis ipsa fulcitur.

In quarto capite de vigesima ac sexta speciatim dicendum

suscipit auctor, easque inductas fuisse tradit tum ad instar privilegii *addictionis in diem* circa vigesimam, unde sequitur, quod venditio ea lege facta censeatur, ut firma fiat vel firma remaneat, si alius intra certum tempus meliorem non obtulerit conditionem; tum instar privilegii *restitutionis in integrum* circa sextam, cuius vi aliquis in pristinum statum reponitur, et negotium instauratur. Vigesimae ac sextae experimentis locus esse nequit, nisi postquam beneplacitum Apostolicum per Ordinarium decreto, quod vocant, exsecutoriali munitum fuerit. Eadem vigesimae ac sextae experimenta nullitatis quoque vitio laborant, si peracta fuerint ante literarum Apostolicarum expeditionem in iis contractibus emphyteuticis, pro quibus literarum Apostolicarum expeditio praescribi solet. Vigesimae duratio ad viginti dies protenditur, eiusque terminus decurrere incipit a die, quo ab Ordinario exsecutoriale decretum appositum fuerit; duratio vero sextae trium est mensium. Porro vigesimae et sextae termini neque prorogari neque contrahi possunt ab Ordinariis. Sacra vero Congregatio potest quidem terminos contrahere, minime vero prorogare. Ea oblatio vigesimae ac sextae, quae maior reperta fuerit, deliberatorio sub poena nullitatis denuntianda est. Vigesimae ac sextae oblatio potest esse maior quantitate praescripta, idest maior parte vigesima pro una, maior sexta parte pro altera; neutiquam tamen potest esse minor. Quod pro vigesima dispositum fuit, idem, congrua congruis referendo, pro sexta dispositum fuisse censendum est.

De Apostolico beneplacito quinto in capite sermo instituitur, idemque non requiri in locatione triennali ostenditur; itemque nec in contractibus, in quibus Ordinarii facultatem habent vi canonis *Terrulas*. In hoc articulo exponendo declaratur, valoris modicitatem, qua concurrente eius canonis applicatio locum habet, determinari a consuetudine locali, ita ut valor modicus etiam censeatur, qui scutata quinquaginta monetae Romanae non excedat, ubi praefata adest consuetudo, seu modicus dumtaxat dicendus erit, qui ducata viginti quinque de Camera (quae aequivalent scutatis Romanis quadraginta) non superet. Excipiuntur concessiones emphyteuticae perpetuae rerum valoris etiam modici, pro quibus Apostolicum beneplacitum requiritur, nec Episcopi auctoratio sufficit. – Quamvis olim sine novo beneplacito liceret res emphyteusi dari solitas, devolutione adveniente, iterum

in emphyteusim concedere, hodie tamen sancitum ac receptum est, ut novum beneplacitum semper omnino requiratur.

Circa Rescripta eorumque exsecutionem versatur caput sextum. Porro Rescripta alia sunt in forma *gratiosa*, alia in forma *commissaria*. Rescripta in forma *gratiosa* ea dicuntur, quibus videlicet gratiam Summus Pontifex per se immediate impertitur, quin ab aliquo retardari queat; ac talia sunt ea etiam, quae clausulam continent *arbitrio* Episcopi aut alterius exsecutoris: haec enim apposita dumtaxat censetur ob reverentiam in exsecutorem, ideoque eadem exsecutorem mixtum haud facit. Rescripta in forma *commissaria* ea dicuntur, quibus Pontifex gratiam per se ipsum non facit, sed committit, sive mandatum dat alicui, puta, Ordinario, ut eam impertiatur certis observatis conditionibus, quas auctor enucleat. Delegatio S. Sedis in Ordinarium collata extenditur etiam ad Vicarium Generalem, minime vero si facta fuerit Episcopo, nisi in vim delegationis. Quod si facta fuerit Vicario, non potest eam exsequi Episcopus, nisi Vicarius ei subdelegare velit; quae tamen subdelegatio fieri nequit in casu, quo electa omnino fuerit industria personae. Rescripta gratiae dumtaxat in forma commissaria impetrata per mortem Pontificis exspirant.

Septimum caput aditum aperit quaestionibus agitandis ac resolvendis, quae pretii, quod ex alienatione retrahitur, investimentum respiciunt. Investimentum definit auctor, legitimam pecuniae collocationem in praediorum emptione, vel in iuris percipiendi fructus comparatione; ex qua definitione idem infert, quod investimentum non consistat in censuum vel debiti exstinctione, nec in meliorationibus fundorum, et multo minus in eorumdem instaurationibus, nec est verum investimentum domum construere in fundo, quem iam antea ecclesia possideat. Sed investimentum fieri debet in fundis stabilibus, tutis atque fructiferis; et quaenam praedia sint praeferenda, auctor indigitat. Investimentum in censibus *per posterius et in subsidium* solummodo permittitur, quando nempe praedia stabilia comparari nequeant. Excipitur investimentum, cuius fructus erogandi sunt in Missarum celebrationem; hoc enim in casu census non reputantur idonei, sed omnino bona stabilia requiruntur. Investimentum fieri nequit sine Apostolica venia (quae tamen per sacram Congregationem in praesenti rerum statu pro debito publico Pontificio

passim conceditur) in emptione schedularum super debito publico vulgo *Consolidato;* multoque minus in aliis publicis capsis praesertim in parsimoniali *(Cassa di risparmio).*

Ad octavum caput quod attinet, ubi de actis agitur, quae in contractibus rerum ecclesiasticarum peragi debent, hanc ipse regulam praestituit, ut ea, quae licitationem respiciunt, a curiis ecclesiasticis absolvi debeant; ad eas itaque, sive ad earum officiales pertinet peritorum deputatio ex officio facienda pro aestimatione fundi, qui alienari debeat; edictorum affixio; schedarum, quibus oblationes describuntur, aperitio; actus, quo fundus maiori oblatori deliberatur, ut nihil dicam de exsecutione Rescripti, quae ei competit, cui ab Apostolica Sede commissa fuerit. Contra vero acta, quae ad instrumenti confectionem referuntur, qua alienatio perficitur, a publico tabellione stipulanda sunt; adeoque cancellarii episcopales, si tabellionatu careant, eadem peragere prohibentur. Tabelliones autem simplex instrumentorum exemplar curiae tradere tenentur.

A quo subeundae sint expensae pro huiusmodi actis necessariae, expendit nonum caput; in quo regula generalis est, sufferri debere ab iis, quos ad eas teneri in edictis proclamatum fuerit, ceu fere evenit, atque adeo ad vitandas lites fieri admodum expedit. Si vero nihil conventum appareat, tum iuxta adagium, ut ille sentiat incommodum, qui commodum sentit, pro dimidio ab ecclesia, pro dimidio ab alienatario expensae subeundae sunt. Si tamen acta, de quibus agitur, utilitatem alienatarii, et non ecclesiae respiciant, qualia sunt censuum aliorumque creditorum exstinctio, Rescriptorum ob exstinctionem expeditio et exsecutio, hypothecarum deletio, publici regesti taxa, aliaque id genus, quae ad debitoris utilitatem spectant, expensae, quibus eas in causas opus est, non ab ecclesia, sed solummodo a debitore persolvendae sunt. Et quidem viceversa ab ecclesia subeundae sunt, si de eiusdem utilitate solum agatur.

Denique ut argumenti ab auctore suscepti pertractatio numeris omnibus absolvatur, in decimo et ultimo capite de mobilibus ecclesiae rebus et suppellectili sacra alienandis quaestiones saepius oriri solitae disceptantur. Ad quaslibet hac super re controversias amputandas, auctor duo lemmata statuit; primum est, quod bona ecclesiae mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, aequiparentur bonis immobilibus circa solemnitates pro

alienatione praescriptas; alterum est, ut, cum agitur de supellectili sacra, quae ex viri periti aestimatione vigintiquinque scutata aurea excedat, non possit a clericis alienari vel oppignorari sine beneplacito Apostolico; neque pariter sine expressa licentia Ordinarii, si agatur de supellectili sacra, cuius valor infra vigintiquinque scutata aurea aestimatus fuerit. Quaeri potest, an in huiusmodi alienationibus necesse sit servare leges pro licitatione rerum immobilium praescriptas. Cui quaestioni auctor negativam responsionem dat; dedecet enim, res sacras publice venumdari cum periculo, ne in manus profanorum perveniant. Sed tamen nihil diligentiae praetermittendum est, ut recta ac fidelis aestimatio sacrae supellectilis alienandae habeatur ex fide viri periti, eaque illi adiudicetur, qui maiorem summam obtulerit.

Cursim nos haec attigimus; qui vero rem penitius et clarius nosse cupiat, opus ab auctore optime elaboratum atque perfectum adire ne gravetur.

« IV. An Montem pietatis sive charitatis visitaverit; an idem » habeat reditus, qui superabundent sustentationi ministrorum, » aliisque necessariis expensis, et in quas causas reditus illi » erogentur, et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, frumen- » tum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt. »

Summarium. 296. Leges civiles atque canonicae foeneratorum perniciem coercuerunt, radicem non exstirparunt. – 297. B. Barnabas Interamnensis Montes pietatis excogitavit, eorumque erectionem Academia Perusina commendatione dignam censuit. – 298. Res Perusiis publice, adstante populo et utroque clero, disceptata est et plausu excepta. – 299. Huiusmodi opus a Perusiis ad alias urbes, Italiae praesertim, propagatum plures Summi Pontifices a labe usuraria immune declararunt. – 300. Cum tamen idem opus tamquam usurarium exagitare non desinerent, omnem quaestionem diremit Synodus Lateranensis sub Leone X., cuius Constitutio ex parte refertur. – 301. Paulus V. Constitutionem edidit pro Montibus Pontificiae ditionis, ne quis eorum pecunias in alium usum, quam in pauperum levamen erogare praesumat. – 302. Ad tollendos abusus aliam Constitutionem edidit Bened. XIII. pro almae Urbis Montibus. – 303. Triplex est Montium species. Prima adest, quando gratis pecunia commodatur: eius iustitiam nemo negabit. – 304. Secunda est, quando mutuum datur cum obligatione solvendi aliquid modicum pro expensis; deque eius iustitia non licet hodie dubitare. – 305. Tertia est, quando Montium aerarium ex pecunia conducta, vel censibus accepta

constituitur; haec etiam licita reputatur. – 306. Posset insuper quarta species addi, quando non pecunia, sed aliud genus e. g. frumentum commodatur: sed haec cum iis, de quibus dictum est, confundi potest. – 307. Dubitari nequit, quod prima species ex tribus supra dictis sine Pontificis venia erigi possit. – 308. De secunda ac tertia necessaria est auctoritas Summi Pontificis; siquidem nunquam sine venia Pontificis aliquid augmenti exigere licet. – 309. Hanc doctrinam tradit Bened. XIV. ex declarationibus S. C. C. – 310. Quin imo Episcopus potest ac debet usuram moderari, si progressu temporis immodica evaserit, quamquam satius sit S. C. consulere. – 311. Bened. XIV. doctrinam inculcare in responsionibus ad Episcoporum relationes etiam in praesens S. C. solemne habet. – 312. Monacellus aliquas normas tradit pro erectione ac moderamine Montium pietatis. – 313. ad 322. In specie eaedem referuntur. – 323. Alias idem auctor suppeditat normas pro Montibus frumentariis. – 324. ad 333. Speciatim et hae recensentur. – 334. De quantitate interusurii; S. C. nihil ultra necessitatis ac moderationis limites permittit. – 335. Ceterum pro varietate circumstantiarum nunc singula, nunc duo, nunc tria, quatuor et etiam quinque permisit. – 336. 337. Referuntur declarationes nuperrimae S. C. Episc. et Regul. In *Ferentina* concessit absolutionem et condonationem pro augmento eatenus percepto, itemque veniam continuandae rationis retro servatae, ut pro interusurio id tantum exigeretur, quod expensis necessarium est, reliquum in separato libro adnotaretur erogandum in expositas causas. – 338. In alia *Ferentina* eamdem fere declarationem edidit. – 339. In *Derthonen.* absolutione et condonatione pro perceptis elargita, commendavit Episcopo, ne posthac fructus scutata quatuor excederet. – 340. In tertia *Ferentina* licet ageretur de Monte frumentario per provinciae praesidem erecto, eamdem declarationem, quam in utraque alia *Ferentina*, emisit. – 341. S. Congr. Conc. in *Montisfalisci* resolvit, posse Episcopum visitare Montes pietatis, licet laicales, ad effectum recognoscendi labem usurariam, et locum esse novo Monti frumentario sub administratione Episcopi ex augmentis ultra debitum exactis erigendo. – 342. In *Brictinorien.* resolvit, Montis frumentarii Theodorani administrationem spectare ad communitatem; eumdem tamen posse ab Episcopo visitari et statuta recognosci, redditionem rationum una cum deputato communitatis, si consuetudo adsit, exigi et quoad ministrorum electionem et causas iudiciales Montis standum esse legibus Pontificiae ditionis. – 343. S. C. Episc. et Regul. in *Montisfalisci* resolvit, servandam esse compositionem ab Emo deAngelis confectam. – 344. Eadem S. C. in *Spoletana* edixit, constare de iure Archiepiscopi visitandi Montem frumentarium, interessendi rationum redditioni cum officialibus communitatis, et cum his syndacandi et providendi indemnitati loci pii ad formam Conc. Trid. – 345. In *Bononien.* S. Cong.

Conc. respondit, non constare de necessitate aperiendae domus succursalis Montis pietatis. Proponendum esse S. Congr. reformationem expensarum. In numerandis diebus fructuum exigendorum mensem inceptum haberi pro completo circa pignora, quae viginti scutatorum summam utique excedunt. Residuorum applicationem Monti faciendam nonnisi ad formam iuris. Condonationem pro praeteritis perceptionibus, facto verbo cum Sanctissimo, concedendam. – 346. In *Imolen.* rescripsit, non esse erogandum in eleemosynam pretium residuale pignorum, sed remanere debere in creditum dominorum. – 347. Idem fere rescripsit in *Avenionen.* – 348. In *Civit. Castell.* minime adnuit, ut brevis terminus praefigeretur ad residua retrahenda, quo elapso, residua Monti cederent. – 349. In *Bononien.* annuit ad triennium, ut pignorum distractio sub uno auctionis experimento fieret, quo inutiliter peracto, privatim pignora distrahere liceret, adhibitis quibusdam cautionibus.

296. Quam gravi detrimento exitioque pauperibus semper et ubique fuerint foeneratores, nemo est, qui nesciat. Satis est legere Romanorum historias, sive cum adhuc respublica staret, sive cum summa rerum ad Imperatores deflexerit. Si vero memoria recolantur tempora recentiora, quae vulgo *medium aevum* audiunt, occurret perfida Iudaeorum gens, quae ubique terrarum ex divina damnatione dispersa, et ubique pariter negotiationem exercens, pauperem et egenam christianorum plebem ingentium usurarum pondere premere ac pene iugulare connitebatur. Ad huiusmodi pestem et perniciem avertendam cum legum civilium, tum sacrorum canonum latores saluberrimas leges promulgarunt, et foeneratorum proterviam atque saevitiam rigidissimis poenis coercuerunt. At vero tametsi utilitatem a Caesareo et Pontificio iure profectam inficiari non audeam, nihilominus fateri quisque debebit, imminutos profecto fuisse perniciosos malorum fructus, quibus inopes afficiebantur; at vero nedum non evulsam, sed et integram viridemque relictam radicem, unde eadem malorum seges iterum pullulare potuisset. Utque mentem meam iuxta hodiernum loquendi morem explicem, leges et canones circa foenus promulgati bonum quidem *negativum*, minime vero *positivum* importarunt; neque enim remedium suppeditabant, quo urgentibus pauperum necessitatibus ita subveniretur, ut hi ad foeneratorum mensas confugere non adigerentur.

297. Unus ex illo hominum coetu, quos insana huius aevi philosophia ignavum et iners in humano consortio pecus fucorum appellat, non modo omnium ipse rerum egenus, sed et solemni

arctissimae paupertatis voto adstrictus novum et inauditum opus excogitavit, quo impotem legum humanarum opem ad egenorum levamen abunde supplevit. B. Barnabas Interamnensis e Franciscali sodalitate, quam vocant ab Observantia, eo christianae charitatis igne penitus incensus, quo sodalitatis ipsius fundator ac parens tanta cum vehementia flagrabat, dum Perusii, D. Petri cathedram occupante s. m. Pio II. e Piccolomineorum gente, praedicationis verbi Dei ministerium absolveret, miseramque plebeculam usurariorum, praesertim a Iudaici coetus ingluvie oppressam, et ad extremum malorum redactam ingemisceret, Montium pietatis opus mente sua delineatum cum R. P. Fortunato de Cepolis, Perusino, eiusdem Ordinis, viro utriusque iuris perito communicavit, qui una cum Academiae magistris novum eiusdem B. Barnabae adinventum expendentes omni commendatione dignum diiudicarunt.

298. Opus autem huiusmodi in eo situm erat, ut ex cumulo pecuniae pie collecto, qui proinde Mons pietatis appellandus esset, pauperibus ea, qua egerent, pecunia mutuaretur, accepto pignore et aliquo denariolo in stipendium ministrorum aliasque expensas necessarias convertendo. Itaque B. Barnabas, P. Fortunati et Academiae magistrorum sententia animatus, qua privatis, qua publicis exhortationibus cives Perusinos ad opus mente sibi propositum re exsequendum excitare et incendere non dubitavit. Cumque statim reperti essent, qui labem usurariam in eo delitescere perperam rati tanto bono impedimenta et difficultates facesserent, res in publicam consultationem, toto adstante magistratu civitatis, necnon magistris et scholasticis universitatis, clero et religiosis Ordinibus accedentibus deducta est, et accerrime excussa: sed sententia B. Barnabae probata, confestim cives, solemni indicta supplicatione, pientissimum religiosi viri adinventum exsecutioni mandarunt. Rem fusius narrat ex Wadingo Ferraris verbo *Montes pietatis n. 2. et seq.*

299. Huiusmodi tam pium institutum Perusii primum erectum, velut granum sinapis excrevit; nam ubique propagatum est, ac praesertim in urbibus Italiae, ubi sodales S. Francisci de Observantia, nominatim S. Iacobus a Marchia, B. Marcus a Bononia, B. Bernardinus a Feltria Montium pietatis erectionem promoverunt. Quamvis autem ad hoc opus laudandum accederet suprema auctoritas multorum Summorum Pontificum, nempe Pii II., Pau-

li II., Sixti IV., Innocentii VIII., Alexandri VI., nihilominus Montium pietatis adversarii contra eos et publice et privatim invehere non desinebant, eosdemque tamquam usurariae labis vitio infectos declamabant (Ferraris *loc. cit. n. 4. et 5.*).

300. Controversiam hanc diu multumque agitatam a medio saeculo decimo quinto ad initium saeculi decimi sexti s. m. Leo X. irrefragabili suae vocis oraculo diremit ac terminavit, poenis adiectis adversus eos, qui in posterum contra obloqui praesumerent. Cum enim solemne haberetur in ecclesia Lateranensi oecumenicum Concilium, saluberrimam edidit Constit. IV. Non. Maii 1515. incip. *Inter multiplices,* in qua, cursim praelibatis, quae utrinque in medium afferebantur, rationum momentis, tandem Pontifex pronuntiavit in haec verba: « Sacro approbante Concilio » declaramus ac definimus, Montes pietatis antedictos per respu- » blicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus pro- » batos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et inde- » mnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas et » aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, per- » tinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem abs- » que lucro eorumdem Montium recipitur, neque speciem mali » praeseferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto » improbari, quin imo meritorium esse, ac laudari et probari de- » bere, tale mutuum minime usurarium putari, licereque illorum » pietatem et misericordiam populis praedicare, etiam cum indul- » gentiis a S. Sede Apostolica eam ob causam concessis; ac dein- » ceps alios etiam similes Montes cum Apostolicae Sedis approba- » tione erigi posse. Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, » si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos » erigentes aliquos census assignarent, quibus, si non omni, sal- » tem vel media ex parte huiusmodi Montium ministrorum solvan- » tur impensae, ut ad leviorem aeris alieni solvendi portionem » medio hoc pauperes gravari contingat, ad quos cum huiusmodi » census assignatione pro impensarum supportatione erigendos, » Christifideles maioribus indulgentiis invitandos esse decernimus.» Sequitur poena excommunicationis latae sententiae contra quemlibet aliter ore vel scripto praedicantem aut disputantem.

301. Ad horumce Montium rem indemnem in Pontificia ditione servandam contra eos, qui eorumdem pecuniam aliter quam in pauperum levamen erogare ausi fuerint, s. m. Paulus V. suam

Constitutionem incipien. *Oneroso (tom. 3. Bullar. Constit. 82.)* promulgavit, in qua « universis et singulis Montis pietatis huius- » modi officialibus quibuscumque status nostri ecclesiastici qua- » cumque dignitate fulgentibus, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, » Patriarchae, aut S. R. E. Cardinales etiam Legati de latere exi- » stant, ne de pecuniis ad dictos Montes quomodolibet spectan- » tibus et pertinentibus, ac tam pro sorte principali a principio » illis assignatis, quam pro dictae sortis augmento postea acqui- » sitis in alios, quam pauperum usum, iuxta modum et formam » in erectione dictorum Montium praescriptam absque Nostra et » Sedis Apostolicae licentia sub quovis praetextu vel quaesito » colore, et cum obligatione intra quodcumque breve tempus re- » stituendi disponere praesumant, tenore praesentium prohibemus. » Quod si quis contra hanc nostram prohibitionem venire prae- » sumpserit, Cardinales quidem, Patriarchae, Archiepiscopi, Epi- » scopi suspensionis, aliae vero inferiores personae excommuni- » cationis sententiam eo ipso incurrant, a qua nonnisi a Romano » Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint. »

302. Quod vero spectat ad Montes pietatis in alma Urbe constitutos, inhaerendum insuper est Constit. s. m. Bened. XIII. incipien. *Iamdudum* datae VI. Kal. Octob. 1729., in qua ad tollendas abusiones ab officialibus praesertim ac ministris in propriam utilitatem invectas saluberrima decreta sancivit, ac poenas severissimas irrogavit.

303. Auctor *novarum additionum ex aliena manu* ad Ferraris verb. *Montes*, tres Montium pietatis species enumerat: « Prima » species est, cum acervus ille publicae pecuniae gratis indigen- » tibus distribuitur, ita ut debitores nihil restituere ultra sortem » tenentur. De eius autem iustitia non est, quod verba facia- » mus; nam ea per se patet.

304. » Altera species est, cum pecunia ea lege distribuitur » indigentibus, ut praestet ultra sortem modicum quid pro modo » et ratione pecuniae acceptae et temporis ad solvenda stipen- » dia eorum, qui Montem regunt, et ad explicanda ea omnia, » quae necessaria sunt ad Montis conservationem. De iustitia » autem huius speciei, quamvis olim in utramque partem maxi- » ma animorum contentione fuerit disputatum, probata tamen » ea fuit a Paulo II., et aliis Pontificibus, tum demum a Leone X., » in Conc. Lateran. *Sess. 10.*

305. » Tertia species est eorum Montium, quorum aerarium » constat ex pecunia foenore conducta, vel sub censibus acce- » pta; eapropter coguntur ii, qui ad hanc mensam accedant, non » solum reficere sumptus et expensas Montis, sed etiam usuras, » vel census, quae Mons patitur, ut necessitatibus accipientium » possit succurrere. Hanc etiam speciem licitam esse tenent post » alios Card. de Lugo *Disp. 25. n. 197. et seq.*, sed non est fa- » cile permittenda. »

306. Posset praeterea quarta species adiungi, nempe Montium eorum, in quibus non pecunia mutuo traditur indigentibus, verum aliud genus, quod, ut plurimum, est frumenti; adeoque Montes frumentarii vulgari nomine nuncupantur. Sed nullum inter Montes pietatis, et Montes frumentarios discrimen intercedit, si demas diversitatem rei commodatae; in primis enim pecunia, in alteris frumentum mutuo traditur. Ceterum quae pecuniae, ea frumento accommodari facile possunt.

307. Hisce constitutis, quaestio sese offert, an in erectione Montium necessaria sit auctoritas Summi Pontificis. Eam non requiri in erectione Montium primae, quam modo exposuimus, speciei, sine dubitatione potest affirmari. Namque, accedente conditione persolvendi nullius interusurii, iuxta dispositionem Constit. *Inter multiplices* id, quod superest, nonnisi rem omni laude et approbatione dignam praesefert. Monac. *Form. leg. tit. 1. form. 25. P. III. n. 6.*

308. Si autem agatur de Montibus secundae ac tertiae speciei, tunc omnino requiritur auctoritas Apostolica eum in finem, ut aliquid ultra sortem exigi possit, licet id in stipendium ministrorum aliasque impensas Montis tuitioni necessarias impendatur. Nam Leo X. edixit quidem, huiusmodi Montes in posterum posse honeste erigi atque constitui, sed disertis verbis in hac re auctoritatem Apostolicam expressit « ac deinceps alios » etiam similes Montes Apostolicae Sedis approbatione erigi posse.»

309. Accedit doctrina Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. X. cap. 5. num. 2.*, ex qua traditur, in Montibus pietatis sine venia Apostolicae Sedis nihil vel minimum posse ultra sortem exigi, quam doctrinam exscribimus eo magis, quod est idoneis fulta declarationibus S. C. Concilii: « Quoniam vero (ita ille Pontifex) pericu- » lum est, ne, quod a Montis Praefectis ultra mutuatam pecu- » niae summam exigitur, expensas superet in ministrorum su-

» stentationem erogandas, ideo S. Congr. Conc., ut omnis usurae » suspicio quam longe abesset a Montibus pietatis, quos Triden- » tinum *Sess. 22. cap. 8. de Reform.* inter loca pia enumeravit » et Episcoporum visitationi subiecit, die 7. Febr. 1637., rescri- » bens ad Archiepiscopum Neapolitanum, nihil ultra sortem exi- » gendum statuit, nisi prius consulta Apostolica Sede. *Loca pia* » (verba sunt S. Congregationis, quae reperimus adnotata *lib. 13.* » *decret. pag. 486.*) *et sacras aedes, quae deposita retinent, dum* » *mutuant indigentibus pecuniam, accepto pignore, non posse quid-* » *quam a mutuatariis, nisi ex Sedis Apostolicae dispensatione* » *accipere.* Idemque responsum datum legimus ad Episcopum » Adriensem die 14. Martii eiusdem anni, *(eod. lib. 13. decretor.* » *pag. 501. a tergo).* Multo minus absque Sedis Apostolicae pla- » cito erit plus exigendum, quam antea consueverit, etiamsi Mons » pietatis eo auctario indigeat ad solvenda debita, quae in mu- » tuatorum commodum contraxit; quod probe scientes Prae- » fecti Montis pietatis Civitatis Casalensis, dum nos S. C. Conc. » Secretarium agebamus, ab eadem S. Congr. facultatem sibi fieri » petierunt, et Montem, cuius reditus impares erant sublevandis » pauperum indigentiis, aere alieno gravandi, et simul exigendi » quinque ex singulis centenis nummis ab iis, qui in posterum, » dato pignore, pecuniam a Monte reciperent, ut tali pacto pos- » sent et consueta sustinere onera, et aes alienum paullatim sol- » vere, quemadmodum videri potest in *Thesaur. Resolut. tom. 1.* » *pag. 28.*

310. » Quod si contra Episcopus animadverteret, plus a mu- » tuatariis solvi, quam necessarium sit ad Montem servandum » indemnem a necessariis impensis, et posset et deberet usuram » moderari et redigere ad aequalitatem cum quotidianis sumpti- » bus aliisque oneribus, quibus Mons praegravatur; quamvis » etiam in hoc eventu tutius sit, ut, priusquam Episcopus mo- » derationem decernat, S. C. Conc. consulat. »

311. Huiusmodi Bened. XIV. doctrinam per extensum ea etiam de causa referre voluimus, quia S. Congreg. Conc. in suis respon- sionibus ad literas Episcoporum de statu dioeceseon, quandocum- que prona sese offerat occasio, eamdem ipsis allegat unaque se- ctandam inculcat.

312. Monacellus *Form. leg. P. III. tit. 1. form. 23. ac 24.* normas aliquas indigitat, quas pro impetranda ab Apostolica Sede

venia erigendi Montes pietatis statui et exponi suadet, quasque nos hic exscribimus, eaeque sunt:

313. « Primo, quod pecunia coacervata et destinata pro Monte » administrabitur a ministris, qui dabunt idoneam cautionem de » fideliter administrando, et singulis annis rationem reddent » coram syndicatoribus electis, qui eos absolvere vel condemnare » non poterunt, nisi prius computa ab Episcopo vel eius depu- » tato visa et approbata fuerint.

314. » Secundo, quod pecunia Montis non mutuabitur diviti- » bus, neque alienigenis, sed pauperibus et indigentibus loci (non » tamen ministris et officialibus Montis) et alio non convertetur.

315. » Tertio, quod mutuatarii dabunt sufficiens et certum » pignus pro certa determinata summa, quae non debebit exce- » dere scuta.....

316. » Quod mutuatarii singulis mensibus aliquid exiguum elee- » mosynariter v.g. duorum cum dimidio vel trium pro centenario ul- » tra sortem solvent pro sumptibus necessariis ad conservandum » Montem, scilicet pro stipendiis ministrorum, pro conductione » domus, et certis aliis expensis absque ullo lucro Montis, donec » Mons possit propriis aliis reditibus dictas expensas sustinere.

317. » Quinto, quod pecunia dabitur mutuatariis ad certum » tempus v. g. ad annum, vel ad summum ad duos annos: et » si mutuum praescripto tempore non restituatur, pignus ven- » detur, et ex pretio pecunia debita Monti solvetur; et quod re- » liquum est, domino pignoris restituetur: imo quod post ven- » ditionem concedetur debitoribus mutuariis terminus saltem octo » dierum ad pignus redimendum.

318. » Sexto, quod super pignora non recipientur sequestra » seu arresta, nisi coram Ordinario legitime constet, rem pignori » datam fuisse furto subtractam, et sequestrum seu arrestum sit » subscriptum ab ipsomet Ordinario, redintegrato Monte de pe- » cunia mutuata.

319. » Septimo, quod venditio pignorum non fiet diebus fe- » stis de praecepto, nisi in casu, quod diebus ferialibus ob ca- » rentiam oblatorum venditio compleri non possit, et tunc, non- » nisi obtenta scripto licentia Episcopi.

320. » Octavo, quod fiat inventarium mobilium, immobilium » et iurium Montis, quod erit subscriptum a ministris, et reno- » vatum in ingressu et fine officii.

321. » Nono, quod statuta supradicta fuerint ab Episcopo cum » consilio deputatorum Capituli cathedralis et universitate lai- » corum laudata et approbata.

322. » Haec, inquam (prosequitur Monacellus), statuta sunt » iuridica et honesta, quae poterunt iuxta exigentiam loci augeri, » sed non minui, de quibus sparsim loquuntur Leotard., Crispin., » Nicol., Pirhing. »

323. Idem auctor *l. c. form. 25. n. 7.* speciatim circa erectionem Montium frumentariorum alias tradit italico idiomate regulas huic Montium generi proprias, quas pro opportunitate sequi fas est. Eas nos hic compendio restrictas latino idiomate exhibemus. Sunt vero:

324. Primo, quod Montium administratores ab universitate vel sodalitate (ad quas Mons forte pertinet) per secreta suffragia eligantur, ab Episcopo confirmentur, cautiones debitas praestare et rationem reddere teneantur.

325. Secundo, quod syndicatores quotannis iam circa mensem Iunii a Montium administratoribus ac depositario rationes exigere, et, si quid debere reperti fuerint, ad id, quod debent, solvendum sine figura iudicii compellere debeant: sententia syndicatoria prolata, novi Montis administratores eligantur.

326. Tertio, ut frumentum tempore, quod opportunius visum fuerit, semel vel bis in anno distribuatur, idoneo dato pignore, quod frumenti pretium ter superet, aliisve datis cautionibus: si secus fiat, Montium administratores de suo refundere teneantur.

327. Quarto, quod frumentum per schedulas subscriptas tradatur, et in certa quantitate.

328. Quinto, quod frumentum Montis neque vendi, neque in alium usum converti, neque externis mutuari possit sub poena....

329. Sexto, quod mutuatarii nihil ultra id, quod acceperunt, restituere cogantur, etiam sub praetextu impensarum, nisi forte sine ullo pacto sponte iidem aliquod augmentum titulo eleemosynae tradere velint, quo in casu frumentum eleemosyna acceptum seorsim deponatur; et nisi forte accedat Apostolica venia, quae frumenti augmentum venia sua auctoraverit.

330. Septimo, quod mense Augusto frumenti restitutio fiat, idemque bonae qualitatis sit, eoque tempore elapso pignora ad praeconis vocem tripliciter repetitam sub hasta publice vendantur: pretium vero in emptionem frumenti, quod reddi debuisset, impendatur, quodque reliquum fuerit, domino pignoris reddatur.

331. Octavo ac nono, ut quolibet anno in eligendis novis administratoribus instrumentum peragatur pro frumenti traditione, specifice eiusdem quantitate descripta, traditisque libris rite subscriptis, ubi debitorum nomina recensita sunt.

332. Decimo, ut quotannis tempore messis mittantur, qui frumentum a mutuatariis recolligant.

333. Undecimo, ut, accedente Episcopi auctoritate, prout temporum necessitas exiget, statuta variari, vel de novo etiam confici valeant.

334. Nunc rerum ratio postulat, ut verba faciamus de quantitate interusurii, quod S. Sedis disciplina fert, ut exigi possit, itemque de iurisdictione, quam super his locis obtinent Episcopi, necnon de munere eos visitandi, rationumque redditionem expetendi. At vero si primam partem de quota interusurii demas, cetera huiusmodi sunt, quae superius in articulo, quem generatim de piis locis exaravimus, iam praeoccupata fuerunt. Ne itaque bis in idem redeamus, de interusurii quantitate plenior hic instituetur sermo; de ceteris satis habebimus nuperas quasdam SS. CC. declarationes referre, quae normam certe non inutilem pro re nata suppeditare queunt: quibus et alias adiiciemus ad propositam huiusmodi Montium materiam pertinentes.

335. Iam supra demonstravimus, nullum augmentum in Montibus pietatis ultra sortem mutuo datam a mutuatariis absque Apostolicae Sedis venia exigere licere. Iamvero nulla certa et constans regula super hac re praestitui potest; cum enim peculiaribus rerum circumstantiis eadem Apostolica Sedes sese conformare soleat, quae variae pro rerum varietate sunt, id unum generatim statui potest, nihil ultra merae necessitatis et moderationis limites ab eadem permitti consuescere. Ad rem Pignatellus *Cons. 153. tom. 4. sub n. 4.* aliquas congerit declarationes, ut sequitur: « Unde a Summis Pontificibus non permittuntur » Montes pietatis ut plurimum erigi, nisi ad praescriptum Con» cilii Lateranensis, et praesertim, ut recipi non possit, nisi quid » moderatum pro expensis ministrorum et ipsorum Montium, non » excedens summam trium pro centenario, ut declaravit S. C. C. » in *Avenionen.* 26. Maii 1612., *Tudertina* 17. Augusti 1626., » *Theatin.* 5. Iulii 1627... Et in *Mutinen. de Finali* 22. Aug. 1637. » censuit, lucrum pignorum non posse permitti ultra tria pro » centenario, et cum clausula, si dicta summa sit necessaria pro

» ministrorum salario et aliis expensis subeundis: vel bina, ut » in *Cremonen.* 31. Maii 1580., et in *Vercellen.* 8. Octob. 1628., » vel singula tantum, si sufficiant, ut in *Messinen.* 11. April. 1625., » et in aliis, saepe reiecta opinione contraria; quin imo die 28. » Aug. 1582. declaravit, nullo modo permitti debere, ut detur » pecunia Monti ad finem consequendi ex ea aliquos fructus, » licet minimos; et si quae sub hac conditione mutuata inve- » niatur, omnino restituatur. Et S. C. Episc. et Regul. declaravit, » quod, si Mons potest manuteneri solvendo etiam mercedem ope- » rariis, et aliis ministris ex suis propriis reditibus, nihil exigere » potest pro mutuis, alias solummodo tantum id, quantum est » necessarium pro supradicta manutentione et expensis necessa- » riis loci et ministrorum iuxta Constit. Leonis X. in Conc. Late- » ranensi. Ita in *Cotronen.* 28. April. 1699., et *Faventin.* 6. Se- » ptemb. 1604., dummodo non excedant tria pro quolibet cente- » nario, ut in *Vigevanen.* 16. Ianuarii 1607., et *Derthonen.* 11. » Aug. 1626., vel ad summum quaterna, ut in eadem *Cotronen.* » 28. April. 1699. »

Quin imo facultatem quoque exigendi scutata quinque pro quolibet centenario et anno impertitam fuisse S. C. Conc. docet folium in *Perusina Mont. piet.* 20. April. 1771. §. *Et quamvis,* si gravis urgeret causa necessariae subventionis pauperum, et ratio lucri cessantis et damni emergentis id suaderet, quemadmodum permisit Monti pietatis Bononiae, Mutinae, Veronae et Ferrariae, ut liquet ex Apostolico indulto, quod legitur apud Pasqualig. *Decis. mor. 183. num. 6.,* ceterisque praetermissis in *Casalen. Mont. piet.* 28. Ianuarii 1708. allegata in *Perusina loc. cit.*

336. Nuper S. C. Episc. et Regul. hac de re non semel agere debuit: hinc declarationes ab eadem editas ordine hic adnectimus.

337. In *Ferentina Montis frumentarii* 20. Decemb. 1838. haec erat facti species. In loco Pistertii Mons frumentarius exstabat, de cuius fundatione nulla memoria supererat. In eo solvebatur a mutuatariis talis frumenti quantitas, qualis cum pecunia comparata interusurio respondebat denariorum circiter decem pro quolibet centenario in singulos annos. Huiusmodi vero lucrum in Montis expensas erogabatur, ac praeterea in ecclesiae tuitionem, ac nonnunquam in levamen pauperum penuriae tempore. Propositis dubiis:

« 1. An concedenda sit absolutio et condonatio pro augmento » hucusque percepto?

» 2. An et quomodo approbandus sit ipse Mons frumentarius? » Et quatenus affirmative,

» 3. An permitti possit augmentum, quod iam percipi solet, » ut erogetur in causas expressas, seu potius reducendum sit ad » modulum necessarium pro expensis et conservatione Montis? »

S. C. rescripsit: « Ad 1. Affirmative. Ad 2. Affirmative iuxta » modum ad tertium exprimendum. Ad 3. Scribatur Episcopo » iuxta mentem. Mens est, ut firmum integrumque maneat, ne » exigi possit quodvis augmentum supra mutuum acceptum, dem- » pto eo, quod pro expensis ac manutentione Montis necessarium » sit: deinde Episcopus calculationem approximative instituat, ac » taxam determinet hoc pro titulo pensitandam. Circa id, quod » supererit, quodque iuxta consuetudinem invectam a tempore » diuturno erogatur in usus pios, ac praesertim in tuitionem uni- » cae ecclesiae miserrimi loci Pistertii, et in subventionem ac » refectionem pauperum famelicorum, quo tempore messis tenuis- » sima extiterit, permitti poterit Episcopo, ut eadem ratio con- » tinuetur, adhibita cautione, ut liber instituatur, in quo unum » ab altero distinguendo, seorsim adnotentur quotae, quae Monti, » et quotae, quae aliis usibus addictae sint, ut cognosci queat » summa, quae titulo iustitiae solvitur et augmentum, quod ac- » cipitur, uti gratuita piaque oblatio. Curabit vero Episcopus, ut » de hac re prudenter populus edoceatur sive ope parochi, sive » alia ratione, quae pro sua sapientia magis consentanea visa » fuerit. »

338. In alia *Ferentina Montis frument.* 19. April. 1844. sodalitas a SSma Virgine perdolenti facultatem exorabat aperiendi Montem grani siculi (vulgo *formentone, granturco* et *siciliano*) cum aliquibus oblationibus sponte per sodales perficiendis ea tamen lege, ut mutuatarii, qui reciperent quartam partem grani siculi rasam, eamdem redderent cumulate adauctam. Ignorabatur quali interusurio responderet huiusmodi adauctio, si cum pecunia coaequaretur; sed Episcopus firmiter asserebat, paullulum sodalitati reliquum fore, quod tamen in divini cultus expensas erat erogatura. Proposito dubio: « An et quomodo approbandus sit » Mons frumentarius in casu? » S. C. respondit: « Affirmative » iuxta modum, et scribatur Episcopo iuxta primam partem men-

» tis panditae die 20. Decemb. 1838. in *Ferent. Montis frument.*, » et interim per decennium permittatur perceptio unius cuppae » pro quolibet stadio raso, exclusa tamen quacumque applicatione » lucri inde percepti ad alium finem. »

339. In *Derthonen.* 9. Aug. 1844. cum fundus institutus fuisset octo saccorum frumenti ope interusurii duarum cupparum, quod cum pecunia comparatum duodecim scutatis pro quolibet anno et centenario aequivalebat, obligatione insuper adiecta praestandi eleemosynae titulo unam cuppam pro quolibet stadio frumenti restituti, eo demum deventum erat, ut fundus ille ad saccos decem et octo adauctus fuisset. Itaque petebatur, ut, cum fundus ad saccos triginta excrevisset, reditus, qui exinde perciperetur, in utilitatem ecclesiae parochialis converteretur, quae locum ad Montis usum suppeditaret. Augmentum vero paulo ante ad unam cuppam redactum scutatis senis in singulos annos pro quolibet centenario respondebat. Itaque Emorum Patrum examini dubia subiiciebantur: « 1. An concedenda sit absolutio et con- » donatio pro augmentis usque adeo perceptis in casu? 2. An et » quomodo approbandus sit Mons frumentarius in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. Affirmative; ad 2. Affirmative et » ad mentem; mens est: scribatur Episcopo, ut curet, ut fructus » percipiendus non excedat summam scutatorum quatuor pro » quolibet centenario et anno, habita ratione locorum et circum- » stantiarum, et ad decennium. »

340. In *Ferentina Mont. frument.* 30. Iulii 1852. res erat de Monte frumentario, qui anno 1838. iuxta literas encyclicas a provinciae praeside in oppido Patricae erectus fuerat: cumque interusurium, quod exigebatur, iusto plus esset immodicum, brevi factum fuerat, ut frumenti cumulus nimium quantum excrevisset ita, ut exhinc parvus Mons grani siculi, et Mons pietatis in pecunia institui quoque potuisset. Quamvis autem Mons ille uti municipalis ex praesidis literis esse debuisset, attamen Episcopus eumdem visitavit, compertoque, interusurium plus aequo ingens existere, quodlibet augmentum in posterum persolvi prohibuit absque venia S. C. Episc. et Regul. Itaque municipes sacrum hunc Ordinem deprecati sunt, ut interusuria usque eo percepta ratihabere dignaretur, ac benignam adderet facultatem, ut eadem futuris etiam temporibus percipi possent. Quocirca concinnatis dubiis: « 1. An et quomodo concedenda sit sanatio pro augmen-

» tis exstantibus in Monte frumentario, ac in Monte grani siculi, » et Montis pietatis in loco Patricae? 2. An et quomodo et quo- » usque permittendum sit, ut eadem methodus continuetur in » casu? » S. C. respondit, accedente amica Episcopi sententia: » Ad 1. et 2. Affirmative iuxta votum Episcopi data instructione, » prout in *Ferentina Mont. frumentarii* 20. Decemb. 1838., facto » verbo cum SSmo.» Iamvero Episcopi sententia in hoc sita erat, ut, attentis peculiaribus circumstantiis, absolutio concederetur pro praeterito tempore, pro postero autem ad decennium auctoraretur usus eatenus inductus, usque dum sors capitalis ad rubla *(rubli)* ducenta pervenisset, dehinc vero interusurium, quod erat viginti-quinque pro quolibet centenario et anno, reduceretur ad duodecim.

341. In ea, ubi versamur, provincia, saepenumero excitantur controversiae, quibus Episcoporum iura, quae ad iurisdictionem, visitationem ac redditionem rationum circa hos Montes referuntur, in ambiguum vocitantur, perinde ac si horum iurium experimentum personalem Episcoporum, non ipsorum Montium utilitatem spectaret. Itaque ad has amputandas, non parum facient eae, quae sequuntur, declarationes. Huic rei initium facimus afferentes auctoritatem Monacelli *Form. leg. Part. III. tit. 1. form. 25.*, ubi doctrinam a se traditam S. C. Conc. resolutione confirmat: « Porro (ita ille) si iste Mons frumentarius esset erectus ex ae- » rario publico laicorum pro beneficio annonae, vulgo *abbondanza*, » et ab eis esset administratus absque ulla dependentia Ordinarii » loci, adhuc posset Episcopus, etiamsi non esset auctoritate ec- » clesiastica erectus, illum visitare, statuta examinare, et libros » inspicere ad finem cognoscendi, an in distributione et mutua- » tione frumenti eiusque receptione adsit labes usuraria, ut par- » tibus contradicentibus respondit S. C. Concilii in *Montis Falisci* » *Iuris visitandi* 25. Iunii 1695., in qua causa, cum fuisset etiam » declaratum, quod in receptione usurae observaretur Bulla Leo- » nis X., et postea a p. m. Card. Barbarigo, Ordinario, in visita- » tione talis Montis recognitum, quod montistae per multos annos » recepissent ex pacto a mutuatariis ultra sortem certam frumenti » quantitatem, et exinde valde notabilem summam usurarum exa- » ctam fuisse, factis per peritos calculis coram Emo Barberino » deputato, iterum proponi curavit sequentia dubia:

» 1. An standum vel recedendum a decisis circa exactionem » usurarum pro Monte frumentario ad formam Bullae Leonis X.?

» 2. An salmae tercentum et ultra tritici existentis in Monte » frumentario Valentani proveniant ex usuris? Et quatenus affir- » mative, quid circa illud statuendum in casu? »

» Die 1. Martii 1704. S. C. respondit: « Ad 1. In decisis. Ad 2. » Pro erectione Montis frumentarii salmarum 300 sub admini- » stratione Emi Episcopi.» Ex qua resolutione percipitur, quod » S. C. sequuta est opinionem Comitoli *Respons. moral. lib. 3.* » *quaest. 35.*, ubi tenet, quod ex frumento Montis accreto ab » usuris possit erigi novus Mons in beneficium pauperum, ubi » non constet, et incertum sit cui facienda sit restitutio, prout » erat in casu; nam tum, cum intret regula de restitutione in- » certorum, ut in terminis usurarum Montium docet Bonac. *de* » *Contract. disp. 3. quaest. 3. punct. 12. n. 7.*, pauperibus distri- » buendum erat, ut supra ad *Form. 18.* §. *Et receptos:* eadem » S. C. in alia *Venusina* 15. Novemb. 1704. *ad 5. dubium*, quod » refert Ursaia *Inst. crim. lib. 3. tit. 7. n. 93.* »

Quoniam vero causam *Montisfalisci* a Monacello allegatam ex S. C. C. *(Lib. decret. 54. pag. 65. a tergo)* exscribere nobis acciderit, eamdem hic damus, qualis in folio breviter ibi descripta legitur, nempe: *Montisfalisci frument.* Postquam Sacra haec Congregatio usque et sub die 25. Iunii 1695. respondit: « Posse » Emum Ordinarium visitare Montes frumentarios dioecesis ad » effectum recognocendi labem usurariam *dumtaxat*, et quoad » exactionem usurarum observandam esse Bullam Leonis X. inter » suas in ordine II., » idem Emus Episcopus, transmisso cancellario et ratiocinatore ad terram Valentani pro recognoscendis libris, constito, quod ab initio erectionis usque ad haec tempora maximae exactae fuerint usurae iuxta peritiam et relationem ad hanc S. C. remissam, decidendum proposuit dubium: « An exa- » ctio dimidii starii pro quolibet rubio sit excessiva? Et quatenus » affirmative, an et ad quam quantitatem sit reducenda in casu? » Eiusque resolutione die Iulii 1698. dilata, placuit EE. PP. demandare, quod firmaretur status Montis coram Emo Card. Francisco Barberinio, auditis interesse habentibus, et iterum proposita causa die 6. Octob. anni praeteriti dictum fuit, concordetur factum coram eodem Emo. Concordato itaque facto inter partes coram Emo Card., ex usuris provenire (quantitatem) iuxta calculum per manus circumferendum, parte utraque ad informandum monita, ab EE. VV. responsum exspectant: « 1. An sit standum

» vel recedendum a decisis circa exactionem usurarum pro Monte » frumentario ad formam Bullae Leonis X? 2. An salmae tercen- » tum et ultra tritici existentis in Monte frumentario Valentani » proveniant ex usuris? Et quatenus affirmative, quid circa illud » statuendum sit in casu?» Die 1. Martii 1704. « ad 1. stetit in » decisis; ad 2. censuit, esse locum erectioni novi Montis frumen- » tarii in salmis 300 circiter sub administratione Emi Episcopi. »

342. In *Brictinorien. Montis frument.* 9. Maii 1840. apud S. C. Conc. ob deperditas fundationis tabulas ignorabatur, quaenam fuisset certa origo, quaeque primaevae erectionis leges Montis frumentarii in oppido Theodorani: quocirca variae subortae fuerunt controversiae tum inter municipium et privatas quasdam familias, quae Montis administrationem ex vetusta possessione regebant, tum inter hasce et Episcopum dioecesanum, prouti patebit ex dubiorum formulis, quae mox exscribentur. Antea vero ad maiorem intelligentiam penultimi et ultimi dubii praemonemus, iuxta leges in Pontificia ditione vigentes, illud statutum esse primo, ut provinciae praeses actus consiliares ab eodem expensos, quando regulae praescriptae ac solemnitates omnes servatae fuerint, et quando nihil aliud obstet, absque ulla exceptione confirmet; deinde ut causae communitatum et publici aerarii ventilari debeant coram iudicibus laicalibus, etiamsi personas ac fundos ecclesiasticos concernant. Dubia itaque hisce verbis concepta erant: « An et cui competat administratio Montis frumen- » tarii Theodorani in casu? 2. An talis Mons frumentarius subsit » visitationi Episcopi Brictinoriensis in casu? Et quatenus affir- » mative, 3. An idem Episcopus in actu visitationis possit exa- » minare statuta ipsius Montis in casu? 4. An possit in eadem vi- » sitatione rationem petere administrationis in casu? 5. An possit » leges condere pro regimine ipsius Montis independenter a sae- » culari potestate? 6. An saecularis potestas ius habeat denegandi » approbationem ministro per suffragia secreta electo a consilio » communali, et ab Episcopo approbato? An causae ad Montem fru- » mentarium Theodorani spectantes, quamvis personae sint laicae, » quae sunt in iudicium vocatae, agendae sint a tribunali ecclesia- » stico in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. Affirmative favore com- » munitatis. Ad 2. et 3. Affirmative. Ad 4. Affirmative, una tamen » cum deputatis, quatenus consuetudo eisdem favorabilis adsit. » Ad 5. Provisum in 3. Ad 6. et 7. Provisum per leges vigentes.»

343. In *Montisfalisci Mont. frum.* 2. Oct. 1857. penes S. C. Episc. et Regul. inter municipium loci *Piansano* et Episcopum Montisfalisci de iure Montis administrandi disceptabatur. Porro usque ab origine Montis erecti huiusmodi quaestio exarserat, nec unquam consopiri potuerat, actibus sive ab Episcopo, sive a municipio in medium allatis, qui cuiusque iuribus favere videbantur. Anno 1815. Montisfalisci Episcopus suo decreto Montis administrationem deputationi commiserat, quae ex viris ecclesiasticis coalescebat ex oeconomica locorum piorum congregatione desumptis, relicta municipio copia eligendi exactorem, ac adsciscendi aliquos consiliarios memoratae deputationi. Anno 1840. perillustris Card. de Angelis, tum Episcopus eiusdem dioecesis, concordiam iniit a municipio exceptam et a praeside provinciae confirmatam, in qua statuebatur, ut duo e municipali consilio viri congregationi oeconomicae locorum piorum accederent. Nihilominus cum municipium non acquiesceret, aliquanto post assumpto suorum iurium defensore dubium proponendum curavit: « An et » cuius favore constet de iure administrationis Montis frumentarii » in casu? » S. C. rescripsit: « Servetur compositio ab Emo de » Angelis confecta. »

344. In *Spoletana Mont. frum.* 19. August. 1859. apud eamdem S. C. Episc. et Regul. agebatur de Monte, cuius administratio de facto ad municipium pertinebat, idemque non Archiepiscopo, sed provinciae praesidi de administratione rationem reddebat. Archiepiscopi in eo numquam visitationis ius exercuisse dictitabantur; cum tamen loci pii res non bene procederet, Archiepiscopus pro tempore voluit eumdem visitare, ac decreta ad administrationem ordinandam sancire. Cum itaque hac de re municipes conquesti essent penes S. C. Episc. et Regul., Emi Patres rescripserunt: « Constare de iure Archiepiscopi visitan- » di Montem frumentarium, de quo agitur, atque interessendi » redditioni rationum una cum officialibus municipii, et cum iis » syndicandi et providendi indemnitati loci pii, contra quos de » iure iuxta praescriptum Conc. Trid. »

345. Declarationes hactenus allatae Episcopos attingunt; quae subsequuntur, veluti miscellaneae considerari queunt.

In *Bonon. Montis pietatis* 23. Iun. 1838. administratores Montis pietatis Bononiensis postulabant, ut ad maiorem populi commoditatem domos (quas vocant *succursales*) sibi liceret erigere pro

pignorum negotiis expediendis per illas horas, quibus primaria domus clausa est; idcirco insuper postulabant, ut eas diebus festis pro pauperum commodo aperire fas esset; necnon propter expensas hanc ad rem assequendam necessarias duos asses sibi permitteretur exigere ab iis, qui ad has domos confluerent. Deinde petebant, ut, quoniam status activus Montis longe maior statu passivo inveniebatur, sextantes usurae exigi possent; item eiusdem Montis curatores ad faciliorem fructuum decurrentium calculationem flagitabant, ut pro pignoribus scutata viginti non excedentibus mensis incoeptus haberetur pro completo, pro aliis vero in quindenos dies fructus supputarentur. Praeterea deposcebant, ut post triennium Monti applicare liceret pignorum residua, quae post eorum distractionem superessent, non omissis hac de re publicis monitionibus, promulgatoque post dictam distractionem catalogo. Tandem cum praeterito tempore, non inconsulto Ordinario, propter acerbissimas illius tempestatis calamitates octo pro singulis centum et annis bona fide exegissent, et in Montis utilitatem erogassent, absolutionem et condonationem sibi indulgeri supplicabant. Qua de re multa concinnata sunt dubia, ceu sequitur: « 1. An concedenda sit domus succursalis erectio in casu? » et quatenus affirmative, 2. An etiam diebus festis eius aperitio » sit permittenda in casu? 3. An exactio duorum assium in do- » mibus succursalium sit indulgenda in casu? 4. An et ad quam » rationem sit indulgenda Monti fructus exactio in casu? 5. An » et quomodo numerandi sint dies exigendorum fructuum in casu? » 6. An et quomodo concedenda sit residuorum applicatio Montis » favore in casu? « et quatenus affirmative,» 7. An et quomodo pro- » videndum sit quoad praeterita residua in casu? 8. An et quo- » modo consulendum sit Ssmo super perceptione fructuum quoad » praeteritum in casu? Eminentissimi Patres rescripserunt: Ad 1. » Ex deductis non constare de necessitate erigendi domum suc- » cursalem. Ad 2. et 3. Provisum in primo. Ad 4. Dilata, et scri- » batur Emo Archiepiscopo, qui, auditis administratoribus, pro- » ponat reformationem expensarum, et tunc providebitur. Ad 5. Af- » firmative, et mensis incoeptus habeatur pro completo pro » pignoribus tantum, quae viginti scutata excedunt. Ad 6. Affir- » mative ad formam iuris. Ad 7. Provisum in praecedenti. Ad 8. Af- » firmative, et esse consulendum Ssmo pro absolutione et con- » donatione. »

346. In *Imolen. Praecepti* 28. Mart. 1705. (ex fol. *Civit. Cast. Mont. piet.* ad diem 6. Dec. 1845. §. *Porro*) res erat de Monte pietatis Lugi erecto, in cuius statutis cavebatur, ut quidquid titulo usurae pro pignorum custodia Monti persolvi consueverat, et quidquid ex pretio pignorum venditorum, detractis ministrorum salariis aliisque necessariis expensis, reliquum erat, si intra certum tempus a dominis pignorum non fuisset exactum, in pauperum eleemosynam erogaretur. Hinc proposito dubio: « An » ordines dati a Vicario Generali, et praeceptum ab eo trans- » missum praesidenti adsistenti Montis pietatis sint servandi, et » respective servandi etiam quoad eleemosynas faciendas ex pretio » residuali pignorum, et ex fructibus bonorum dicti Montis? » Responsum fuit: « Non erogandum in eleemosynam pretium re- » siduale pignorum, sed remanere debere in creditum dominorum. » (Vide num. 345. *Bononien. Mont. pietatis ad 6. et 7.*).

347. In *Avenionen.* 26. Maii 1612. (ex eod. *fol. Civ. Cast.* §. *Idipsum*) in eamdem sententiam sese expressit S. C. Namque eam conditionem adiectam in Montis creatione, qua statuebatur, ut qui pignus rei subhastatae daret, illud intra octo dies recuperaret, alioquin ad Montem pertineret, possetque vendi absque eo, quod pretium debitum restitueretur, ita immutandam esse praescripsit, ut pignus vendi posset, et, retenta quantitate Monti debita, reliquum domino pignoris redderetur.

348. In *Civitate Castellan. Montis frumentarii* magistratus, Montis administrator, cum residua pignorum venditorum superexstantia non parum administrationis computa impedire animadverteret, a S. C. petiit, ut brevis terminus ad ea residua retrahenda determinaretur, quo inutiliter elapso, in rem loci pii cederent. Sed articulo formiter a Secretario S. Congregationis de more discusso, rationamque momentis pro utraque parte libratis, ad dubium: « An et quomodo annuendum sit precibus oratorum in casu? » S. C. Concilii die 10. Decemb. anni insequentis 1846. rescripsit: « Negative in omnibus. »

349. In *Bononien. Vendit. pignor.* 31. Mart. 1848. Curatores Montis a S. Congregatione Episc. et Regul. exorabant, ut pignorum distractionem sub unico auctionis experimento conficere liceret; quod si experimentum inutile abiret, privatim, praemissa pignorum peritia, eadem pignora etiam plura in unum cumulum congesta, personis id exoptantibus vendere fas esset, distributo

pretio pignorantibus iuxta proportionem, et publice monitis pignorum dominis, datoque in antecessum peremptorio termino ad pignora luenda. Quapropter proposito dubio: « An et quomodo » annuendum sit precibus humiliter S. Sedi porrectis a deputa- » tione administratorum Montis pietatis Bononiae? » S. Congreg. rescripsit: « Affirmative ad triennium. »

« V. An infirmorum hospitalia visitaverit, redituum rationes » ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria quoad » salutem animae et corporis in eis subministrentur? »

Summarium. 350. ad 352. A primis Ecclesiae saeculis hospitales domus pro omnimodis indigentium necessitatibus constitutae sunt. – 353. Variae earumdem species recensentur ac explicantur a Barbosa. – 354. Quae generatim de piis locis superius dicta sunt, hospitalibus in specie applicantur. – 355. S. C. Conc. in *Toletana* declaravit, erectionem hospitalis S. Petri esse confirmandam, salva iurisdictione Ordinarii; presbyteris S. Petri concedendum indultum administrandi sine licentia parochi loci Poenitentiam, Eucharistiam etiam per Viaticum et Oleum sanctum sacerdotibus infirmis, non esse tamen concedendum pro satisfactione praecepti paschalis, nec etiam quoad ministros et famulos hospitalis, nec pro his sepeliendis et exsequiis celebrandis; aliter esse vero de sacerdotibus ibidem decedentibus; facultatem exponendi Sanctissimum Sacramentum, aliasque functiones peragendi relictam esse arbitrio Ordinarii, salvis iuribus parochialibus. – 356. In *Avenionen.* edixit, Rev. P. Ministro Ss. Trinitatis haud competere denominationem curati hospitalis, competere vero ius peragendi exsequias in coemeterio pro extraneis ibidem sepeliendis cum exsclusione Capituli collegiatae, inservientes hospitali teneri praecepto paschali satisfacere in ecclesia parochiali, nec posse id in ecclesia hospitalis. – 357. In *Florentina* rescripsit, matrimonia inita a puellis expositis coram rectore brephotrophii sananda esse ad cautelam in radice, ac permittenda in posterum matrimonia, adhibitis in utroque casu certis quibusdam cautionibus. – 358. In *Ianuen.* respondit, ad parochum domicilii vel quasi-domicilii spectare ius assistendi matrimoniis puellarum expositarum, et insuper ad cautelam sananda esse matrimonia iam inita, adhibitis cautionibus, ut in *Florentina*. – 359. In *Lauden.* edixit, ad praepositum privative spectare exercitium omnium iurium parochialium, quoad personas hospitalis, facta limitatione circa infirmos et deservientes et quoad iura capellano alias tributa, eidem non competere ius administrandi Sacramenta infirmis ac deservientibus, nisi vocetur ab infirmis. Praeposito ius esse peragendi functiones solemnes diebus festis hospitalis, ac participandi pro rata de emolumentis in ceteris functionibus, prudenti ar-

bitrio Episcopi relictum dare licentiam capellano peragendi functiones qua hora explicatur Evangelium, vel celebratur Missa parochialis. – 360. In alia *Lauden.* declaravit, parocho Sanctissimi Salvatoris ius competere celebrandi Missam solemnem et divina officia in diebus festivis hospitalis; inservientes hospitali teneri satisfacere praecepto paschali in ecclesia parochiali, capellano non licere associare cadavera in hospitali tumulanda cum stola et cruce. – 361. De privilegio archihospitalis S. Spiritus Almae Urbis in filiatione, arrogatione vel adoptione expositorum et expositarum. – 362. Hoc privilegium Gregor. XVI. aliis etiam hospitalibus concessit. – 363. Affertur causa *Recinaten.* apud S. C. Episc. et Regul., in qua Emi Patres censuerunt, accedente SSmi approbatione, sanandos esse contractus arrogationis et adoptionis antea factos et concedendas Vicario generali facultates ad normam privilegii archihospitalis Sancti Spiritus iam elargiti cum clausulis a Summo Pontifice desuper impositis.

350. Cum maximum ac primum mandatum, quod Christus Dominus Apostolis, et in eorum persona omnibus fidelibus fecit, in eo situm sit, ut sese diligerent invicem, sicut ipse Christus dilexit Apostolos, hinc Ecclesia nullam aliam potiorem sibi curam assumpsit quam ut charitatem erga proximum promoveret, multiplicibus, iisque omnigenis hominum necessitatibus opitulando. Hinc factum est, ut in primo christianae religionis exordio fideles bonorum suorum pretium Apostolis offerrent, pauperibus dispertiendum. *Act. Ap. IV. 37.*

351. At, latius propagato Christi nomine, eiusque imperio constituto, mature domus institui coeperunt, ubi pauperes, peregrini, senes, infantes et alia qualibet ope indigentes suis necessitatibus opem ac levamen invenirent; eademque generali nomine hospitalia nuncupata sunt et adhuc nuncupantur.

352. Unum hospitale circa annum 330. Constantinopoli a Zotico senatore erectum fuisse narrat Baronius *ad an. 330. n. 28. tom. IV. pag. 231. ed. Lucen.* S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 95. pag. 102. Tom. I. ed. Colon. 1690.* Iulianum apostatam irridet, quod, ethnicis christianorum exemplum proponens, eos hortetur ad excitanda xenodochia. Celebre etiam est xenodochium Romae a Pammachio, et nosocomium a Fabiola erectum, uti narrat D. Hieronymus *Ep. 66. ad Pammach. n. 11.* et *Ep. 77. ad Ocean. n. 6. tom. I. col. 399. et 457. ed. Vall. Veron.* Plura hospitalium genera recensentur in argumento *Tit. 3. Cod. de Episc. et cler.* necnon *L.* Sancimus *eod. tit.* §. *Sin autem.*

353. Quae vero nominatim ea sint, erudite tradit Barbosa *Iur. eccles. un. L. II. cap. XI. de hosp. confr. a num. 1.*, quem hic exscribimus. « Est autem hospitalis nomen generale, perti- » nens ad omnem speciem hospitalitatis, cuiuscumque generis » illa fuerit, et sic est quoddam hospitalis genus, quod dicitur » xenodochium, sive xenon, a graeco vocabulo, idest locus, ubi » peregrini gratis suscipiuntur: de illo loquuntur textus in *Cap.* » *de Xenodoch. de rel. dom. et in Clem. Quia contingit...* Item » nosocomium, seu noscomium, dicitur locus, ubi aegroti curan- » tur, de quo in dicta *L. Sancimus*, §. *Sed Deo, cap. de Episc. et* » *cler.* Istorumque locorum ministri, qui ad aegrotantium cu- » ram adhibentur, parabolani in iure vocantur, *L. Parabolani.* » *C. Illo tit.* Brephotrophium autem est locus, ubi infantes aluntur » et nutriuntur, de quo in *L. Illud. Cod. de sacr. eccl.* Procotro- » phium dicitur locus, in quo mendici aluntur et pauperes, de quo » in dicta *L. Sancimus* et in dicta L. *Illud.* Orphanotrophium dici- » tur locus, ubi aluntur orphani, idest parentibus orbati, de quo » *L. Orphanotrophia C. 30. de Episc. et cler...* Gerentozomium vero » dicitur locus, ubi senes pauperes et infirmi curantur *d. L. Illud* » *et d. L. Sancimus...* Et Pelagium Papam II. anno Christi 590. » domum suam gerentozomium pauperum senum fecisse, ex Ana- » stas. refert Card. Baronius *Ann. eccles. tom. 7. eodem anno* » *in princ. versu* His igitur. Grotophonium dicitur locus, ubi foe- » minae debilium sustentatrices habitant. *Host. in Summ. de relig.* » *dom.* Sunt et leprosariae in gratiam illorum, qui morbo leprae » percussi sunt, ut seorsim habitantes contagionis periculum evi- » tetur, de quibus meminit textus in *Cap. 2. De ecc. aed. et Clem. 2.* » *De praeb. et in Clem. Quia contingit. de rel. dom.* Eleemosyna- » riae, quae dicuntur loca, et reditus ad eleemosynas faciendas » deputata, quarum meminit dicta *Clem. 2. de praeb.*, ubi Glossa » verb. eleemosynariis dict. *Clem. Quia contingit.* Et denique alia » huiusmodi sunt pia loca, quae sicut et supra relata generali » nomine hospitalia appellantur, licet diversis nominibus secun- » dum diversos regionum mores soleant nuncupari, ut observat » dicta *Glossa* verbo *Eleemosynariis.* »

354. SS. CC. iura, quae hospitales huiusmodi domos respi- ciunt, utpote quae communia sunt cum aliis piis locis in ge- nere spectatis, cum de his agebamus, satis superque praeoccu- pavimus: ex quo fit, ut nihil speciale hic subiiciendum occurrat

praeter aliquas declarationes a S. C. Conc. super hoc argumento editas, quae pro componendis dissidiis inter hospitalium capellanos et parochos circa functiones, matrimonia et funera identidem suboriri ubique solent:

355. In *Toletana Iur. paroch. sive hospit. et priv.* 20. Nov. 1745. haec dubia disceptationi subiiciebantur:

« 1. An erectio hospitalis S. Petri villae Matriti sub instit. » ven. Cong. rr. sacerdotum sit confirmanda, vel potius sit locus » illius suppressioni et quomodo? Et quatenus affirmative ad pri- » mam partem,

» 2. An concedendum sit hospitali et congregationi presby- » terorum S. Petri villae Matriti indultum administrandi Sacra- » menta Poenitentiae, SSmae Eucharistiae, etiam per Viaticum, » retinendi Oleum sanctum, illudque administrandi sacerdotibus » infirmis in eodem hospitali independenter a quovis parocho etiam » S. Sebastiani? (porro huius hospitalis domus institutum habere » debebat, ut etiam sacerdotes infirmos curandos susciperet).

» 3. An sub eodem indulto comprehendendi sint ministri, » seu servientes et familiae dicti hospitalis et ecclesiae cum » eadem independentia parochi, seu parochorum?

» 4. An concedendum sit indultum administrandi Sacramen- » tum Eucharistiae pro satisfactione praecepti paschalis tam sa- » cerdotibus, quam ministris, aliisque supradictis personis intra » septa ecclesiae et hospitalis degentibus, sive infirmis, sive non, » in casu?

» 5. An indulgendum sit eidem Congregationi et hospitali ius » sepeliendi tam confratres, ministros, aliosque in hospitali de- » cedentes in quacumque parochia, et sepulturam alias eligentes » in dicta ecclesia et hospitali cum dicta independentia parochi, » seu parochorum eorumdem absque eorum interventu et cruce » tam in associando, quam in sepeliendo cadavere, una cum emo- » lumentis competentibus aliis ecclesiis et hospitalibus exemptis » a iurisdictione parochi?

» 6. An concedenda sit exemptio ab omni et quacumque so- » lutione cuiusque portionis, seu quartae funeralis funerum di- » ctorum ministrorum, servientium familiae, ac sacerdotum in » hospitali decedentium in casu?

» 7. An concedendum sit hospitali et Congregationi praedictis » indultum exponendi in illius ecclesia publicae venerationi Sa-

» cramentum Eucharistiae, celebrandi divina officia in hebdomada » sancta, benedicendi candelas, cineres et ramos olivarum, ac » celebrandi quamcumque festivitatem, Missas cantatas, praedi- » cationes, anniversaria et officia mortuorum, et peragendi quas- » cumque ecclestiasticas functiones fieri consuetas ab aliis ho- » spitalibus exemptis, fruendique omnibus privilegiis et praero- » gativis ad instar aliorum hospitalium auctoritate Apostolica » exemptorum in casu? »

Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. Affirmative quoad primam partem, negative quoad » secundam, salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii, et » dummodo reditus prioris instituti erogentur in eiusdem adim- » plementum, ad quem effectum fiat separatio bonorum, cui in- » cumbat Ordinarius.

» Ad 2. et 3. Affirmative quoad sacerdotes infirmos de licentia » parochi S. Sebastiani.

» Ad 4. Negative, et quoad sacerdotes in hospitali decedentes » de licentia parochi.

» Ad 5. Affirmative quoad infirmos sacerdotes in hospitali » decedentes; in reliquis negative.

» Ad 6. Provisum in praecedenti.

» Ad 7. Quoad expositionem Ss. Sacramenti et praedicatio- » nem arbitrio Ordinarii; in reliquis idem Ordinarius provideat » pro sua prudentia, salvis iuribus parochialibus. »

Et iterum proposita causa die 18. Maii 1746. Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. In decisis et amplius.

» Ad 2. 3. et 4. In decisis, dempta clausula de licentia parochi.

» Ad 5. 6. 7. In decisis et amplius. »

Tertio proposita causa circa 2. 3. 4. ac 5. dubium Emi Patres responderunt die 9. Iulii eiusdem anni:

« In secundo loco decisis in omnibus et amplius. »

356. In *Avenionen.* 12. Sept. 1750. dubia proposita sunt:

« 1. An R. P. Ministro SS. Trinitatis in archihospitali S. Marthae » civitatis Avenionensis competat titulus et denominatio curati » eiusdem archihospitalis?

» 2. An ius exercendi in coemeterio archihospitalis quascum- » que functiones pro exsequiis, et tumulationibus cadaverum » decedentium extra dictum archihospitale, et sepulturam in eis

» eligentium spectet ad Rm̃um Capitulum collegiatae et parochialis » ecclesiae S. Petri, seu potius ad R. P. Ministrum et Religiosos » Sanctissimae Trinitatis?

» 3. An familiares et domestici degentes in eodem archiho- » spitali eidemque inservientes praeceptum paschale adimplere » teneantur in ecclesia archihospitalis, seu potius teneantur ac- » cedere ad ecclesiam collegiatam et parochialem Sancti Petri » in casu? »

Em̃i Patres rescripserunt: « Ad 1. Negative et amplius.

» Ad 2. et 3. Negative ad primam partem, affirmative ad » secundam. »

Porro in erectionis Bulla per s. m. Innoc. VI. edita, et conventionibus inter R. P. Ministrum et ecclesiam S. Petri initis, exsequias peragendi, quarta parochiali soluta, et sepulturae cadavera recondendi ius erat R. P. Ministro, eiusque consodalibus Religiosis, quibus archihospitalis cura et regimen ex fundatione concreditum fuerat.

357. In *Florentina Brephotrophii quoad matrimonia* 17. Septembris 1842. illud sancitum erat, ut alumnae Florentini brephotrophii, quae exinde egressae penes privatas familias praestandi famulatus gratia, vel alia de causa domicilium statuebant, in ipsum hospitium iterum recipi deberent, si ab illarum dominis dimitterentur, antequam aetatem 35 annorum attigissent. Cum vero nosocomium patriam potestatem erga easdem alumnas exerceret, rector eiusdem, qui ceteroquin parochiali titulo ac potestate potiebatur, tamquam parochus proprius reputabatur, matrimoniis, etiam illarum puellarum, quae ob famulatum, vel quamlibet aliam causam alibi domicilium haberent, adeoque a pluribus retro annis sine venia Episcopi vel parochi ultimi domicilii, idem brephotrophii rector benedicere consueverat. Itaque dubitatum est, an matrimonia hac ratione contracta valida essent; et si secus iudicaretur, petitum est, ut huic rei consuleretur. Quapropter duplex dubiorum formula expensa est, nempe:

« 1. An et quomodo consulendum sit SSm̃o pro sanatione » quoad matrimonia inita in casu?

» 2. An et quomodo sit annuendum precibus, quoad matrimo- » nia in futurum contrahenda? »

S. C. respondit: « Ad 1. Affirmative ad cautelam pro sanatione » in radice cum declaratione legitimitatis prolis, et facta adno-

» tatione tam in libris cancellariae archiepiscopalis, quam bre-
» photrophii.

» Ad 2. Affirmative in omnibus, dummodo puellae, quae 35.
» annum non excesserint, redeant ad brephotrophium ante ma-
» trimonium, et acta status liberi conficiantur ab Ordinariis, apud
» quos commoratae fuerint, facto verbo cum SSmo. »

358. In *Ianuen. Brephotrophii quoad matrimon.* 22. Nov. 1856. casus erat haud absimilis; namque parochus S. Stephani, in cuius parochiae finibus erat brephotrophium, interesse consueverat matrimoniis puellarum expositarum, quae famulandi causa a brephotrophio profectae apud privatas familias alterius paroeciae atque etiam alterius dioeceseos commorabantur: idque iure sese facere posse ostendebat ex eo, quod brephotrophium in eas puellas potestate patria frueretur. Cum igitur curia archiepiscopalis aliter sentiret, apud Sacram Congregationem Concilii dubia, quae sequuntur, disceptanda oblata sunt:

« 1. An et quis censendus sit proprius parochus ad effectum
» assistendi matrimoniis puellarum expositarum in casu?

» 2. An et quomodo providendum sit quoad matrimonia huc-
» usque inita in casu? »

S. C. respondit: « Ad 1. Affirmative, et ius assistendi matri-
» moniis spectare ad parochum domicilii, vel quasi-domicilii.

» Ad 2. Consulendum esse SSmo ad cautelam pro sanatione in
» radice cum declaratione legitimitatis prolis, facta adnotatione
» tam in libris cancellariae archiepiscopalis, quam orphanotrophii.»

359. In *Lauden. Iur. parochial.* 2. Maii 1857. Inter Praepositum SSmi Salvatoris, cura parochiali decoratum et capellanum hospitalis, quod in ambitu parochiae SSmi Salvatoris inveniebatur, plura controversiae capita suborta sunt, quae subsequentibus dubiorum formulis continentur, nempe:

« 1. An privative spectet ad Praepositum SSmi Salvatoris exer-
» citium omnium iurium parochialium quoad personas in hospi-
» tali degentes, exceptis infirmis eisque deservientibus in casu?

» 2. An eidem Praeposito competat cumulative cum capel-
» lano ius administrandi Sacramenta etiam infirmis et deservien-
» tibus in casu?

» 3. An, et quod ius spectet ad Praepositum circa functiones
» in ecclesia hospitalis peragendas et respective emolumentorum
» participationem in casu?

» 4. An liceat capellano peragere functiones in ecclesia ho» spitalis eadem hora, qua explicatur Evangelium et celebratur » Missa parochialis in ecclesia SSmi Salvatoris in casu? »

S. C. rescripsit: « Ad 1. Affirmative, exceptis iuribus capellano » tributis in Bulla Sixti IV., et in sententia arbitramentali Epi» scopi anni 1677.

» Ad 2. Negative, excepto casu, quo Praepositus vocetur ab » infirmis.

» Ad 3. Affirmative, et ius esse Praeposito peragendi functio» nes solemnes diebus festivis hospitalis, ac participandi pro rata » de emolumentis in ceteris functionibus, quibus alii sacerdotes » intervenerint.

» Ad 4. Prudenti arbitrio Episcopi. »

360. In folio eiusdem *Lauden.* referebantur tria dubia super eodem hospitali a S. C. Concilii disceptata die 24. Nov. 1688. quae huiusmodi erant:

« 1. An parocho ecclesiae SSmi Salvatoris ius competat ce» lebrandi Missam solemnem et divina officia in dicto hospitali » in diebus solemnibus et festivis dicti hospitalis?

» 2. An inservientes et alumni dicti hospitalis teneantur re» cipere in dicta ecclesia parochiali SSmae Eucharistiae Sacra» menta tempore paschali?

» 3. An capellano liceat associare cum stola et cruce una cum » parocho cadavera defunctorum in hospitali extra illud tumu» landa? »

Emi Patres responderunt: « Ad 1. et 2. Affirmative. Ad 3. Ne» gative. »

361. Coronidem imponet *Recanaten. Super valid. vel sanat. adop. et arrog.* 10. Dec. 1841. apud S. Congr. Episc. et Regul. Eam tamen antequam exponamus, ducimus praemittendum, ex Motu-proprio edito per Apostolicas Literas s. m. Bened. XIV. die 21. Dec. 1749., R. P. D. Commendatori archihospitalis S. Spiritus in Saxia ex privilegio concessum fuisse, ut pueros et puellas expositos titulo filiationis, adoptionis et arrogationis privatis hominibus tradere possit, servatis conditionibus, quae ad rem ibidem exponuntur, vel in instrumentis in casibus particularibus celebrari solitis adiiciuntur. Qui quidem actus filiationis, adoptionis et arrogationis omnes et singulos sortiuntur iuris effectus, quos pariunt similes actus ad formam iuris civilis ad amussim

celebrati. Insuper circa mulieres affiliantes, adoptantes et arrogantes, si maiores aetate sint ac sui iuris, remittitur obligatio adimplendi solemnitates in mulierum contractibus praescriptas; si vero de mulieribus nuptis agatur, contractus filiationis, adoptionis, arrogationis insimul ab iis eorumque viris in solidum stipulatur.

362. Huiusmodi privilegium s. m. Gregorius XVI. ex Rescripto diei 16. Sept. 1839. indulsit Vicario Generali tum Auximano, tum Cingulano ad hoc, ut filiationis, adoptionis et arrogationis actus cum omnibus iuris effectibus auctorarent, servatis tamen cautelis et conditionibus, quae in relatis Apostolicis Bened. XIV. Literis apponuntur.

363. Hisce praemissis, propius venio ad causam *Recanatensem*. S. m. Pius VII. statutum edidit, in quo Episcopo Recanatensi ac deputatis brephotrophii munus iniungebatur, ut pueros ac puellas expositos in adoptionem tradere possent. Itaque, nulla alia solemnitate attenta, iidem per plurium annorum spatium pueros ac puellas adoptandos concedere consueverant. Cum tamen neque praesidis accederet interventus (servato solemni iuris ordine *ad L. Adop. 4. C. de adop.*, quatenus concessio ab Episcopo et deputatis Recanatensibus peracta uti adoptio habenda esset) neque principis auctoritas intercederet iuxta *L. 2. ff. de adoption.*, si uti arrogatio reputaretur, meritissime dubitatum est, an huiusmodi actus in iure sustineretur; itaque duo dubia dissolvenda occurrebant:

« 1. An, et quomodo sanandi sint contractus adoptionis aut » arrogationis in pio hospitio peracti ab anno 1822. ad illum usque » diem?

» 2. An Vicario Generali Recanatensi concedenda sit facultas » interponendi decreta in stipulatione contractuum adoptionis et » arrogationis in casu? »

S. C. Episc. et Regul. respondendum censuit: « Ad 1. Affir- » mative, ad Dominum Secretarium cum SSmo.

» Ad 2. Affirmative iuxta formam Motus-proprii Bened. XIV. » diei 21. Dec. 1749. pro pia domo S. Spiritus in Saxia, facto » verbo cum SSmo. »

« Et facta de praemissis relatione SS. D. N. Greg. XVI. in » audientia habita a Sub-secretario die 10. Dec. 1841., Sanctitas » Sua resolutionem S. C. in omnibus ratam habuit, ac propterea

» enuntiatos adoptionis seu arrogationis contractus hucusque initos » sanavit ac revalidavit: ac insuper Vicario Generali Recanatensi » pro tempore necessarias et opportunas facultates iuxta resolutio- » nem S. C. ad 2. dubium, et ad effectum, de quo agitur, benigne » impertita est, contrariis quibuscumque etiam speciali et indi- » vidua mentione dignis non obstantibus, ac Vicarii Generales » dioecesis Recanatensis in huiusmodi decretis interponendis men- » tionem expressam faciant in singulis actis huius specialis Apo- » stolici privilegii favore memorati pii instituti concessi, ne impo- » sterum aliquod dubium quoad actorum validitatem suboriri pos- » sit.» Cfr. *Fulginaten. sup. iur. adnot.* 8. Iun. 1860. S. C. Episc. et Regul.

## CAPUT OCTAVUM.

### De octavo relationis capite, ad populum pertinente.

« I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiat?

» II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quaedam in » eodem inoluerit consuetudo, quae indigeat consilio et Sedis » Apostolicae adiutorio? »

Summarium. 1. Nullum aliud Benedictinae Instructionis caput S. Congregationi magis curae est, quum hoc octavum, eum in finem, ut Episcopi de populi fide ac moribus laeta omnia referant; quin imo cetera capita veluti media ad hunc finem proprie tendunt. – 2. Ideo in Benedictina quaeritur, quis fuerit populi in fide ac pietate profectus, ut innotescat, an et quatenus in melius progrediatur. – 3. 4. De abusibus et pravis consuetudinibus in populo invalescentibus. Nonnulla in specie huc pertinentia afferuntur. – 5. De blasphemia, contra quam a lege civili, a iure canonico, a Summis Pontificibus et S. Congr. Rom. Univ. Inquisitionis sancita sunt. – 6. Bened. XIV. plures indulgentias in ea sodalitia contulit, quorum institutum est huiusmodi scelus impedire. – 7. Quae ad reparandum honorem ex blasphemia Deo ereptum piae preces publicae inductae fuerint et indulgentiis praeditae. – 8. De praecepto paschali; quae a iure canonico, quae a Concilio Trid. praescripta sint. Casus de sepultura nuperrime denegata cuidam, qui, dum viveret, ob eius praecepti omissionem interdictum contraxerat. – 9. De pravorum librorum evulgatione; inter quos ephemerides et imagines recenseri queunt. – 10. Quam impense a primis Ecclesiae saeculis Apostolica Sedes, ac nuperrime sub Pontificibus Bened. XIV. et Gregor. XVI. incubuerit, ut prava librorum colluvies expurgaretur. De indice librorum prohibitorum.

– 11. In eo libro regulae referuntur in librorum proscriptione adhibendae. Episcopis integrum est in sua iurisdictione noxios libros iuxta eas regulas prohibere. – 12. De festorum dierum observantia, super qua plura habet Ferraris. – 13. De nundinis atque mercatibus die festo non celebrandis: qua de re fuse docteque agit Bened. XIV. – 14. De indifferentismo ac rationalismo, quos praecipue Gregorius XVI. et s. m. Pius PP. IX. insectati sunt. – 15. 16. De matrimoniis mixtis quid s. m. Bened. XIV. et Pius VIII. necnon Pius IX. tradant ad praecavenda, aut saltem diminuenda mala inde profecta. – 17. De scholis mixtis: quas cautiones S. Congr. Conc. praescribere consuescat. – 18. Ad populi mores ac fidem tuendam quae consilia generatim praebere soleat S. C. Conc. In primis commendantur sacrae missiones. – 19. Inculcatur etiam exsecutio monitionum, quas Summus Pontifex Episcopis totius catholici orbis identidem praebet. – 20. Aliquando Pontifex encyclicas Literas Episcopis alicuius nationis dirigit. De encyclicis ad Episcopos Italiae datis. – 21. De aliis ad Episcopos Galliarum, Austriae, utriusque Siciliae et Hispaniarum. De Constit. *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. a Bened. XIII. confirmata in Constit. *In supremo*. – 22. Huius Constitutionis utilitas ac praestantia in ecclesiasticae disciplinae reparatione ostenditur.

1. Quanto magis curae est S. C. Tridentinarum sanctionum interpreti ac vindici, quam Summus Pontifex in partem sollicitudinis omnium ecclesiarum vocat, ut, quae in superioribus septem capitibus singulatim exposita sunt, recto ordine ac iuxta sacrorum canonum praescripta procedant, tanto magis, imo multo maiorem in modum eiusdem S. C. interest, ut ea, quae ad hoc octavum pertinent caput, quod populi mores, eiusque in pietate progressum respicit, nihil non laetum, fortunatumque Episcopi prae se ferant atque adeo amplissimam de sollicitudine in id a sese impensa materiam in Domino gratulandi suppeditent. Enimvero si fructus, quem ex Episcoporum laboribus in agro Dominico eisdem concredito exercendo percipere S. C. sibi proponit, paulo penitius inspiciatur, in eo potissimum consistere ipsum quisque facile intelliget, ut populus Christi fidelis catholicae religionis doctrina satis apprime institutus, et ad christianae legis praecepta exercenda excitatus ita virtutis iter teneat, in eoque alacriter progrediatur, ut, errorum tenebris dissipatis, vitiorumque laqueis expeditis, denique finem reportet fidei nostrae salutem animarum. Quin imo seges huiusmodi fructuum absque dubio laetissima et uberrima tum denique proveniet, cum superiorum capitum status tam materialis, quam formalis optima in conditione versabitur. Nam

si sacrarum aedium praesertim parochialium decus enitescat, ac cetera sacra instituta fini, quem spectant, apprime respondeant; si Episcopus in sua dioecesi resideat, sacram visitationem obeat, divinum verbum qua per se qua per sacros praecones praedicari provideat, aliasque episcopalis ministerii partes sedulo persolvat; si ecclesiastici viri, ac praesertim parochi sui ministerii memores verbo et exemplo populum erudiant, ac provide moderentur; si clerus regularis non solum propriam perfectionem, sed et populorum culturam provehat adiuvetque; si virgines Deo sacrae, dum vitam in Christo absconditam degunt, suarum virtutum odore populos reficiant, optimasque matres-familias in puellis educandis effingant; si seminarium, in quo tum ecclesiae, tum societatis omnis spes est, studiorum ac pietatis laude vigeat, ex hisce rebus una congestis, profecto fieri non poterit, quin tam ampla, tamque ingens bonorum emolumentorumque copia existat et efflorescat, ut profecto populus tot tantisque adminiculis suffultus, et stimulis inflammatus catholicae fidei omniumque christianarum virtutum sectatorem observantissimum sese plane praebeat.

2. Quae pauca generatim de hoc articulo innuisse sufficiat; quod enim in specie uberius exponi possit, natura argumenti, de quo res est, haud certe suppetit: ceteroquin ad Episcopos quosque unice pertinet, quos mores in ovibus quisque suis inspexerint et praenotaverint, eos omni diligentia et accuratione S. Congregationi referre atque describere. Id unum addimus idcirco in Benedictina Instructione requiri, quis sit populi in pietate progressus, ut nimirum facilius innotescat, quales quantaeque accessiones et incrementa illorum spiritualium fructuum factae fuerint, postquam Episcopi ad suum gregem administrandum accesserint, in eoque pascendo continuaverint; idque facillime intelligere dabitur, cum antecedentes relationes cum consequentibus sedulo conferantur.

3. Post haec gradum facimus ad alium articulum, in quo Benedictina Instructio quaerit, an aliquis abusus, aut aliqua prava consuetudo in populo invaluerit. Ea enim est rerum humanarum natura, ut, nisi vigilans et assiduum studium adhibeatur, ea, quae recte sancita sunt, non raro negligantur, ac insuper moribus et usibus cedant locum, qui ordini recte iam instituto adversentur iuxta illud: « Neglectis urenda filix innascitur agris. » Iamvero huiusmodi rem generatim expressam adinstar

maris esse dignoscitur, quod si quis percurrere ac metiri aggrediatur, nunquam ultimos eius terminos nedum attingere, sed nec intueri posset. Nihilominus ut aliquid, quod infructuosum omnino non accidat, in medium afferamus, indicabimus abusus aliquos pravasque consuetudines, de quibus plerumque Episcopos in suis relationibus conqueri solere experti sumus. Nihil dico de iis, quae ex incontinentiae vitio, ex ebrietate et crapulis, ex inimicitiis, odiis simultatibusque proficiscuntur; haec enim sacrorum praeconum et conscientiarum moderatorum potius ac penitius, quam canonicae disciplinae interpretum provinciam constituunt. Et sane, huiusmodi vitia nonnisi e sacro suggestu, vel in secreto sacrae Poenitentiae tribunali oppugnari profligarique efficaciter posse quisque intelligit.

4. Cetera vitia, quae in suis dioecesibus invaluisse denuntiant Episcopi, ad ea referuntur, quae paulo diligentius exponenda sumimus.

5. In primis de blasphemia loquimur; nullibi siquidem (proh nefas!) ferme desunt luctuosis hisce temporibus, *qui aperiant os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et tabernaculum eius, et eos, qui in coelo habitant (Apoc. cap. 13. v. 6.);* contra quos praeter poenas in iure civili sancitas, *(Aut. Ut non luxurientur homines, §. Et quoniam, coll. 6. nov. 77., et constit. crim. art. 506. Caroli V.),* necnon et alias in iure canonico constitutas, *cap.* Statuimus *2. de maledicis,* exstant et aliae poenae per Constitutiones Summorum Pontificum irrogatae, ut videre est in Constit. incip. *Supernae dispositionis* s. m. Leonis X., Constit. *In multis* s. m. Iulii III. ac tandem Constit. *Cum primum Apostolatus* s. m. Pii V. Item S. C. Rom. et Univ. Inquisitionis identidem et ipsa contra exsecrabile blasphemiae scelus plura sapientissime cavit, prout videre est in eiusdem notificatione diei 26. Sept. 1752., quam per extensum refert Girald. *Ius Pontif. P. I. sect. 860. in fin.*

6. Ut autem tam detestabile et impium flagitium modis omnibus exstinguatur, recte providit s. m. Bened. XIV. in Constit. *Ad exsecrabile* diei 6. Sept. 1656., qui plures indulgentias iis sodalitiis impertitus est, quorum institutum huic vitio debellando et exscindendo maxime intendit. Adeoque quandocumque hoc monstrum suam impensius exserat vim, rectissime facient Episcopi, si in suarum dioeceseon parochias huiusmodi sodalitia constituenda

curent, prouti communiter iam ultro fieri solet praesertim per sanctiones in dioecesana Synodo promulgatas.

7. Ut vero quodammodo reparetur honor divinae maiestati per blasphemias turpiter ereptus, s. m. Sixtus V. et Bened. XIII. alias itidem indulgentias iis elargiti sunt, qui, cum sibi invicem occurrunt piam formulam: *Laudetur Iesus Christus* pronuntient, responsione reddita: *In saecula saeculorum.* Item s. m. Pius VII., et s. m. Pius IX. aliis indulgentiis eos donaverut, qui aliam notam formulam: *Benedictus sit Deus – Benedictum sit ipsius sanctum nomen* recitaverint; quin etiam postquam idem Pontifex B. M. Virginem sine labe conceptam solemni suo decreto faustissime declaravit, post versiculum illum: *Benedicta sit magna Mater Dei Maria sanctissima*, alium versiculum etiam addi permisit: *Benedicta sit ipsius sancta et immaculata Conceptio.*

8. Illud subinde saepenumero usuvenire lamentantur Episcopi, non deesse Christifideles, qui ad sacram Synaxim neque tempore Paschatis accedunt. Id enimvero gravissime praecipitur in *Cap. Omnis utriusque 12. de Poen.* addita poena, ut huiusmodi praecepti violator *vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, ac moriens christiana careat sepultura.* Huiusmodi praescriptionem confirmavit Tridentina Synodus *can. 9. Sess. 13. de Euchar.* Quin imo omnes, ut plurimum, dioecesanae synodi ea, quae a canonico iure et Patribus Tridentinis cauta sunt, saluberrimis ordinationibus confirmant, et quandoque poenis gravioribus afficiunt, quas SS. Congregationes Almae Urbis pro re nata exsecutioni demandandas declarant, veluti factum est in una *Neapolitana Sepulturae* 9. Mart. 1855., ubi, cum quidam repentino sulphurei pulveris ictu peremptus concidisset, idemque paschalis praecepti violator deprehenderetur, curia Neapolitana ad normam dioecesanae Synodi, in qua poena privationis ecclesiasticae sepulturae ipso facto incurrenda sancita legitur, cadaver in ecclesia tumulandum non esse, sententia sua decrevit, et S. C. Episc. et Regul., defuncti consanguineis acriter contra decertantibus, sententiam a Neapolitanae curiae iudice prolatam confirmandam esse definitivo decreto pronuntiavit.

9. Aliam, eamque feracissimam quaerimoniae causam exhibet Episcopis pravorum noxiorumque librorum evulgatio, qua nihil exitiosius ad bonos mores corrumpendos fidemque labefactandam invenire potest diabolica pravitas. Qua quidem in re complectimur etiam eas publicas ephemerides, quae sive per singulos,

sive per statutos dies evulgatae venenum noxiarum doctrinarum in lectorum animos sensim instillant: neque vero turpes et obscoenas imagines exclusas velimus, quae per oculos mortem incautis afferunt animis: harum hisce temporibus propagatio facillima accidit ob artem recens inventam, qua cuiuscumque rei species, veluti de speculo fit, in laminis ad id comparatis expressa ac stabiliter delineata excuditur, quin imo millenis ac millenis exemplaribus repetita multiplicatur. Mirum profecto humani ingenii repertum, nisi hominum malitia eodem ad pravum finem nonnunquam abuteretur!

10. Apostolica Sedes a primis usque Ecclesiae temporibus perniciem ex pravorum librorum Christifidelibus illatam omnibus modis avertere ac reparare studuit, prouti antiqua docent monumenta. Sed enimvero Tridentini Patres pravorum librorum indicem, qui antea iam exstabat, accuratius perfici, certasque regulas pro eorumdem librorum proscriptione edi iusserunt, quod iam a s. m. Pio IV. fideliter effectum est. Deinde vero s. m. Clemens VIII. indicem ipsum numero auctum, atque nonnullis in memoratas regulas observationibus illustratum nova luce donavit. Mox insuper Alexand. VII. indicem ipsum diversa a prioribus methodo ordinatum, atque in diversas partes distributum suo nomine promulgari voluit. At vero Bened. XIV. saluberrimam Constitutionem incipien. *Sollicita ac provida* edidit, qua plura suo more pro librorum pravae doctrinae damnatione sapientissime cavit ac providit. Nec satis; namque opera peculiariter usus doctissimi fr. Thomae Augustini Ricchini a secretis S. Cong. Indicis alteram editionem indicis damnatorum librorum suo nomine in lucem prodire iussit suis Literis Apostolicis incipien. *Quae ad catholicae.* Tandem, exhaustis huiusmodi exemplaribus, s. m. Gregorius XVI. fr. Thomae Antonio Degola S. C. Indicis a secretis mandatum dedit, ut novam eiusdem indicis editionem suo pariter nomine evulgandam curaret; quod ipse accuratissime perfecit, Ricchinii opus plane secutus, nisi quod et ipse aliis decretis indicem auxit, et animadversionibus adornavit.

11. Quae singula ex hac editione diligenter exscripsimus; namque in eiusdem operis vestibulo idem fr. Degola regulas Patrum Tridentinorum cum ceteris ordinationibus, quas subsequenter praelaudati Pontifices emiserunt, per extensum ordine praeire scitissime studuit. Ad has itaque sanctiones hac in editione adie-

ctas lectorem nostrum remittimus, ut pro opportunitate normam ex ipsis arripiat, qui profecto videbit, quanta cautione, diligentia, solertiaque consultum fuerit, ut auctorum fama, quoad fieri potest, ac libertas sarta tecta servetur, dum integritati fidei, bonorumque morum tuendae cumulate consulitur. Post haec in memoriam revocare opportunum duco, ex regula *X. v. liberum* Episcopis integrum esse *secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis, vel dioecesibus expedire iudicaverint* (1).

12. Quamvis ex Romanorum Pontificum indulgentia ultimis hisce temporibus dierum festorum numerus imminutus idcirco fuerit, ut populus suis quaestibus ac lucris comparandis facilius operam dare posset, nihilominus non parum dolendum est, praeceptum de die festo sanctificando iis etiam diebus ubique fere negligi, qui reliqui in albo festorum de praecepto adhuc recensentur. Hinc nihil frequentius ex Episcoporum relationibus colligitur, quam quod prava huiusmodi consuetudo in eorum dioeceses invehatur, altasque in populo radices agat. Circa gravissimum diei festi observandi praeceptum plura, eademque utilia habet Ferraris verbo *Festa a n. 12. ad seq.*, ubi Summorum Pontificum oracula refert, quae, licet pro ecclesiastica ditione edita, in cunctis ferme catholici orbis partibus exemplo esse possunt. Addit insuper idem auctor aliquas SS. Congregationum declarationes, quae ad rem plurimum faciunt.

13. Aliquando fideli diei festi observantiae nundinarum, mercatuumque celebrationem adversari comperitur. De mercatibus nundinisque Bened. XIV. suam Constitutionem incipien. *Ab eo tempore* edidit die 5. Novemb. 1745., ubi non solum summa eruditione argumentum huiusmodi pertractat, ac SS. Congregationum declarationes doctorumque sententias in medium promit, sed et saluberrimas una sententias adiicit, quibus, dum populorum commoditatibus consulitur, dierum festorum observantia in tuto ponitur. Quam Constitutionem hoc in rerum genere consulere summopere, data opportunitate, praestabit.

14. Hisce temporibus in regionibus praesertim, ubi catholici cum protestantibus commixti sunt, alia malorum genera serpere et sensim invalescere inspicimus. Huiusmodi sunt duo systemata,

(1) Ceterum quoad ipsum Indicem vide Vol. III. num. 70.

quae vulgo audiunt *indifferentismus* et *rationalismus*. Primus vel in eo situs est, ut omnia erga Deum, in quo vivimus, movemur, et sumus, officia penitus negligantur, sanctissima nostra religio posthabeatur, omniaque iuris iustitiaeque fundamenta concutiantur, ac propemodum evertantur; vel in eo consistit, ut nulla inter varias religiones differentia locetur, falsa pax concordiaque misceatur, et omnibus aeternae vitae portum ex qualibet religione patere propugnetur. Secundus solam humanam rationem veluti ducem sequitur, ac veritates a Domino revelatas vel respuit, vel ita contorquet ac turbat, ut non ratio fidei, sed fides rationi famuletur. Utrumque huiusmodi monstrum Pontificiae suae vocis oraculo indicavit reprobavitque s. m. Pius PP. IX. in allocutione incipien. *Singulari*, habita in consistorio secreto diei 9. Dec. 1854. ad Episcopos, qui ad almam Urbem convenerant, qua occasione solemne decretum de B. M. V. sine labe concepta proclamatum est. (Vide opus inscriptum *Pii IX. Acta P. I. pag. 620.*). Sed et expressius utrumque systema sua auctoritate perculit Literis encyclicis ad Episcopos Austriacae ditionis die 17. Mart. 1856. datis incipien. *Singulari quidem* (Vide dictum opus *P. II. p. 510.*). In duobus hisce Summi Pontificis actis utriusque systematis falsitatem absurditatemque perspicue demonstratam videre est: quin imo remedia exposita reperire dabitur, quae magis accommodata sunt ad tam exitiosam pestem curandam, ubi misere grassatur, vel avertendam ac propulsandam, quo irrepere commoliatur.

15. Communicatio catholicorum cum haereticis, quam modo innuimus, alterum parit catholicae rei perniciosissimum incommodum, videlicet, ut catholici cum haereticis nuptias inire non dubitent. Iamvero optimo iure catholica Ecclesia huiusmodi mixta matrimonia gravissime vetuit, potissimum ob innumera pericula, quae tum parti catholicae, tum prali nasciturae a parte acatholica possunt obvenire. Super hac re plurimum expedit ea consulere, quae tradit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. VI. cap. 4. lib. IX. cap. 3.*, cuius doctrinae plane inhaerendum est. Per haec recentiora tempora Apostolica Sedes ad maiora praecavenda mala alicubi priscam severitatem emollire coacta fuit, prouti patet ex Apostolicis Literis Pii VIII. diei 25. Mart. 1830. incipien. *SSmus D. N.* diei 27. eiusdem mensis. Namque in Apostolicis eisdem Literis, non modo declaratum fuit, matrimonia mixta, quae in posterum, non observata forma a Concilio Tridentino praescripta,

uti valida reputanda esse et habenda, dummodo aliud non obstaret dirimens impedimentum, sed etiam toleratio eo usque producta fuit, ut parochi catholici, consuetis praemissis proclamationibus, huiusmodi matrimoniis praesentiam mere passivam praestare possent. In Instructione iis addita Episcopis potestas delegata est, ut matrimonia huiusmodi nulliter antea contracta dispensare ac sanare valerent: praeterea elargitum est, ut Episcopi per quinquennium (quod agere iis nefas fuerat) dispensare possent ab impedimentis consanguinitatis super minoribus gradibus, tametsi ageretur de matrimoniis inter catholicam et acatholicam partem celebrandis.

16. Huiusmodi dispositiones a Summo Pontifice pro Antistitibus, quos supra nominavimus, indulgenter elargitae normam praebent in similibus casibus, etiamsi agatur de aliis dioecesibus, in quibus catholici cum acatholicis vitam degere compellantur. Quapropter hoc in rerum genere recolenda est instructio, quam s. m. Pius PP. IX. in encyclicis Literis per Emum Card. Antonelli die 15. Nov. 1858. praebuit Episcopis, quibus ob peculiaria rerum et locorum adiuncta conceditur facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia. In ea instructione insuper confirmatae sunt praeter epistolas iam memoratas Pontificum Praedecessorum Literae eadem de re datae, veluti sunt *Epist.* ad Archiep. Mechlin. Episcoposque Belgii incip. *Exsequendo nunc* diei 13. Iul. 1782., Epist. ad Archiep. Mogunt. incip. *Etsi fraternitatis* 8. Oct. 1803., Epist. ad Archiep. Bavariae incip. *Summo iugiter* 27. Maii 1832., Instr. ad eosdem 12. Septembr. 1834., Epist. ad Archiep. Hungariae *Quas vestro* 30. Aprilis 1841., Instructio ad Archiep. Austriae 21. Maii 1841. – *(Vide Acta Pii IX. P. I. Vol. III. pag. 28. et seq.).*

17. Denique in iisdem istis locis, ubi praesertim catholicorum numerus pro haereticorum multitudine multo inferior est, illud sane dolendum aliquando accidit, ut adolescentuli catholici una cum acatholicis communia gymnasia celebrare adigantur. De mixtis istiusmodi gymnasiis diu multumque disputatum fuit paucis abhinc annis in S. C. de Prop. Fide, tum cum Britanniae gubernium novam methodum in Hiberniam invexit, vulgo di *Educazione nazionale*, quae protestantium et catholicorum filios edocendos reciperet. Hiberniae Antistites diversa in studia ferebantur; aderant enim, qui hanc methodum acceptam habendam,

aderant, qui eamdem omnino respuendam propugnarent. Viam mediam quodammodo tenuit S. Congreg.; namque ex una parte eamdem in genere repudiandam minime censuit, ex altera vero tales cautiones ineundas esse mandavit, quibus indemnitati rei catholicae consultum foret. Cum itaque pluries factum fuerit, ut Episcopi in suis dioecesibus promiscuum hunc gymnasiorum usum obtinere renuntiarent, S. Congr. Conc. iuxta sententiam a S. C. de Prop. Fide in memorata controversia panditam per haec verba monuit, nimirum, « ut prae oculis haberent remedia in huius-» modi casibus inculcari solita, videlicet, ut libri in scholis ad-» hibiti, ab omni vel minima suspicione contra fidei puritatem » immunes forent, et praeceptores praesertim de religione, mo-» rali et historia catholici essent, et omni probitatis laude prae-» fulgerent, ut pueri catholici gymnasia facultatum tantummodo » inferiorum celebrarent, ut Episcopi et parochi continua vigilan-» tia scholas prosequerentur, et, si fieri posset, darent operam, » ut suae iurisdictioni subdarentur, tandem, ut Episcopi, collatis » cum suis collegis consiliis nominatim in Synodis provincialibus, » omni studio meliores conditiones consequi, et gymnasia mere » catholica erigenda curarent. »

18. Antequam huic paragrapho exponendae finem statuamus, animadvertere inopportunum non ducimus, in usu ac disciplina S. C. Conc. positum esse, ut in exitu suarum responsionum ad Episcoporum literas de statu suae ecclesiae circa mores populi, pravasque consuetudines eisdem aliqua consilia singulariter suggerat, quibus ad exsecutionem adductis, christianae pietatis studium accendatur, bonorumque morum honestas redintegretur. Eiusmodi est monitum, ut pastorales ad clerum ac populum typis excusas mittant literas, quibus malis potissimum increbrescentibus medicina paretur, ac tum per ordinarios divini verbi praecones et concionatores Adventus et Quadragesimae tempore advocari solitos, tum per extraordinarios, idest ecclesiasticos viros tam de saeculari quam de regulari clero sacris missionibus exhibendis addictos populis panem evangelicum abunde dispertiendum curent. Quod vero ad sacras missiones attinet, quantopere conducant, ut peccatores e vitiorum laqueis sese expediant, Episcoporum quislibet, qui hoc remedium adhibuerit, sua potest experientia comperire. Sed earumdem utilitas loculentissime ostenditur a Bened. XIV. in encyclicis Literis incipien. *Gravissimum*

diei 8. Septembris 1745. ad Episcopos Neapolitani regni conscriptis, quae leguntur in eius Bullario *tom. I. n. 140.*

19. Subinde per haec tempora illud eisdem Episcopis inculcari coeptum est, ut diligenti studio ea monita exsequantur, quae s. m. Pius PP. IX. in suis actis publice editis ad Episcopos identidem direxit. Talis est Encyclica *Qui pluribus* diei 9. Nov. 1847., cum solemnem sui Pontificatus possessionem adiisset; item allocutio diei 9. Nov. 1854. incipien. *Singulari* ad Episcopos sibi adstantes habita, postquam die antecedenti solemne de B. M. V. sine labe concepta dogma declaraverat. Huc referri etiam debet alia allocutio habita die 9. Iun. anni 1862. incipien. *Maxima quidem* ad eosdem Episcopos, qui ad faustissimam celebritatem de ss. Martyribus Iaponensibus decorandam tanta frequentia consensuque confluxerant. Denique hodiernis praesertim temporibus prae oculis habendas esse sacer Ordo Episcopis inculcat Literas encyclicas diei 8. Decemb. 1864. incipien. *Quanta cura* cum adnexo Syllabo, in quibus perniciosiores huius aevi errores proscribuntur ac reprobantur. Eas cum eodem syllabo dabimus in volumine III. sub num. 71.

20. Praeterea cum s. m. Pius PP. IX. peculiares encyclicas Literas ad Episcopos alicuius provinciae vel regni pro opportunitate conscribere pro sua pastorali sollicitudine nonnunquam consueverit, hinc est, quod quoties uni ex illius provinciae, regnive Antistitibus reddenda esset responsio, peculiaris eiusdem encyclicae observatio et exsecutio cnixius et impensius inculcaretur. Ita factum est de encyclicis Literis diei 9. Dec. 1849. ad Italiae Episcopos incipien. *Nostis et nobiscum* conscriptis, quas, cum saluberrima hortamenta circa singulas christianae reipublicae partes contineant, eademque adamussim aptari possint omnibus catholici orbis regionibus, per extensum exhibebimus in volumine III. sub num. 35.

21. Neque secus dicendum est tum de Literis encyclicis ad Archiepiscopos et Episcopos Galliarum diei 21. Mart. 1853. incipien. *Inter multiplices angustias*, tum de Literis datis ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae ditionis incipien. *Singulari quidem* diei 17. Mart. 1856., tum de Literis datis ad Archiepiscopos et Episcopos regni utriusque Siciliae incipien. *Cum nuper* diei 20. Ian. 1838., tum denique de Literis Apostolicis ad Archiepiscopos et Episcopos Hispanos incipien. *Probe noscitis* diei

17. Maii 1852.; quae omnes exstant in opere *Acta Pii IX.* Imo ad restaurandam ecclesiasticam disciplinam in Hispano regno S. C. C. solemne habet illius Antistites hortari, ut prae oculis insuper habeant Constitutionem *Apostolici ministerii* diei 13. Maii 1723. ab Innoc. XIII. editam et a Bened. XIII. in Constit. *In supremo* 23. Sept. 1724. confirmatam, in qua idem argumentum de ecclesiasticae disciplinae redintegratione summa diligentia sapientissimoque iudicio agebatur. (Legitur in volumine III. sub num. 31.).

22. Quae constitutio cum providentissima decreta circa singularia ecclesiasticae disciplinae capita complectatur, laudatus Pontifex in Concilio Romano anni 1725. eo consilio promulgavit, ut non solum in Italia, sed et in toto catholico orbe rerum sacrarum Antistitibus normam suppeditaret. Neque id porro mirum; namque materia eiusdem Constitutionis parari expendique debuit opera specialis Congregationis quinque Cardinalium, quae a secretis habebat Benedictum XIV., tum cum adhuc in minoribus esset; quaeque (ita idem Pontifex in Constit. *Pastoralis curae* diei 5. Aug. 1748. §. *At cum*) « per annum et ultra singulis heb-» domadis cogebatur ad discutienda et definienda complura ec-» clesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in » Apostolicis Literis ab eodem Innocentio XIII., quarum initium » *Apostolici ministerii.* »

Paulo post (§. *Cum autem*) ita prosequitur idem Pontifex Bened. XIV.: « Sed nostra peculiaris cura erat ad singula propo-» sita capita totidem dissertationes, unicuique ex praefatis Car-» dinalibus exhibendas, elucubrare, ad demonstranda videlicet » fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda cense-» batur. » Quae quidem tanti Pontificis verba satis superque sunt, ut omnes intelligant, quam opulenta canonicarum divitiarum copia in ea Constitutione congesta sit: idque idcirco dictum voluimus, ut quisque, quantum sibi pro opportunitate opus sit, ex ea depromat suumque in usum facilius convertat.

## CAPUT NONUM.

### De ultimo capite, ad postulata pertinente.

« Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, » qui suarum ecclesiarum relationes ad Sacram transmittunt Con- » gregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum » regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et » omnium circumstantiarum expressione, et, quatenus postulata » spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tri- » bunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribuna- » lium sententiae, ut, omnibus mature pensatis, possit S. Cong. » congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

» Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac In- » structione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae Episcopi, » Archiepiscopi, Primates et Patriarchae pro suarum indigentia » ecclesiarum atque dioecesum addenda existimaverint, sciant » sibi liberum esse addere, quae ipsis addenda videbuntur, et » ad notitiam Sacrae Congregationis deferre, quae ex charitatis » et iustitiae norma per se expediet, quae poterit, et maiora ad » Summum Pontificem deferet, qui Fratribus suis Episcopis, quan- » tum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit. »

Summarium. 1. S. Cong. Conc. Episcopis gratificari maxime cupit. – 2. Episcopi in postulatis vel aliquam gratiam, vel alicuius controversiae resolutionem petunt. – 3. Animadvertendum est, an gratia vel controversia, de qua agitur, ad S. Cong. Conc., vel alium sacrum consessum proprie pertineat; neque enim S. C. Conc. iis negotiis manum apponit, quae propriam provinciam non attingunt. – 4. Itaque provideant Episcopi, ut S. C. Conc. omnia plane ad eam spectantia negotia perferant, minime vero ea, quae ab eadem pertractari non debent. – 5. Nisi forte agatur de Episcopis longinquis, qui, ut plurimum, ignorant, quid cuique Sacrae Almae Urbis Congregationi competat. Hoc enim in casu S. Congr. eorum postulata ad Sacras Congregationes, quibus ea competunt, remittenda curat. – 6. S. C. Conc. in responsionibus aliquando quaestiones propositas illico resolvit, aliquando easdem iuxta ordinariam rationem, vel in *congressu*, vel per *summaria precum*, vel in *folio* pertractanda ac resolvenda suscipit. Late explicatur, quid sit negotia expedire *in congressu*, per *summaria precum* et in *folio*. – 7. De resolutione nonnul-

lorum postulatorum in specie proxime modo agendum esse monetur. — 8. Possunt Episcopi alia insuper Sacrae Congregationi referre, quae in Benedictinae Instructionis capitibus comprehensa non sunt.

1. S. C. Conc. cum omnibus locis ac rebus, quae in sua facultate sunt, venerabilibus Episcopis, uti par est, gratificari satagit, tum praesertim in iis, quae circa statum suarum ecclesiarum exponendum occurrent, peculiare studium ponit, ut sua ad eos responsa gratiora quam quae maxime perveniant. Hinc est, quod omnes suas literas maiori, quam fieri potest, comitate condire solemne habet, prouti dignitatem et locum decet, quem sacrorum Antistites ex Spiritus Sancti destinatione tenent in Ecclesia Dei. At vero sacer Ordo non verbis tantum, sed et rebus eorum animum sibi benemereri allaborat. Idcirco siquidem hoc nonum de postulatis caput dedita opera adiicitur, in qua via iisdem patet, qua, quidquid ab ipsa S.Congreg. sibi opus forsitan sit, libere et confidenter petere queant.

2. Porro id omne, quod ab ipsis postulari potest, eo redigitur, ut vel aliqua gratia sibi concedatur, vel aliqua controversia enodetur. Gratiae vel proprium Antistitum officium, aut aliorum commodum respiciunt, et plerumque in facultatibus sitae sunt, quas Episcopi a S. C. expetunt, ut quod ipsi ordinaria sua potestate per sacros Canones moliri prohibentur, ex auctoritate S. Congregationis efficere permittantur. Ad dictas controversias quod attinet, inspiciendum est, an eaedem in iudicium deductae fuerint; si enim ita se res habeat, S. C. nec solet, nec debet iisdem manus apponere, ne iustitiae ordo pervertatur; in quo dumtaxat observandum est, a S. Congregatione illud nonnunquam consilium Episcopis praeberi, ut amicabilem conciliationem inire elaborent, si quando ecclesiae iura in iudicium deducta certam non adpromittant victoriam, et alioquin ingentium expensarum moles fuerit subeunda. Contra vero controversias sibi delatas adsumere non recusat, si eae auctoritatis, quae sibi competit, limites non excedant et ad tribunalium subsellia minime ascenderint.

3. Sive autem alicuius gratiae concessio, sive alicuius controversiae enodatio postuletur, inquirendum est, an utraque res de eo genere sit, quod peculiariter ad S. Congregationem Conc. pertineat. Haec siquidem solummodo ea negotia pertractat, quae ex interpretatione decretorum Concilii Tridentini proficiscuntur,

aut eorumdem observantiam et exsecutionem respiciunt. Etiamsi vero nihil fere sit, quod intra huiusmodi terminos locum habere nequeat, nihilominus eadem religiosissime cavet, ne ea, quae aliis Almae Urbis Congregationibus competunt quasi alienam provinciam tractanda suscipiat. Sic ex. gr. si quid est, quod sacros ritus attingat, postulatum, quod eo refertur, ad S. C. R. amandare non omittit; item quidquid regulares viros vel sanctimoniales afficiat, postulatum, de quo res est, S. Cong. Episc. et Regul. expediendum remittit. Idipsum dicendum de aliis materiis, quae aliarum Almae Urbis Congregationum propriae sunt.

4. Id autem idcirco monere voluimus, quia nihil frequentius occurrit in expendendis relationibus de statu dioecesum, quam ut Episcopi in suis relationibus, nullo discrimine, postulata proponant, quae aliarum Congregationum provinciam constituunt, perinde ac S. Cong. Concilii omne genus negotiorum pertractandum sibi vindicare posset vel deberet. Verum quidem est in Benedictina Instructione generalia verba ita usurpari, ut omni postulatorum generi proponendo aditus patere posse videatur; at vero id ita est intelligendum, ut omnia, nullo excepto, postulata, quae ipsius auctoritatem et competentiam non transiliunt, libere proponere fas sit, minime vero, ut alia itidem adiiciant, quae S. C. Conc. facultatum limites praetergrediuntur.

5. Sed si forte Episcopi (idque de iis, quae exterarum nationum sunt, facile potest accidere) rerum Almae Urbis parum periti dignoscere nequeant, quae postulata ad S. C. C., quae ad alias Sacras Congregationes pertineant; non idcirco sese temperare debent, ut etiam his in sua relatione locum faciant: namque S. C. relationem expendens diiudicabit, quidquid sibi, quidquid aliis Congregationibus remittendum sit. Neque id satis; postulata, quae ad se non pertinent, a relatione suis ipsis verbis exscripta ad competentes Congregationes amandare curabit, addito, quemadmodum in more est, epistolio, quo postulati, quod transmittitur, expeditio quamprimum facienda commendatur. Hinc S. C. in suis ad singulos Episcopos responsionibus non praetermittit eosdem commonere non solum, quae postulata sibi retinuerit, et quo statu se habeant, sed etiam ad quas Sacras Congregationes postulata, quae ad se non pertinent, transmittenda censuerit. Id vero eo spectat tum, ut suo se munere functam esse commonstret, tum ut iidem Episcopi sive per se, sive per

suum in Urbe negotiorum gestorem instare queant, quo voti sui compotes primo quoque tempore evadant.

6. Quando vero agitur de postulatis, quibus S. C. Conc. manum suam apponendi munus habet, quaeque aliquam gratiam minime contineant, tum, si paratam habet responsionem, quin aliquid ulterius inquirendum, aut peculiari disceptatione excutiendum supersit, in suarum literarum, quas ad relationem remittit, corpore eamdem inserere consuescit. Quod si postulata gratiam continent, quoniam apposita Rescripta cum solemni cautionum et clausularum forma in id expediri debent, tunc separatim, prout fit de aliis negotiis ordinariis, expenduntur, itemque separata Rescripta iuxta disciplinam sacri Ordinis emittuntur. Idem accidit de postulatis, quae maiorem rei inquisitionem disceptationemque recipiunt; quandoquidem ea ipsa methodo agi solent, qua cetera ordinaria negotia. Namque separatae literae Episcopo conscribuntur, quibus, quae necessaria scitu, aliaque omnia, quae ad rem faciunt, ab eodem requiri solent. Cumque omnia elementa ad facti-speciem necessaria et opportuna recepta fuerint, huiusmodi postulata vel ab ipso Emo Card. Praefecto, ac Secretario, ac Sub-secretario tantum ventilantur atque in *congressu*, quem vocant, resolvuntur, vel si res penitiorem exposcant indaginem, ad generalia comitia, seu *per summaria precum*, ut aiunt, seu *in folio* definienda reiiciuntur.

Quoniam de triplici haec negotia pertractandi ratione mentio facta est, enucleatim explicare non omittimus in gratiam praesertim externorum, in quo unaquaelibet illa ratio praecipue consistat. *Congressus* appellatione coadunatio intelligitur Emi Card. Praefecti, Secretarii, et Sub-secretarii S. C. Recentissime huiusmodi *congressus* in usum inductus est ab Emo Card. Caterini, qui postmodum eiusdem S. Consilii tanta cum laude praefecturam gessit. Quolibet sabato mane in domo Emi Card. Praefecti conventus hic habetur, ibique de singulis precibus in hebdomade acceptis, necnon de aliis omnibus rebus, quae in dies obveniunt, relatio fit, quidve de unaquaque re consilii capiendum sit, expenditur.

Quando aliquid occurrit, quod paulo altiorem quamdam exquirat indaginem, sed itidem de re non admodum gravi agatur, negotium resolvendum remittitur plenario Eminentissimorum Patrum sacrum hunc Ordinem constituentium auditorio *per sum-*

*maria precum*. Huiusmodi *precum summaria* aliud non sunt, nisi brevis precum, seu quorumlibet aliorum negotiorum relatio, quae a Secretario in plenis comitiis fieri solet, strictissime omnibus facti ac iuris momentis una cum eiusdem Secretarii sententia sedulo expositis; quamquam hodie Secretarius a sententia sua aperienda, ut plurimum, sese abstinet. Olim oretenus, vel in manuscriptis eadem exponi solebant. C.m. Card.Barberini Urbeveteri anno 1842.*precum summaria* cum suis resolutionibus edidit ea, quae annis 1823., 1824., ac 1825., munus S. C. Conc. Secretarii eodem obeunte, proposita fuerunt. Anno 1847. singula, antequam proponerentur, a Secretario typis excudi coepta sunt eo consilio, ut una cum aliis causis in *folio* propositis Emis Patribus ante comitia exhibeantur, ac pacato eorumdem examini repraesententur. Quamvis autem suscepta ista ratio ad haec usque tempora servetur, nondum tamen in usum invectum est, ut haec *Summaria precum* iterum typis demandentur, ut publici iuris fiant, veluti fit de causis in *folio* propositis, de quibus eloqui superest (1).

Si preces S. C. delatae ancipitem ac salebrosam portendere definitionem videantur, sive facta sive iura ad eas pertinentia respicias, tum decretum prodit, ut ponantur in *folio*, idest, ut per accuratam Secretarii relationem et facti et iuris tam pro una quam pro altera e partibus, quae in contentionem veniunt, adhibitaque in exitu relationis opportuna dubii seu dubiorum formula, causa universa in folio descripta (unde hoc nomen) disceptanda et dirimenda proponatur. Folium itaque nihil aliud est, nisi huiusmodi Secretarii relatio. Haec brevissima olim erat, et quamvis typis vulgari et Emis Patribus exhiberi ea coepta esset, attamen publici iuris nequaquam efficiebatur. Primus in publicum usum illiusmodi *folia* una cum suis resolutionibus typis edere coepit Secretarius Lambertini, ille qui paullo post S. Petri cathedram meritissime conscendit, eamque cum omnigenis virtutibus, tum luculentis canonicae iurisprudentiae opibus illustravit. Huiusmodi usus sequiori tempore ad hos usque dies intermissus nunquam fuit, ex eoque originem habet pretiosissimus

(1) Anno 1871. cl. viri, Christianus Lingen et Petrus Alexander Reuss uterque utriusque iuris doctor, ediderunt Collectionem, cui titulus: Causae selectae in S.C.C. propositae per Summaria precum ab anno 1823. usque ad annum 1869. Ratisbonae 1871. (Pustet).

ille vere *Thesaurus resolutionum S. C. Conc.*, qui ad annum 1854. (quem annum attingit publica ad hoc tempus eiusdem thesauri editio) collectionem tomorum tresdecim supra centum constituit.

Ne quid vero scitu opportunum praetereamus, illud adiicere nobis incumbit, causas in *folio* recensitas vel oeconomice, vel iuris ordine servato proponi. Primum fit, quando partes, quae in lite versantur, summarie suarum rationum momenta deducunt earumque iura diligentius supplenda et explananda ex officio suscipit Secretarius, sive, quod idem est, eiusdem auditor. Alterum evenit, cum utraque pars, aut una tantum advocatum aliquem cum procuratore vel sine eo sibi adsciscit, qui iuris et facti restrictum una cum summario conscribat, ac typis editum Emis Patribus distribuendum curet. Hoc in casu Secretarius eiusdem restricti synopsim conficit, ea ex officio superaddens, quae forsan necessitas exposcat, et haec synopsis *folii* vicem subit, ut Emis Patribus dispensetur. Quando vero causae iuris ordine servato proponuntur, procedendi legibus inhaerendum est, quae promulgatae fuerunt die 27. Sept. anni 1847. Praefecto S. Cong. c. m. Card. Ostini et Secretario de Andrea, posthac et ipso Cardinali: eaedem leges inscribuntur: « Regolamento da osservarsi nelle cause che si propongono avanti la S. C. del Concilio *iuris ordine servato.* » (Norma observanda in causis, quae proponuntur in S. Cong. Conc. iuris ordine servato.).

7. Nonnulla postulata hac eadem methodo resoluta in calce huius paragraphi referemus, tum ut exemplo esse queant, tum ut iura in iisdem sancita lectori veluti coronidem subiiciamus.

8. Benedictinam Instructionem claudit invitatio Antistitibus facta, ut si quid habeant referendum, quod in eiusdem tenore nequaquam comprehendatur, illud suis relationibus addere non dubitent. At vero Benedictina Instructio tanta sapientia, industria et arte condita est, ut nulla sit rerum sacrarum personarumque species, cui suus ibidem locus paratus non fuerit. Quae cum ita sint, perraro Episcopi hac facultate utuntur, prouti experientia docet. Nihilominus, si quando accidat, ut hac uti facultate opus habeant, noverint, non solum id sibi per S. Congregationem non prohiberi, quin imo libentissime recipi, et non secus ac alia, quae in Istructione continentur, pertractanda et congruis responsionibus definienda sumi solere.

APPENDIX

De nonnullis postulatis in specie, eorumque resolutione.

## POSTULATUM PRIMUM

Summarium. 9. Postulati expositio; quod resolvitur ex resolutione causae *Romanae, Capellae quoad utensilia.* – 10. Aedificans capellam, nulla facta reservatione iuris patronatus, vel sepulcri, eam dotare non tenetur; eadem facta, secus dicendum est. – 11. Itaque, utpote pater filiam, non solum eam manutenere, sed et decenter ornare tenetur. – 12. Obligatio manutenendi ecclesiam pari passu procedit cum obligatione sacra utensilia suppeditandi. – 13. Si patronus suae obligationi non satisfacit, potest adigi; et, qua forma, indicatur. – 14. In quo specifice consistant ornamenta, aliaque sacra utensilia ecclesiae suppeditanda. – 15. S. C. C. in dicta *Romana* resolvit, patronum praestare teneri omnia utensilia ad altaris vel capellae ornatum necessaria.

9. Cum controversia suborta fuisset, quaenam sacra utensilia cuidam capellae in cathedrali sitae patronus ut talis sumptu suo suppeditare teneretur, Episcopus ad omne controversiae caput amputandum in sua relatione appositum ea de re postulatum S. Cong. exhibuit. Cui quidem S. Congr. uti normam proponendam censuit resolutionem causae *Romanae Capellae quoad utens.* 28. Maii 1864., cuius species tenoris erat, ut sequitur:

Augustinus N. N. haereditatem suam fideicommissariam onere gravaverat instaurandi exornandique sacelli SSmae M. Virgini sine labe conceptae dicati in ecclesia SS. Apostolorum Almae Urbis, adsignata in illud opus summa scut. 20000, dataque potestate aliquid ex dicta summa in sacrae suppellectilis comparationem erogandi. Opere inchoato, fideicommissariae haereditatis exsecutores a Religiosis, quibus eadem ecclesia tradita est, iuspatronatus eiusdem sacelli rite petierunt et impetrarunt. Opere perfecto, totaque eam in rem summa viginti millium exhausta, controversia suborta est, an ad haereditatem pertineret onus instruendi sacellum sacra supellectile. Plura tum ab exsecutoribus, tum a Religiosis utrimque ad reiiciendam vel adstruendam eiusmodi obligationem in medium proferebantur. Iamvero post haec ex officio ea animadvertebantur, quae sequuntur:

10. Hisce utrinque deductis nonnulla nunc subdam, quae praesenti controversiae lumen afferre videntur. Atque imprimis cum Pitonio *de controvers. patron. alleg. 12. num. 2. et seq.* animadvertam, iuspatronatus laicorum in aliqua capella ad ecclesiam Regularium pertinente consistere posse etiam in solis iuribus honorificis, etiamsi non habeatur ius praesentandi. At licet patronum in genere sacri canones obligent ad sustinenda onera capellae, inter quae connumeratur obligatio eamdem providendi de omnibus necessariis, cum distinctione tamen in specie videtur esse procedendum ad tradita per Amostazum *de Caus. piis lib. 5. c. 7. num. 35. 37.* Hic enim auctor differentiam expendens inter eum, qui summa pietate capellam aedificans nullum sibi ius in eadem adscribit, nec iuspatronatus nec sepulcrum, et alterum, qui huiusmodi iura sibi expresso pacto reservat: primo occurrente casu communem sententiam admittendam esse ait, quae docet, aedificantem haud teneri dotare capellam, secus vero sentiendum in posteriori.

11. Patronus enim alicuius capellae, ceu tradunt Card. de Luca *de iurepatron. disc. 84. num. 2.*, Piton. *loc. cit. num. 6.*, de Albertis *de sacris utensilibus c. 12. n. 187. seq.*, Ferraris *verbo Capella num. 24.* assimilatur patri, qui tenetur alere, vestire, dotare et ornare filiam. Patronus itaque adinstar patris naturalis, ea fundamentali ratione tenetur non solum reficere et manutenere, sed etiam decenter ornare ecclesiam seu capellam. Idque eruitur ex *Text. in cap. ult. De testam. Si ornamentis, seu fabrica, luminariis, sive aliis ad perpetuum cultum divinum.* (Barbosa *Cons. 26. num. 1. et 4. Lib. 3.*, Surd. *Consil. 63. n. 4. et 5.*, Sperell. *de Form. eccl. 68. n. 9.*, S. Congregatio in *Nullius S. Martini* 8. Aug. 1801. §. *Insuper et seq.*).

12. Itaque inductum est principium illud, quod reparatio ecclesiae et praeparatio ornamentorum, luminaria et alia ad divinum cultum spectantia aequiparentur et a pari procedant; idque intelligendum sit de omnibus ornamentis secundum solemnitatem et varietatem dierum, et secundum qualitatem ecclesiae, ita ut quae sunt necessaria, non deficiant; Franc. de *Eccl. cathedralibus cap. 20. n. 34. et seq.*; concordat Rota in *Gerunden.* 17. Ian. 1604. *n. 1. coram Pio,* in qua aperte docetur, ex iuris communis dispositione onus reparandi ecclesiam involvere etiam impensas pro paramentis, ornamentis, luminariis ac ceteris omnibus honorifico Dei

cultui necessariis, quae fabricae aequiparantur. Quod onus patroni manutenendi ecclesiam nedum quoad fabricam sed etiam quoad necessaria utensilia eruitur etiam ex iure veteri, id est ex *Cap.* Nemo *9. distinct. 7. de consecrat.*, Barbos. in *Conc. Trid. Sess. 21. cap. 7. n. 8.*, Antonell. *de Regim. eccl. lib 1. cap. 12. n. 33.*, de Albertis *Op. cit. cap. 12. n. 189.;* firmatumque fuit a S. Rotae auditorio in *Urbevetana Restaurationis eccles.* 19. Iulii 1782. §. *Siquidem*, coram Vicecomite.

13. Quare si huiusmodi adimplendae obligationi desint patroni, praefigendum iisdem esse terminum, ait de Albertis *loc. cit. n. 191., vel ad providendam ecclesiam de sacris utensilibus vel ad renuntiandum iuripatronatus:* quo in casu etiam de modo agit, quo procedendum sit. Sacra vero Congregatio saepius occurrentibus huiusmodi negligentiis patronorum in sacris utensilibus et ornamentis ad cultum necessariis subministrandis, eiusdem oneris existentiam et efficaciam asseruit, ceu prostat exemplum in *Firmana Suspensionis oneris Missarum* 14. Decemb. 1782., in *Nullius Farfen. Suspensionis Missarum*, et in *Salutiarum* relata apud Crispinum de *Visit. Pastor. par. 2.* §. *13. num. 11.*, in qua haec prodiit resolutio: *Si capellae de iurepatronatus laicorum icone carcant, vel alioqui se habeant indecentius, vel ex reditibus ad eas pertinentibus, si quos habeant, vel iuris remediis patronorum impensis ad dictam decentemque formam esse redigendas.*

14. Ad alteram tandem definiendam supplicis libelli partem, quaenam nempe esse debeant huiusmodi sacra utensilia, ad quae praestanda patroni tencantur, speciem afferam et resolutionem huius S. C. in *Urbinaten.* 28. Feb. 1665. *(lib. 24. decret. pag. 420.)*. In ea exponebant fratres de Perolis: « Quomodo, cum simplex » beneficium iurispatronatus in altari Ssmae Annuntiatae in ca» thedrali civitatis ecclesia, cuius in praesenti rector existit dictus » Iacobus, ipsi fundassent, Rmus Archiepiscopus in visitatione » ecclesiae ultima vice facta decreverit, ad ipsos oratores spectare » manutentionem dicti altaris, candelabrorum, crucis, tabellarum » Gloriae, Evangelii et Lavabo, graduum necnon predellae; et » de cetero manutentionem altaris et rerum necessariarum in » ipso altari ad eiusdem cathedralis sacristiam spectare: quare » EE. VV. supplicant, ut ordinent, ne oratoribus in his molestia » ingeratur. » Proposito hinc dubio: *An dicti Archiepiscopi decretum sustineatur in casu?* Eadem Sacra Congregatio censuit:

*sustineri quoad eam partem, in qua sacristia eximitur ob oneribus in praemisso libello descriptis; quo vero ad aliam partem, dandam infrascriptam declarationem; ornamenta altarium et capellarum instrumenta ad cultum divinum ita demum parari a patronis debere, si ab iis sufficiens dotis reditus etiam pro conservatione cultus divini assignatus non fuerit.*

15. An iuris principiis obnoxia sit nec ne haec dispositio testamentaria Augustini N. N., quae praesenti controversiae occasionem praebuit, erit EE. VV. iudicare; quibus proinde sequens proponitur dirimendum dubium:

*An, et quae sacra utensilia a patrono praestanda sint in casu?*

Die 28. Maii 1864. Emi Patres rescripserunt:

*Affirmative quoad omnia utensilia ad altaris et capellae ornatum necessaria.*

## POSTULATUM SECUNDUM

Summarium. 16. Occasio postulati Sacrae Congregationi exhibiti. – 17. Hodie conversi ad fidem non sunt repellendi ab Ordinibus, si diu in amplexa fide perstiterint, aliasque a sacris canonibus requisitas qualitates praeseferant. – 18. S. Congr. Conc. resolvit, Indos et Nigros omnes ab eis descendentes ab Ordinibus non esse arcendos, si aliis qualitatibus destituti non sint. – 19. Item resolvit, constitutiones synodales, quae vetabant, ne oriundi a Mauris ad Ordines promoverentur, non obstare, quominus quidam Gomez ab iisdem exortus ad Ordines promoveretur. – 20. In varia doctorum sententia pro determinando tempore necessario ad cognoscendam neophytorum in fide constantiam, rectum consilium est, id prudenti Episcoporum arbitrio relinquere. – 21. S. Cong. rescripsit, quemdam a Turcis natum, et in aetate infantili baptizatum, qui sacerdotium susceperat et beneficium obtinuerat, non indigere absolutione et rehabilitatione ad Ordines, nec nova provisione ad beneficium. Quam absolutionem nec necessariam esse alias declaravit, etiamsi beneficium esset parochiale. – 22. Eadem in *Adrien.* edixit, Gregorium Donato a Iudaeis natum, et quinque ante annis Baptismo regeneratum, esse irregularem; sed locum esse dispensationi eius favore arbitrio Episcopi.

16. In quadam dioecesi plurimi aderant a Iudaeis vel infidelibus nati, qui ad fidem conversi, ad Ordines sese promoveri postulabant. Cum igitur Episcopus in re tam gravi alios alia sentire in suo clero comperisset, ad omnia dubia praecidenda, capta

occasione status suae dioeceseos referendi, normam petiit, qua suam agendi rationem moderaretur. Itaque S. Congregatio causam *Adriensem* una cum doctrinis in eadem ad rem expositis ipsi remisit, unaque monuit, ut in casibus peculiaribus, quatenus aliqua adhuc dubitatio superesset, ipsam S. Cong., re diligenter enarrata, consulere non gravaretur.

Ita vero se habebat causa *Adrien. Irregularitatis.* – Gregorius Donato in civitate Rhodigii ex parentibus Iudaeis natus, quinque abhinc annis sacro regenerationis lavacro Venetiis ablutus, a duobus annis in seminario Adriensi commoratur. Cum autem ecclesiasticae militiae nomen dare cupiat, et in vigesimo secundo aetatis anno sit constitutus, supplex implorat dispensationem ab irregularitate. Preces oratoris SSmo Domino Nostro oblatae Sacrae huic Cong. remissae sunt, et quaeritur hodie ab EE. VV., quid hac super re sentiendum sit.

Haec omnia confirmantur testimonio Episcopi, qui insuper hoc adiicit, Gregorium *optimis moribus imbutum esse, pietate, Sacramentorum frequentia et religionis fervore praestantem, ideoque dignum, qui a S. Apostolica Sede super huiusmodi irregularitate clementer in Domino dispensetur.* –

17. Hisce positis in folio perpendebatur, neophytos a primis Ecclesiae saeculis sacris ministris solitos non esse cooptari ad ea, quae habet d. Paulus *Ep. 1. ad Timoth.*, necnon ea, quae statuit *Can. 80.* inter eos, qui Apostolici dicuntur, et *Can. 10. Conc. Sardic.* an. 347. Iamvero in eodem folio subdebatur iuxta *Can. 2. Conc. Nicaeni I.* anni 325., neophytos idcirco ad Ordines non esse promovendos, quia nempe multo tempore opus est, ut constantes in fide omni procul dubitatione se probent. Neque dissonus est textus in *Cap.* Eam se *de rescr.* Itaque communiter doctores tuentur, conversos ad fidem ab Ordinibus non esse repellendos, si diu in amplexa fide perstiterint, seseque morum probitate, et divinarum scientiarum profectu commendaverint. Post haec nonnullae ad rem declarationes S. Cong. referebantur, ceu sequitur.

18. In *Carchien.* Episcopus Ordines conferre renuebat descendentibus ab Indis, seu, ut vocant a *Mulatis;* S. Congregatio, ad quam huius rei examen commissum fuit, die 13. Febr. 1683. censuit: *Supplicandum esse SSmo, quatenus Indiarum Episcopis animadvertat, Indos et Nigros, omnesque ab eis per paternam vel*

*maternam lineam descendentes nullo iure ab Ordinum, aliorumque Sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per sacros canones requisita habeant (Lib. 33. decret. pag. 19.).*

19. Et in *Ulyssiponen. Ordinationis,* cum Franciscus Gomez de Britto reclamasset adversus Archiepiscopum, qui detrectabat eidem conferre Ordines, quia a Mauris trahebat originem, asserens hoc vetitum esse suis synodalibus constitutionibus, et supplex institisset Franciscus pro facultate recipiendi Ordines a quocumque Episcopo, disputato dubio: *An oratoris precibus sit annuendum?* die 13. Ian. 1685. respondit: *In casu, de quo agitur, constitutiones synodales non obstare (Lib. 35. decret. pag. 18.).*

20. Verum animadvertendum est, quod neophyti semper cum cautela et delectu ad Ordines fuerunt admissi, nec unquam inter sacros Ecclesiae ministros sunt cooptati, nisi antea certum vitae suae testimonium dederint. Quantum vero temporis decurrere debeat, ut hoc testimonium praebeant, non una est doctorum sententia: alii unum annum satis esse putant: alii biennium requirunt. S. Gregorius Magnus *Oper. tom. 2. col. 1056.* conversos ad religionem vetuit ordinari, priusquam *biennium in conversione compleant.* Alii putant debere labi decennium. Demum Covarruvias, Giballin. *de Irregularitate cap. 13. quaest. 3.,* Corradinus *in Praxi dispensat. lib. 3. cap. 7. n. 6.* et Suarez de *Censuris disput. 43. consult. 2. num. 6.* sustinent, quod, cum nullum a iure tempus praefinitum sit, id relinquendum esset arbitrio Episcopi, cuius est iudicare de virtute et firmitate eorum, qui ad fidem conversi sunt, ut illis ecclesiastica ministeria committi possint.

21. In *Milevitana* Ioan. Baptista Viver ortus e patre et matre Turcis in infantili aetate sacro regenerationis lavacro fuerat ablutus, indeque ab Episcopo Milevitano ad presbyteratus Ordinem promotus, et beneficio ecclesiastico provisus. Cum a Dataria Apostolica aliud beneplacitum fuisset assecutus, quaesitum fuit a S. Congregatione, an indigeret absolutione cum rehabilitatione ad Ordines, et nova beneficiorum provisione. Propositis dubiis:

1. An orator indigeat absolutione cum rehabilitatione ad Ordines?

2. An indigeat nova provisione beneficiorum? Et quatenus affirmative,

3. An eidem indulgenda sit absolutio cum rehabilitatione ad Ordines cum nova beneficiorum provisione?

Die 13. Aug. 1718. responsum fuit:

Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Provisum in duobus praecedentibus.

In *Pragen.* Franciscus Bolouski a Capitulo Pragensi ad beneficium cum cura animarum nominatus fuerat. Cum autem a parentibus Iudaeis originem duxisset, et in aetate viginti duorum annorum ad fidem catholicam pervenisset, petiit dispensationem ab irregularitate. Die 12. Maii 1759. rescriptum fuit: *Non indigere.*

22. Haec animadvertenda erant in casu, de quo agitur. Superest modo, ut Emi Patres, qua ornantur iuris ecclesiastici peritia, respondeant ad dubia, quae proponuntur:

1. An constet de irregularitate in casu?

Et quatenus affirmative,

2. An sit locus dispensationi in casu?

Itaque Emi Patres die 31. Maii 1783. rescripserunt:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, nempe esse locum dispensationi arbitrio Episcopi.

## POSTULATUM TERTIUM

Summarium. 23. Quae circumstantiae huic postulato causam dederint. – 24. S. Congr., si quando controversiae genericae et indeterminatae sibi proponuntur, non raro respondit: *Providebitur in casibus particularibus.* – 25. 26. Iure sacrorum canonum sancitum est, ut nullus ordinetur, quin alicui ecclesiae adscribatur, itemque, ne quis ecclesiam hanc deserat, necnon ne quis peregrinus sine sui Episcopi commendatitiis ad Sacramenta administranda admittatur. – 27. Sustinetur decretum vetans participantibus discessum a dioecesi sub poena amittendae participationis. – 28. Aut etiam sub poena suspensionis; at Episcopus discessum sine ratione denegare non potest. – 29. S. Congr. in *Amerina* declaravit, sacerdotem addictum cuidam ecclesiae pro eius necessitate non posse ab eadem discedere et alibi permanere; eumdem insuper consulere debere conscientiae suae itidem edixit. – 30. S. Congr. declaravit, sacerdotem iam instituto S. Vincentii a Paulo adscriptum et Romae ordinatum, cum in patriam rediisset, instituto relicto, posse ab Episcopo suo cogi ad remanendum in patria, etiamsi alibi ad archipresbyteratum nominatus fuisset, cum reservatione tamen, ut ab Episcopo suo congrua assignatione donaretur. – 31. Simplices clerici ecclesiae inservire tenentur, si adsit consuetudo. Non potest tamen Episcopus decretum edere, quo simplices sacerdotes prohibeantur, ne in conterminam dioecesim

sese conferant ad Missam celebrandam diebus festis. Multo vero minus contra edicti violatores poenam suspensionis ipso facto incurrendae constituere. Quae nec sustinetur contra sacerdotes, qui intra dioecesim celebrandi obligatione tenentur. – 32. Si consuetudo non adsit, statutum est, hortandos esse, ut ecclesiae deserviant, non tamen adigendos, tametsi agatur de processionibus solemnibus; beneficiatos simplices tamen, si sint praesentes, cogi posse ad interveniendum processionibus. – 33. Episcopum posse prohibere, censuit S. Congr., ne regulares sacerdotes ceteros ad officia celebranda admittant, nisi antea, visis literis commendatitiis, ab Episcopo admissi fuerint. – 34. Potest quidem Episcopus in suam dioecesim revocare sacerdotem dioecesanum, sed congruam tenetur eidem assignare. – 35. Resolutio causae *Nucerinae* circa parochum inconsulto Episcopo profectum et alteram alibi paroeciam consecutum.

23. Episcopus dioecesis N. N., cum ad regendam ecclesiam, sponsam suam recens accessisset, plures in ea adesse adinvenit simplices sacerdotes, nullo videlicet ecclesiastico beneficio praeditos, quorum aliqui de uno ad alium locum facillime irent, alii residentiam suam alibi statuissent, alii denique publicis functionibus ac praesertim processionibus interesse detrectarent; quam rem non sine incommodis et rei sacrae detrimento succedere comperiebat. Rogabat itaque S. C. Conc., qua demum ratione consulere posset. Quoniam vero postulatum huiusmodi generale et indefinitum nimis deprehensum fuerat, eidem responsum est, ut per remedia a iure canonico, Conc. Trid. et Sacra Congr. declarationibus assignata huic malo mederetur. Quod si responsum specificum et definitum magis excuperet, S. Congr. in casibus peculiaribus, re diligenter cum suis adiunctis exposita, adire non gravaretur.

24. In quo obiter adnotandum est, S. C. Conc. non solum in plenis comitiis causarum, quae eidem proponuntur occasione, sed et in responsionibus ad postulata in relationibus adiecta, quando controversiae eidem delatae generatim expressae sunt, et nullam determinationem prae se ferunt, respondere solere, quod *providebitur in casibus particularibus*, vel per alias clausulas idem sonantes.

25. At vero circa postulatum ab Episcopo dioecesis N. N. modo enarratum, privatim iura quaedam generalia idem Episcopus comparare sibi potuit, unde normam suis necessitatibus opportunam desumere posset, eaque sunt, ut sequitur.

26. Notum est Conc. Trid. decretum *cap. 18. Sess. 23. de Reform.*, in quo vestigiis insistentes Concilii Chalcedonensis aliorumque similium praescriptionibus Tridentini Patres praeceperunt, ut nullus in posterum ordinaretur, quin alicui ecclesiae, cui inserviat, adscribatur, eo nempe consilio, ne incertis sedibus vagetur. Insuper cautum voluere, ne quis sacra ordinatione auctus ecclesiam sibi adsignatam, Episcopo inconsulto, deserere audeat, adiecta interdictorum sacrorum poena, itemque ne quis peregrinus sine sui Ordinarii commendatitiis ad Sacramenta administranda ac divina peragenda admittatur. Consulatur *Sexta Syn. Chalc. c. 1., Conc. Placent. cap. ult., Conc. Charthag. 1. c. 6.* et *Conc. Antioch. c. 9.*

27. Praeterea prae oculis habendae sunt etiam declarationes a S. C. C. editae, quae ita se habent. Episcopus prohibere potest sub poena certa, quominus ecclesiasticus ullus, etiam in minoribus constitutus, sine licentia Ordinarii a dioecesi discedat. Eodem modo constare ac sustineri S. C. iudicavit decretum, quo statuerat, ne portionarii sive participantes inconsulta curia episcopali discederent, sub poena amissionis ipso facto portionis ecclesiasticae in casu contumaciae post sex menses. (*Larinen.* 30. Aug. 1732.).

28. Cum Episcopus Segniensis, ut pravos presbyterorum suorum mores compesceret, in visitatione decreta tulisset, aegre id tulerunt, litemque moverunt plures presbyteri. Quaesitum itaque fuit: « An decretum Episcopi, factum in visitatione, quo prohibetur, ne clerici discedant a dioecesi sine licentia eiusdem » Episcopi in scriptis habenda sub poena suspensionis, sustinea» tur? Et quatenus affirmative, an liceat dicto Episcopo sine » iusta causa denegare discessum in casu? S. C. respondit: » *Affirmative ad primam partem in casu, de quo agitur, negative* » *ad secundam et amplius. Segnien.* 13. Sept. 1749. »

29. Iuvenis quidam, in urbe Roma studiis operam navans, ab Episcopo originis petiit, ut clericali militiae adnumeraretur. Adscriptus itaque est ecclesiae patriae suae sacerdotibus destitutae, et dimissorialibus acceptis, quibus necessitatis eiusdem expressa mentio facta erat, minores Ordines accepit. Postea titulo capellaniae manualis, a S. C., ipso petente, perpetuatae ad sacros Ordines adscendit, repetita ab Episcopo in literis dimissoriis iterum dictae ecclesiae necessitate. In patriam reversus, licen-

tiam discedendi ac Romam proficiscendi petiit; negavit vero Episcopus, indictaque suspensionis poena ipso facto incurrendae vetuit, ne id faceret. Cum vero nihilo minus discessisset, et res esset ad S. C. deducta, ad quaestiones:

1. « An sacerdos N. N. adscriptus servitio ecclesiae parochia» lis N. N. et pro necessitate eiusdem ecclesiae ad sacros Or» dines promotus titulo capellaniae obtentae a S. C. perpetua» tae, potuerit contra formam praecepti Episcopi ab eadem ec» clesia discedere et valeat in Urbe permanere?

2. » An et in poenas conciliares sibi intimatas inciderit in casu? »

S. Cong. respondit in *Amerina* 8. Maii 1756:

» Ad 1. Negative, assignata congrua per Episcopum.

» Ad 2. Consulat conscientiae suae. »

30. Quidam ex dioecesi N. oriundus ab Ordinario prima tonsura initiatus inter alumnos Congregationis S. Vincentii a Paulo Missionariorum cooptatus, Romae minores et sacros Ordines recepit, constituto a parente patrimonio in dioecesi R... Institutum illud postea iterum dimisit, quod ei liberum erat; qui in patriam reversus quinque fere per annos ludimagistri munere perfunctus est. Deinde in dioecesi S... archipresbyteratum per Apostolicas Literas examine rite peracto accepit. Facultate exeundi ex dioecesi R. ab Episcopo denegata, cum in dioecesi S. archipresbyteratum accipere posset, sine Episcopi licentia sedem mutavit. Quare S. Congr. querelis Episcopi ad eam delatis censuit sacerdotem N. cogi posse, ut in dioecesim R. revertatur, dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur. *Reatina* 26. Ianuarii 1833.

31. Simplices sacerdotes nullo praeditos beneficio in ecclesia cathedrali, nec ullum ex ea trahentes emolumentum, si talis existat consuetudo, teneri assistere servitio ecclesiae singulis diebus de praecepto, S. Congr. censuit in *Troiana* 20. Septemb. 1704. et *Bellicastren.* 21. Aug. 1706.

Attamen nequit Episcopus suo decreto prohibere, ne simplices sacerdotes die festo discedant a dioecesi, ut alibi in dioecesi contermina Missam celebrent. Cum enim quidam Episcopus suo decreto constituisset, « ne quis sacerdos diebus praesertim » festis sese ferat Missae celebrandae causa in quamlibet eccle» siam extra dioecesim sub poena suspensionis ipso facto in-

» currendae, » res ad S. Cong. Episc. et Regul. deducta est, propositoque dubio: « An et quomodo sustineatur edictum ab » Episcopo N. N. emanatum die 4. Mart. 1842.» responsum prodiit: « Quoad censuras negative in omnibus: in reliquis ad men» tem; mens est, quod, exceptis illis sacerdotibus, qui obliga» tione tenentur celebrandi intra dioecesis limites, edictum Epi» scopi pro aliis sacerdotibus minime sustineatur. »

32. Saepe alias S. C. Conc. censuit, clericos nullum beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes non posse cogi ad publicas processiones accedere. Nihilominus experimento compertum erat, in pluribus locis et praesertim in civitate Eugubina per declarationem huiusmodi non parum detrahi divino cultui et processionum solemnitati ac decori, imo non leve scandalum populo inferri, dum ipsarum processionum tempore clerici et presbyteri tum alibi et Eugubii praesertim in numero 20 et ultra vagi et errantes conspiciuntur. Delata igitur SSmo D. N. huiusmodi incommodi notitia, visa res consideratatione digna, ideoque, si qua ratio pro divino cultu ineunda sit, posset exsecutioni demandari pro instante SS. Corporis Christi processione. S. C. negotium in proxime habenda Congregatione discutiendum remisit. Sane legitima consuetudine concurrente eadem S. Cong. censuit, cogi posse. At in praesenti casu num adfuerit consuetudo, necne, minime constat; ac stante temporis angustia de illa nequit explorari. Proinde praescindendo a consuetudine quaerendum videtur:

1. « An clerici nullum beneficium vel officium ecclesiasticum » obtinentes ad publicas processiones cogi possint?

2. » An cogi possint obtinentes beneficia, quamvis non sint » residentialia aut servitoria?

3. » An cogi possint simplices presbyteri?

4. » An saltem cogi possint ad processiones solemniores? »

S. Congr. respondit die 12. Iunii 1677:

« Ad 1. 3. et 4. Negative, sed esse hortandos.

» Ad 2. Affirmative, si praesentes sint.» (Ex *lib. 29. decret. p. 451. rel. a Bened. XIV. Inst. eccl. 31. n. 2.*).

33. Olim quaesitum est, an Ordinarius prohibere possit, ne Regulares in eorum ecclesiis sacerdotes saeculares exteros divina officia celebrare permittant, nisi prius ab ipso Episcopo, visis literis commendatitiis, ipsi sacerdotes admissi fuerint? S. C. cen-

suit: Posse. 17. Nov. 1594. (*Lib. 8. decret. p. 78.* Bened. XIV. *Inst. eccl. 34. n. 4.*).

34. Indubitati quidem iuris est, posse Episcopum in suam dioecesim revocare sacerdotem, qui alicui dioecesis eiusdem ecclesiae in sua ordinatione fuerit adscriptus: hoc tamen in casu tenetur Episcopus sacerdoti redeunti congruam assignare, veluti docuit S. C. C. in *Amerina* 17. Iul. 1756., *Nucerina et Tudert. Resid. et susp.* 19. Septembris 1818., et in alia *Nucerin. et Fabrianen.* eodem die et anno.

35. S. C. Conc. resolvit, Angelum Petri, qui parochiam in dioecesi Nucerina obtinebat, quique Episcopo inconsulto, imo invito et discessionem sub poena suspensionis ipso facto incurrendae prohibente, ad Nepesin. dioecesim transmigraverat, ibique possessionem alterius paroeciae adeptus fuerat, teneri ad paroeciam derelictam in dioecesi Nucerina reverti, eumdemque in suspensionem et irregularitatem incidisse, sed consulendum SSmo pro dispensatione, arbitrio et prudentiae Episcopi, iuxta mentem Sac. Congregationis. *Nucerina Resid. et suspens.* 15. Martii 1828.

## POSTULATUM QUARTUM

Summarium. 36. Species facti ad postulatum pertinentis. – 37. S. Cong. Conc. censuit, clerum Lyciensem non debere admitti ad electionem Vicarii Capitularis, nisi ex consuetudine legitime praescripta. – 38. Ad coercendam nimietatem eligentium ob ius admissionis capellanorum eadem S. Congr. in Montispelusii eum in finem SSmo supplicandum esse rescripsit. – 39. In *Altamurae* reiecit instantiam canonicorum petentium, ut repellerentur capellani, ac stetit in decisis, etiam postquam super Bulla, statuto et consuetudine edocta fuit, quibus hi nitebantur. – 40. In *Recinaten.* resolvit, altaristas et beneficiatos aliarum collegiatarum non esse admittendos ad electionem Vicarii Capitularis. – 41. Aliter censuit in *Fanen.*, in qua mansionarii in vim Bullae admissi fuerunt. – 42. In *Calaritana* resolvit, non unice Capitulo competere ius eligendi concionatoris. – 43. In *Asculana* sese edoceri voluit de consuetudine, aliisque ad rem facientibus. – 44. Decretum Conc. Romani super obligatione conficiendi statuta capitularia extenditur ad totius catholici orbis Capitula. Quod confirmatur declaratione edita in *Puteolana.* – 45. S. Cong. in *Cotronen.* indicavit, non constare de iure participantium et parochorum Cotronensium in electione Vicarii Capitularis. Item esse Capitulo iniungendum, ut intra sex menses conficeret statuta capitularia ab Episcopo approbanda.

36. – *Cotronen. VV. SS. LL.* Cotronensis Episcopus in sua relatione, quam ex Sixtina lege ad hanc S. Congr. (ita in folio) transmisit, ea, quae sequuntur exponit: « Dignitates et cano» nici non solum, sed et participantes et quatuor parochi simul » efformant constituuntque Capitulum, et in eo ex antiqua con» suetudine habent vocem activam et passivam. Haec consuetudo » praestandi suffragium praesertim in electione Vicarii Capitula» ris in viduitate ecclesiae nonnullas excitat dissensiones et ma» gna dissidia cum scandalo fidelium. Cuperem vero, et ut scan» dala a fidelibus amoveantur, et ne parochi odiosi christifidelibus » eorum curae commissis reddantur, ut fere semper accidit ob con» tentiones atroces, quae solent oriri praesertim a participantibus » satis iuvenibus.... ut suffragia in electione Vicarii Capitularis » tantum a dignitatibus et canonicis praestarentur. » Cum vero haec ad plenam rei cognitionem suppetere minime viderentur, eidem Episcopo literas dedi, ut accuratius de huiusmodi, quam innuit, consuetudine referret, et statutorum capitularium, si adessent, particulam ad hanc rem pertinentem transmitteret, ceteraque adderet, quae ad causam mature expendendam conducerent.

Retulit Episcopus, non esse in casu compertum, quod memorata consuetudo immemorabilis, aut centenaria foret; eam enim anno 1772. initium habuisse constabat, de tempore eatenus anteacto nullum vestigium reperire datum fuerat. Circa constitutiones retulit, de iisdem anno 1718. actum esse, at vero opus ab Episcopo sancitum minime fuisse, neque observantiae demandatum. Alias insuper minoris momenti circumstantias in rem Episcopus exponebat.

Quaenam fuerit huius Sacrae Congregationis doctrina circa rem, de qua agitur, patet ex declarationibus, quae insequuntur.

37. In *Lycien.* diei 14. Maii 1639. quaerebatur: *An ex consuetudine clerus una cum canonicis admitti debeat ad electionem Vicarii Capitularis, sede vacante?* » Sacra Congregatio respondit: *Clerum non debere admitti nisi ex consuetudine legitime praescripta.* (*Lib. 16. decret. p. 92.*).

38. In una *Montispelusii* 6. Iunii 1682. postulantibus canonicis, ut numerus beneficiatorum, qui ad Vicarium eligendum maximo numero concurrebant, ad certum numerum coerceretur, S. Cong. rescripsit: *Audiantur capellani.* Deinde in contumacia

proposito dubio: *An et quomodo sit providendum indemnitati et communi bono Capituli?* S. Congr. respondit: *Supplicent SSmo.* (*Lib. 32. decret. p. 299.*).

39. In *Nullius Altamurae* 9. Dec. 1690. cum Dignitates et canonici petiissent, ut beneficiati a iure Vicarii Capitularis eligendi repellerentur, S. Cong. *instantiam reiecit;* iterum proposita die 17. Ianuarii 1693., S. Cong. rescripsit, ut Episcopus super Bulla, statuto atque consuetudine doceret, ac tertio proposita 4. Aprilis eiusdem anni stetit *in decisis.*

40. In *Recineten. Vic. Cap.* 21. Martii et 4. Iunii 1701. (*lib. 51. decret. pag. 268. et 304.*) contendentibus canonicis et altaristis super iure interveniendi in electione Vicarii Capitularis, canonici inter alia primo exhibebant electiones annorum 1412. 1417. 1469. 1476., in quibus ipsi dumtaxat partem habuerunt; deinde decretum in sacra visitatione anni 1621. editum, ubi declarabatur, in rebus spectantibus ad ecclesiam et spiritualibus annexis nomine Capituli intelligi solummodo Dignitates et canonicos, aliter in temporalibus. Altaristae autem proferebant cum nonnullis actibus electiones Vicariorum ann. 1586. 1620. 1634., in quibus interfuerant una cum beneficiatis aliarum duarum collegiatarum, a quo tempore et ultimo statu electiones semper processerant de mandato huius S. C. salvis iuribus utriusque partis; subiiciebant insuper, sese saltem ex consuetudine, quando uti extranei ipsi haberentur, etiam absque titulo per lapsum 40 annorum esse admittendos, ad tradita per Rotam *In Gerunden. Adminis. episcopatus* 29. Ian. et 2. Iunii 1687. *coram Emerix.* et 7. Dec. 1687. *coram Benincasa.* Itaque propositis dubiis: « 1. An altaristae ecclesiae cathedralis sint admittendi una cum Dignitatibus et canonicis eiusdem ecclesiae ad electionem Vicarii Capitularis? 2. An etiam sint admittendi alii beneficiati aliarum collegiatarum dictae civitatis, nempe S. Mariae Castronovi et S. Mariae Montis Morelli in casu? Die 21. Maii 1701. S. Congr. distulit propositionem; die 4. Iunii eiusdem anni negative respondit ad utrumque. Super hac causa vide Ursaiam *Disc. 12. t. 2. p. 2.,* in qua fuse rem tractat, additque anno 1704. *num. 163.* altaristas eodem exitu iudicii aleam expertos esse.

41. In *Fanen.* 16. Iulii 1731. proposito dubio: « An et in quibus » actibus liceat mansionariis ecclesiae collegiatae ss. Christophori et » Constantii interesse Capitulo, ibique suffragium ferre una cum ca-

» nonicis in casu? » S. Congr. rescripsit: « Affirmative in omnibus » ad formam Bullae. »

In Bulla porro statuebatur, collegium constare ex archipresbytero, sex canonicis et duobus mansionariis, *qui omnes* (sic ibi) *una cum archipresbytero Capitulum ipsius collegiatae ecclesiae constituunt.*

42. In *Calaritana* 23. Aug. 1738. quidam Calaritanus Episcopus certam pecuniae vim *Capitulo et communitati* primatialis ecclesiae reliquerat, oneribus permultis adiectis, inter quae electio recensebatur concionatoris pro panegyrica oratione habenda die festo S. Mariae de Mercede: itaque canonici sibi unice ius ferendi suffragii super concionatoris electione poscebant; at vero causa proposita S. C. die dicta canonicorum votis adversum responsum edidit.

43. Novissime anno 1838. in *Asculana et Cerin. Vocis in cap.* die 24. Novembris querebatur Episcopus, mansionarios, qui communem cum Capitulo mensam habent, in universis Capituli negotiis et praesertim in Vicarii Capitularis electione suffragium ferre, itaque petebat, *ut pro bono ecclesiae suae, viduitatis adveniente tempore, reformationem mos ille obtineat.* Videbatur ista consuetudo derivari ex constitutionibus capitularibus anni 1717., in quibus quilibet canonicus et capellanus, adiecta poena carolenorum quinque, capitularibus comitiis interesse iubebatur. Hinc proposito dubio: « An mansionarii ferre possint suffragium in electione Vicarii Capitularis in casu? » rescriptum prodiit: « Dilata, et audiatur iterum Episcopus, qui referat accuratius de consuetudine, transmissis particulis statutorum ad rem facientibus, et particulis actorum praecedentium electionum Vicariorum Capitularium, et exquisito voto Emi Polidori causa iterum proponatur. » Cum vero ob peculiares circumstantias Emus ille vir, modo functus, quem honoris causa nominamus, huius S. C. optatis morem gerere haud potuerit, lis adhuc sub iudice est.

44. Postremo cum ex Episcopi literis deprehenderim, Cotronense Capitulum propriis constitutionibus carere, illud muneris mei esse duxi, alterum super hac re ex officio addere dubium. Porro Benedictus XIII. Conc. Rom. anni 1725. *Cap. 4. tit. 2.* definitive praecipit, ut Capitula quaeque, *si qua habent statuta et capitulares constitutiones, depromant; et ubi non adsint, sex intra saltem menses.... sub ecclesiastici interdicti poena omnino confi-*

*ciant*. Hoc vero decretum *cap. 5. ad metropolitanos omnes extra Synodum extendit, qui primo in eorum concilio providas ipsas et plane necessarias praefatis super contentis statutis sanctiones publicare meminerint, et exsecutionem sedulo promovere.* Cum itaque in *Puteolana Red. serv. ch.* diei 4. Iunii 1842. perspectum fuisset, eodem defectu laborare Capitulum Puteolanum, ex officio, quod sequitur dubium tertio loco adiectum fuit: *An et quomodo iniungendum sit Capitularibus, ut constitutiones conficiant in casu?* Cui rescriptum fuit: *Affirmative, et Capitulum conficiat intra sex menses constitutiones ab Episcopo inde approbandas.* Adnotandum insuper, in ecclesia Cotronensi statutorum confectionem percommode cadere, propterea quod ex ratione per applicationem Brevis *Impensa* noviter invecta multa sunt, quae statum pristinum immutaverunt, quaeque certam ac stabilem flagitant methodum.

Quibus praeiactis dignentur Emae Vestrae dirimere:

45. 1. An constet de legitimo iure participantium et parochorum Cotronensium eligendi Vicarium Capitularem in casu?

Et quatenus affirmative,

2. An et quomodo annuendum sit votis Episcopi Cotronensis in casu?

3. An et quomodo iniungendum sit capitularibus Cotronensibus, ut constitutiones conficiant in casu?

Proposita causa cum relatis dubiis die 7. Augusti 1847. Emi Patres rescripserunt:

Ad 1. Non constare.

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3. Affirmative, et Capitulum conficiat intra sex menses constitutiones ab Episcopo approbandas.

## POSTULATUM QUINTUM

Summarium. 46. Facti narratio. – 47. Ex iure canonico et resolutionibus S. Congr. Conc. statutum est, canonicos in sacris non constitutos ad vocem activam minime admitti, neque ex praescriptione. Id etiam obtinet, ubi canonicatus clericis conferri possunt. Hi tamen aliquando possunt interesse Capitulo. – 48. Canonicos subdiaconatu carentes voce passiva gaudere resolvit S. C., etiamsi variae hac in re sint doctorum sententiae. – 49. Canonici dispensationem aetatis a S. Sede assecuti voce activa gaudent. – 50. Sustinet Scarfantonius, canonicum, si sit in loco residentiae, posse constituere procuratorem ex gremio Capituli ad suf-

fragium ferendum. – 51. Coadiutores, etiam absente coadiuto, non possunt votum ferre, et interesse Capitulo. – 52. S. Cong. in *Sabinen.* resolvit, non sustineri electionem ad officium camerarii factam in persona clerici dispensati ab aetate et residentia causa studiorum; neque teneri ad illud munus exercendum per substitutum; et litis expensas solvendas esse ab iis, qui liti consenserunt.

46. – *Sabinen.* Oppidum Ereti in Sabinis, quod vulgo dicitur Monte Rotondo, habet collegiatam ecclesiam auctoritate s. m. Urbani VIII. erectam, et Divae Mariae Magdalenae dicatam. Ex lege erectionis omnes praebendae sunt presbyterales, iisque conferri debent, qui sint actu presbyteri, vel saltem infra annum ad presbyteratum possint promoveri. Inter collegiatae canonicos anno 1772. cooptatus fuit, ex praesentatione Ducis Grillo, Caesar Sola, clericus Mutinensis, cum dispensatione tam super defectu aetatis, quam super residentia causa studiorum, donec presbyteratum fuisset assequutus, sed cum onere sustinendi alium presbyterum, qui pro ipso choro interveniret. Cum itaque in comitiis capitularibus idem canonicus Sola in camerarium electus fuisset, acriter huiusmodi electio impugnata est, adeoque controversia ad S. C. iudicium delata est.

47. Clemens V. in *Clemen.* Ut ii *de aetat. et qual. benefic.* statuit, ut nullus in Capitulo vocem habeat, nisi Ordine subdiaconatus saltem sit insignitus: id confirmavit Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

Ex mente S. Congr. canonici, qui Ordinem subdiaconatus non habent, nec praescriptione acquirere valent ius ferendi suffragium in actibus capitularibus, et definivit in *Bononien.* 27. Martii 1602., in qua ad II. dubium, sic respondit: *Huiusmodi canonicum, donec in sacris fuerit constitutus, vocem in Capitulo non habere, neque id praescribere potuisse; atque ne in Capitulo suffragia ferat ab Episcopo esse prohibendum; imo a canonicis nequaquam esse ad id admittendum. (Lib. 10. decret. pag. 27.).* Imo qui canonicatum possidet, cui sit adnexum onus suscipiendi sacros Ordines, suffragium in Capitulo ferre non potest, nisi in Ordine subdiaconatus sit constitutus. Sic resolutum fuit in *Romana Vocis in Capitulo,* ubi quaestio promota est inter canonicos S. Mariae in Cosmedin, cuius canonicatus ex institutione conferri possunt etiam iis, qui prima tantum tonsura sunt insigniti, et disputato dubio: *An canonici clerici ecclesiae collegiatae S. Mariae in Cosmedin interve-*

*nire possint in Capitulo, ibique habere vocem activam in casu etc.?* die 22. Iulii anni 1741. rescriptum fuit: *Posse intervenire, sed non habere vocem.* Quod pertinet ad ius interveniendi, moneri debet, quod S. C. in folio huius ipsius *causae Romanae* §. *Contra vero* declarationem afferat S. C. Visit. Apost., quae exscribitur numero sequenti, ac dein aliam declarationem S. C. Conc. die 8. Martii 1664. *(Lib. decret. illius anni pag. 53.)*, quae sic se habet: « An praedicti canonici minoribus Ordinibus tantum initiati, » qui ex dispositione iuris canonici et S. Conc. Trid. vocem in » Capitulo non habent, saltem possint ipsi in Capitulo assistere » atque interesse? » S. Congr. respondit: Non posse. Ratio vero, ob quam aliter in Romana Emi Patres edixerunt, fortasse repetenda est ex specialibus illius Capituli circumstantiis, quales esse poterant, consuetudo, statutum, et ius aliqua emolumenta intervenientibus dispertiri consueta, quae res porro in eadem causa locum habebant, ac reipsa in medium afferebantur.

48. Disputant tamen inter se doctores, an prohibitio ferendi suffragium in Capitulis indicta canonicis, qui in sacro subdiaconatus Ordine non sunt constituti, praeseferat etiam privationem vocis passivae, ita ut ad nullum officium eligi possint. Affirmativam sententiam sequuntur Navar. *Cons. 6. de Verb. signif.*, Lessius *de Instit. et Iur. lib. 2. cap. 34. n. 25.*, Malfes. *Tract. 6. cap. 16. n. 34.* Contrariam vero tuentur Piasec. *in prax. P. XIII. cap. 3. n. 7.*, Garz. *de Benefic. P. III. cap. 4. n. 5.*, Barbosa *de Canonicis cap. 17. num. 18.* In hac opinionum varietate animadvertere praestat, quod in folio causae *Romana Vocis in Capitulo*, quae nuper relata est, legitur quaedam resolutio S. C. Visitationis Apostolicae diei 3. Decemb. 1663. his concepta verbis: *In sacro subdiaconatus Ordine non constituti vocem in Capitulo non habent, etiamsi ab aliis fuerit libere concessum, iuxta constitutionem Viennen. Concilii a Tridentinis innovatam, quae incipit* Uti ii; *ceterum hanc prohibitionem habere locum in voce activa dumtaxat, non autem in passiva.*

49. Sustinet Barbosa in *dicto cap. 17. de Canon. et Dignit. n. 13.*, canonicum, qui obtinuit dispensationem Apostolicam, ut in aetate sexdecim annorum, vel in alia sufficienti canonicatum in cathedrali assequi possit, lucrari nedum fructus praebendae, verum etiam vocem in Capitulo habere. S. Congr. die 13. Ian. 1629. in causa *Montis Politiani* respondit: *Secundum ea, quae propo-*

*nuntur, oratorem vocem in Capitulo habere, et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari, ita tamen, ut Ordinem suae praebendae adnexum, cum ad aetatem legitimam pervenerit, suscipiat. (Lib. 14. decret. pag. 16.).* Et in *S. Miniatis* Carolus de Ansaldis in aetate quindecim annorum provisus et dispensatus a s. m. Urbano VIII. ad canonicatum obtinendum in cathedrali, petiit declarari, an vocem in Capitulo haberet, et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interesset, lucrari posset, et S. Congr. die 15. Sept. eiusdem anni 1629. respondit: *Secundum ea, quae proponuntur, oratorem vocem in Capitulo habere, et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari. (Lib. 14. decret. pag. 118.).*

50. Quod attinet ad II. dubium, Scarfanton. ad Ceccoper. *Lucubrat. canonic. lib. 4. tit. 3. a num. 11. ad 56.* cum aliis ibi adductis tuetur, canonicum, qui ob distantiam, infirmitatem vel aliud impedimentum interesse per se non potest in Capitulo, si in loco residentiae existat, procuratorem posse constituere ad ferendum suffragium, nedum in electionibus, verum etiam pro aliis expediendis negotiis capitularibus, dummodo tamen procurator sit de gremio Capituli; quia interest, ne Capituli secreta patefaciat. Videndum, an a pari id procedat in exercendis Capituli muneribus.

51. De coadiutoribus in una *Narnien.* die 20. Martii 1649. haec habentur: *S. C., partibus auditis, et rationibus hinc inde deductis mature perpensis, censuit, canonicos coadiutores, etiam coadiutis absentibus, non posse Capitulis interesse, nec in illis votum dare, nec officium nuncupatum* anziano della chiesa *exercere, nisi ista in literis Apostolicis coadiutoriae explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur. (Lib. 18. decret. pag. 596.).*

Demum quoad III. dubium, non abs re erit, perpendere resolutiones editas in *Ferrarien. Confrat.* 14. Sept. 1782. ad XI. dubium, et in *Narnien. Iuris interess. et vot.* 8. Febr. 1783 ad II. dubium, ubi statuitur, expensas litis a Capitulo ferendas, si de Capituli re lis agatur; si secus, ab illis, qui liti consenserunt).

52. Post haec dignabuntur EE. VV. decernere:

1. An sustineatur electio in casu?

Et quatenus affirmative,

2. An officium camerarii exerceri possit a substituto in casu?

3. An, et qui teneantur ad expensas litis in casu?

Die 31. Maii 1783. Emi Patres rescripserunt:

Ad 1. Negative et amplius.

Ad 2. Negative et amplius.

Ad 3. Teneri archipresbyterum et canonicos, qui consenserunt liti.

## POSTULATUM SEXTUM

Summarium. 53. Quid postulato causam dederit. – 54. S. Congr. rescripsit, exsecutioni dandum esse Rescriptum canonici Sabatino in servitio Episcopi occupati pro percipiendis fructibus canonicatus, qui omnes in distributionibus consistebant, amissa tertia parte. – 55. Dispositio pragmatica est, et a S. Congreg. constantissime adhibita, ut, quando distributiones stant loco praebendae, vel omnes, vel fere omnes duae partes naturam praebendae assumant ad omnes iuris effectus, et praecise circa indultarios.

53. Cum quidam Episcopus in sua relatione renuntiasset, identidem inter Capitulares enasci quaestiones praesertim circa indultarios pro percipiendis distributionibus, in quibus praebendas omnes consistere idem subiiciebat, S. C. ipsi Episcopo proponi uti normam censuit resolutionem causae, quae sequitur. *Valven. et Sulmonen. Rescripti.* Sacerdos Ioannes Sabatino Policastrensis Episcopo Valven. et Sulmonen., patruo suo, inserviebat munus agens a secretis S. Visitationis, persaepe visitatoris etiam, ac distributoris, et exactoris Bullae Cruciatae. Huc accedebat onus perferendi secretum epistolare commercium cum parochis universae dioeceseos. Cum ita se res haberent, Episcopus Valven. et Sulmonen. canonicatum eidem contulit in cathedrali Valven., cuius reditus omnes in distributionibus consistebant. Primo a possessione anno Capitulum portionem eidem debitam non denegavit, etiamsi, exceptis solemnioribus festivitatibus, choro non interfuisset. Altero anno cum idem Capitulum uti absentem eumdem Sabatinum reputaret, distributionum solutionem continuare noluit. Habito itaque per Sabatinum recursu ad S. C. Conc. Rescriptum die 28. Sept. 1858. prodiit, quo edicebatur: *Canonico oratori deberi fructus omnes sui canonicatus, quoties et quamdiu choro et residentia abest, ut proprio Episcopo in absolvendis dioecesis negotiis assistat, amissis distributionibus quotidianis; quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus praebendae tertiam partem non attingant distributionum, duas ex tribus*

*partibus distributionum, vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia parte, quae inservientibus accrescat.*

54. Nihilominus aliqui capitulares Rescriptum hoc vitio obreptionis et subreptionis laborare sibi rati, institerunt apud S. C., ut idem rite revocaretur. Itaque die 31. Martii 1860. proposito dubio: *An et quomodo Rescriptum S. C.* die 31. Martii 1860. *exsequendum sit favore canonici Ioannis Sabatino in casu?* Emi Patres rescripserunt: *Affirmative in omnibus.*

55. Ad modum quod pertinet percipiendi fructus in praesenti casu, quo praebenda omnis distributionibus constabat, in folio ad rem de more exarato ad §. *Ad alteram,* docetur, dispositionem (qua cavebatur, ut orator binas ex tribus earum partibus sibi vindicaret, tertia dumtaxat deducta in praesentium utilitatem cedenda) « pragmaticam esse et a saeculis a S. Ordine constan-
» tissime adhibitam utpote iuris communis censurae apprime re-
» spondentem, ceu tradit ex una textus in *Cap. 7. et 15. de Cler.*
» *non res.*, ex altera vero monent Fagnan. *Lib. 3. decret. cap.*
» Quia tantum *n. 29.*, Barbosa *Collectanea in lib. III. decret. de Cler.*
» *non res. tit. 4. cap. 7.* De cetero, *num. 8.*, Castropalao *disp. m.*
» *num. IX.* §. *III. num. 2.*, Scarfant. ad *Ceccoper. Luc. can. lib. 2.*
» *tit. XI. n. 15.*, Ventriglia *de Res. can. ann. XIX.* §. *1. num. 6.*
» Quibus adstipulatur S. C. in millenis decisionibus, et praesertim
» in *Avenionen.* 13. Ian. 1635. *(lib. 15. decret.)*, in *Tranen.* 11.
» Maii 1698., in *Venusina ad* diem 4. Decemb. 1762. §. *Ponde-*
» *randum,* quae unanimes docent, quod, ubi omnes vel fere omnes
» canonicatus fructus in distributionibus quotidianis consistunt,
» duae partes assumant nomen et naturam, et succedunt loco
» praebendae ad omnes iuris effectus, et praecise quoad indul-
» tarios, ne secus contingat dari canonicatum sine praebenda,
» et ne in his casibus frustranea et elusoria evadant indulta le-
» gitime concessa. »

## POSTULATUM SEPTIMUM

Summarium. 56. 57. Causae *Rossanensis* enarratio fit. – 58. Ius convocandi Capitulum ad primam dignitatem pertinet. Quae facultas debet esse libera et independens ab Episcopo, nisi agatur de rebus mensae episcopalis et de rebus, in quibus Episcopus iuxta sacros canones Capitulum audire tenetur. – 59. Limitatur, quod Capitulum Episcopum cer-

tiorem facere et licentiam rogare debet, si consuetudo Episcopo assistat. – 60. S. Congr. in *Rossanen.* rescripsit: Archidiaconum pro convocandis comitiis non teneri licentiam petere ab Archiepiscopo vel Vicario Generali, bene vero debere certiorare Archiepiscopum de qualibet capitulari convocatione, salvis iuribus ad formam sacrorum canonum.

56. Episcopus N. N. in sua relatione sciscitabatur, an sibi liceret legem facere Capitulo cathedrali, ne capitulariter sese congregare audeat, nisi prius a se vel a Vicario suo Generali facultatem impetraverit. Cui quidem postulato responsum est iuxta sententiam editam in *Rossanen. Iuris conv. cap.* 30. Ian. 1858., cuius folium per extensum una cum dubio ac responsione hic afferimus, prout sequitur: « Capitulum metropolitanae ecclesiae » civitatis Rossani cum nulla fere scripta lege, sed usu ac tra- » ditione magis antea regeretur, ex mandato sacri huius Ordinis » anni 1855. antiqua nonnulla statuta ad vigentis disciplinae » normam componere, nova conficere, et in unum corpus redi- » gere curavit. Statuta sic digesta et scriptis edita, comitiis ca- » pitularibus pluries habitis, a singulis canonicis examini sup- » posita et communi suffragio communita fuere. Convenit tamen » inter canonicos, ut antequam ederentur et metropolitanae re- » gulam ac legem constituerent, Archiepiscopo approbanda de- » ferrentur. Qui ceteris fere omnibus articulis probatis, illum » moderari censuit, qui inscribebatur sub *num. 92. cap. 19.* ad » ius convocandi Capitulum pertinens, hisce conceptus verbis: » *Capitulum, ubi convocari continget, archidiaconus, qui locum* » *eminentiorem inter omnes obtinet, ex iure sibi specialiter debito,* » *suo ipsius arbitratu convocabit, et eo impedito hoc ius devolvitur* » *ad alias dignitates, ab ipso tamen ad aliam proximiorem sem-* » *per gradatim descendendo.* Quem per haec verba reformavit: *Ca-* » *pitulum, ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo de* » *Archiepiscopi vel illius Vicarii Generalis licentia, per schedulam* » *ad triduum ad valvas sacristiae affixam, in qua, quae tractanda* » *sunt, praenotentur, convocabit, pulsata de sero antecedenti cam-* » *pana, etc.*

» Statuta ita recognita, in nonnullis correcta et approbata » Archiepiscopus ipse iterum curavit a Capitulo confirmari ac » subscribi; ceu factum est ab omnibus, paucis exceptis man- » sionariis, ac duabus primis dignitatibus, archidiacono et decano

» metropolitanae ecclesiae. Scilicet hi postremi perpendentes co-
» rum ius laesum iri, ubi in convocatione Capituli necessaria foret
» licentia Archiepiscopi vel eius Vicarii Generalis, subscribere re-
» cusarunt, ac insimul contra formiter protestati sunt. Nihilominus
» protestationibus posthabitis, edictali lege lata Archiepiscopus
» statutorum corpus a se probatum et auctoritate sua munitum
» fuisse significavit, addita clausula *sanantes auctoritate nobis*
» *quomodolibet permissa et competenti defectus omnes sive iuris*
» *sive facti, si qui in illis irrepserint.*

» Quamobrem ad Sacram hanc Congregationem confugere e
» re sua duxit archidiaconus Vincentius N. N. nomine etiam de-
» cani, expostulans, ut ius, quod ipse uti prima dignitas habet,
» convocandi Capitulum libere et non impetrata venia Ordinarii
» exercere sibi ad normam iuris et consuetudinis metropolitanae
» ecclesiae liceat.

» 57. Preces ad Archiepiscopum ipsum ablegavi, ut audito
» Capitulo in scriptis, et transmissa particula statutorum ad rem
» facientium referret de praecedenti consuetudine super asserto
» iure convocandi Capitulum, suique animi sententiam aperiret.
» Una cum sua relatione transmisit Archiepiscopus supra relatam
» particulam statutorum, ac praeterea alteram particulam, quae
» ad rem hanc refertur, excerptam a Synodo dioecesana habita
» sub Archiepiscopo Lucio Sanseverino f. r. anno 1594., quae
» exstat sub titulo *De Capitulo cap. 11.*, et sic se habet: *Capitulum*
» *ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, de nostra*
» *vel Vicarii Generalis licentia convocabit, subscripta prius a*
» *nobis, vel a Vicario Nostro schedula, in qua ea, quae tractanda*
» *sunt in Capitulo, praenotentur, pulsata prius de sero campana etc.*
» Remisit praeterea Capituli formiter in capitulari aula convocati
» testimonium scriptis exaratum et subscriptum quoad consuetu-
» dinem hac in re vigentem, quo scilicet canonici testificaban-
» tur, eam ab antiquo consuetudinem obtinuisse, ut, quoties
» comitia celebrari debuissent, curiae episcopali significatio da-
» retur, et interdum licentia in scriptis reportaretur. At vero ar-
» chidiaconus et decanus rem hanc pluribus impugnare satagebant.

» 58. Itaque ex officio ita subiiciebatur: In iure haec prae-
» notanda occurrunt, nimirum: quod, cum pertineat ad primam
» dignitatem ius convocandi Capitulum ex textu in *Cap.* Cum in-
» ter *de Elect.*, et inter canonistas Barbosa *de canon. et dignit.*

» *cap. 35. n. 1.*, Piton. *Discept. eccles. 123. P. IV. n. 2.*, haec » proinde facultas convocandi de iure illi competens debet esse » libera, absoluta et independens ab alterius cuiuscumque Su- » perioris licentia, ita ut neque ipse Episcopus praetendere de » iure valeat, non posse Capitulum congregari sine eius licentia, » ut resolvit S. Congregatio in *Cursulen.* 9. Maii 1637., quam re- » fert Crispin. in *Tract. de Visitat. P. II.* §. *30. n. 2.* S. Congre- » gatio Concilii censuit: *posse canonicos convocare Capitulum* » *absque Episcopo, sine illius licentia, nisi agatur de rebus men-* » *sae episcopalis.* Et consonat altera resolutio S. Congr. Episc. » et Regul. in *Brundusina* 17. Ianuarii 1584. apud Pignatell. » *Consult. 154. n. 7. tom. 4.:* Sacra Congregatio resolvit, Capitu- » lum esse liberum, et congregari posse quandocumque voluerit, » dummodo non fiat in praeiudicium cultus divini; quare non » posse obligari ad petendam licentiam. Ea nimirum ratione, » quod Capitulum tamquam collegium legitime erectum cum suo » capite, qui in themate est archidiaconus, habet ex iure facul- » tatem se congregandi, quoties sibi placuerit absque licentia » Superioris, ut praeter Piton. *loc. cit. n. 4.* notat Monacell. in » *Formul. P. I. tit. 6. form. 11. num. 18.*, Barbosa *loc. cit.*, Pi- » gnatell. *loc. cit.*, S. Rota *Decis. 112. num. 9. P. VII., Recent.* » coram Coccino *decis. 2174. num. 11.*, in *Hispalen. Iuris prae-* » *sidendi in capitulo* 2. Iulii 1700. §. *Minusque* coram dell'Olmo; » neque potest Episcopus impedire aut prohibere sine iusta causa, » quominus pro libito Capitulum se congregare possit, Ceccop. » *Lucubr. canon. lib. 4. num. 15.*, Ferraris *Bibliot. canon.* verbo » *Capitulum art. 1. n. 10. 11.*, qui insuper docet, Episcopum con- » gregare posse Capitulum pro casibus tantum, in quibus iuxta » sacros canones tenetur eius votum vel consilium exquirere, et » in aliis casibus spectantibus ad suam dignitatem, iuxta prae- » scriptum Concilii Tridentini *Sess. 25. cap. 6. de Reform.*; id au- » tem integrum ei non esse, cum agitur de actibus capitularibus, » qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum, quia pro rebus spe- » ctantibus ad ipsum Capitulum remanet intacta et illaesa sua » iurisdictio, ut addit Tridentinum Concilium *loc. cit.: Ceteris au-* » *tem in rebus Capituli iurisdictio et potestas, si qua eis competit,* » *et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur.*

» 59. Nihilominus haec iuris dispositio limitanda venit, ubi » contraria adsit consuetudo; quamobrem eatenus pro convoca-

» tione Capituli non requiritur licentia Episcopi, quatenus sit » solitum sine illa congregari, ceu resolvit S. Congregatio Episc. » et Regul. in *Neritonen.* 20. Augusti 1601. apud Pignatell. *cit.* » *Consult. 154. tom. 4. n. 7.* Cum Capitulum habeat potestatem » sese congregandi absque licentia Episcopi et Vicarii, nulla in » hoc novitas est introducenda; unde a contrario sensu, ubi haec » quasi possessio deficiat, et consuetudo favore Episcopi vigeat, » eius licentia pro convocatione necessaria est. Ita Pignatell. *l. c.* » *num. 1.*, Ferraris *loc. cit. num. 7.* Nam in hac materia obser- » vantia et consuetudo praecipue spectanda venit, quae nimirum » omne fert punctum, ceu ad rem docet Pitonius *cit. discept. 123.* » *n. 26.*, quamvis consuetudo adversetur iuris dispositioni favore » Capituli eiusque archidiaconi, cui servitus imponitur et subie- » ctio petendi licentiam.

» 60. Itaque momentum quaestionis omnino a consuetudine » pendet. Pugnant vero inter se, quae hac in re utrimque ab » Archiepiscopo et ab archidiacono afferuntur. Quisque enim con- » suetudinem in suum favorem praetendit. Archiepiscopus porro » assumptum probat, nedum ex synodali statuto vetustissimo, » unde huic consentaneae consuetudinis praesumptio saltem ena- » scitur, verum etiam ex testimonio canonicorum, non suspecto » plane, utpote qui contra proprium ius et commodum depo- » nunt. E contra archidiaconus, quamvis nullum documentum » proferat, de facto tamen proprio testatur, et in re, quae assi- » stentiam habet iuris. Quoad contrarium vero canonicorum te- » stimonium excipit, quod latum non fuerit collegialiter, sed a » singulis separatim, et quidem ob timorem reverentialem sub- » scriptum ex ipsius Archiepiscopi insinuatione; atque idcirco, » utpote illegale ac suspectum nullius momenti illud esse con- » tendit. »

Quibus utrinque perpensis, definient EE. PP.:

*An archidiaconus cathedralis ecclesiae, ad quem spectat convocare Capitulum, teneatur petere licentiam ab Archiepiscopo vel eius Vicario Generali pro convocandis capitularibus in casu?*

Emi Patres die 30. Ian. 1858. rescripserunt:

*Negative, certiorato tamen Archiepiscopo de qualibet capitulari convocatione, et salvis iuribus Archiepiscopi ad formam sacrorum canonum.*

## POSTULATUM OCTAVUM

Summarium. 61. Expositio postulati. - 62. Aliae circumstantiae in facto concurrentes. - 63. Antiquis Ecclesiae temporibus pluries in die Missam celebrare licebat. Sed Innoc. III. hanc facultatem coercens, semel in die, praeter noctem Nativitatis D. N. Iesu Christi celebrari praescripsit. - 64. Excipitur casus necessitatis, quando videlicet parochus duabus parochiis, vel duobus populis disiunctis praesit, vel populus uno eodemque tempore universus Missae nequit assistere, ac ceteroquin alium sacerdotem habere non datur. - 65. Alii quilibet casus, utpote mediorum deficientia, vel consuetudo ad hunc effectum non suffragantur. - 66. 67. Animadversiones nonnullae circa peculiares huius casus, de quo agitur, circumstantias. - 68. S. Cong. in *Lingonen.*, in qua agebatur de communitate, quae uno milliario a parochia aberat, et viginti personis constabat, censuit, ab Episcopo facultatem Missae iterandae concedendam esse. - 69. Omnes ii, qui sive perpetuo, sive precario animarum curam exercent, Missam pro populo applicare tenentur. - 70. S. Cong. Conc. constanter usque declaravit, parochum duabus parochiis addictum minime solutum esse a duplici Missa sive per se, sive per alium applicanda pro utriusque parochiae populo, nisi forte parochiae plenaria et exstinctiva fuerint unione coniunctae. - 71. Aliqua super facti circumstantiis praenotantur. - 72. Parocho non licet eleemosynam pro secunda Missa recipere. - 73. In *Salamantina.* S. Congr. censuit, secundam Missam in ecclesiis adnexis iudicio Episcopi a parocho celebrandam esse, et licentiam in similibus casibus esse dandam, etiam tempore collectionis messium pro villicis insimul praesentibus, dummodo circumstantiae accedant iuxta Constit. Benedictinam et declarationes S. C., nulla habita ratione consuetudinis. Item censuit, parochum non teneri secundam Missam applicare firma prohibitione percipiendi eleemosynam.

61. *Salamantina. VV. SS. LL.* Episcopus Salamantinae dioecesis in Hispania in relatione status ecclesiae suae ad hanc S. Congregationem die 27. Septembris 1857. transmissa, sequentia exposuit:

« Ducentae circiter parochiae in hac dioecesi exstant, quae » aliam ecclesiam filialem sibi adnexam habent, in qua parochus » diebus Dominicis et festis per annum secundam Missam cele- » brat: et circa hanc consuetudinem diversa dubia suboriuntur, » super quibus declarationem necessariam a Sacra Congregatione

» humiliter expostulo. Et primo animadvertere debeo, quod fide-
» lium numerus iuxta has ecclesias commorantium valde varius
» est: in aliquibus sunt quinque aut decem, in aliis ducenti,
» immo et sexcenti. Distantia a matrice modo ad milliarium non
» attingit, modo sunt duo, tria aut quatuor milliaria. Valde diffi-
» cile foret etiam post exquisitam investigationem definire, utrum
» hae ecclesiae, nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices,
» seu verae paroeciae. »

Quaerebat igitur: « 1. Utrum haec consuetudo secundam Mis-
» sam celebrandi toleranda sit in omnibus praedictis ecclesiis
» adnexis, ubi hic mos ita invaluit, ut populus etiam ius ad illam
» exigendam existimet se habere?

» 2. Utrum parochus necessario debeat illam secundam Mis-
» sam applicare pro populo sicuti primam, vel liberam retineat
» illius applicationem cum stipendio?

» 3. Utrum licentiam dare queat Episcopus ad illam secun-
» dam Missam celebrandam in casibus similibus et in locis, ubi
» talis consuetudo usque adhuc non invaluit?

» 4. Utrum praesertim praedictam licentiam concedere possit
» tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno prae-
» dio seu villa concurrunt, qui certe Missam non audient, nisi
» parochus secundam in eo loco dicat, ex eo, quod alius sacerdos
» ad illam dicendam haberi non possit? »

Ut securiori via ad huiusmodi proposita dubia resolvenda Sa-
cra Congregatio procederet, visum est eumdem Episcopum ro-
gare, ut magis praecise referret de omnimoda deficientia sacerdo-
tum ac mediorum, quibus per alium celebrari posset in filialibus
ecclesiis; et utrum ecclesiae modo filiales nuncupatae dotem ali-
quam seu congruam distinctam a matrice haberent, perquisitis
ea propter actis curiae ac sacrarum Visitationum.

Promoto tunc interea temporis Salamantino Praesule ad Bur-
gensem Archiepiscopatum, ipsius successor hodiernus Antistes in-
iuncto mandato satisfecit, literis 25. Maii 1859. ad hunc sacrum
Ordinem transmissis, in quibus haec habet:

« 62. Praedecessoris nostri, inquit, mens, ni fallor, in primo
» postulati dubio fuit, interrogare de iteratione Sacrificii, de qua
» loquitur Benedictus XIV. *Lib. VI. cap. 8. num. 2. et 3. Synodi*
» *dioecesanae,* ubi haec habet. - Quidquid vero sit de huiusmodi
» theologorum quaestionibus, hodie unus dumtaxat superest casus,

» quo fas est uno eodemque die geminum offerre Sacrificium, si » nempe idem parochus duarum parochiarum curam gerat, quae » ad invicem longo satis intervallo dissocientur, ex quo fiat, ut » vix, aut ne vix quidem utriusque paroeciae populus in unam » se conferre possit ecclesiam ad Sacrum audiendum. In quo » rerum statu concors omnium opinio est, parochum nedum posse » sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare, ac postquam » in una parochia Missam expleverit, ad aliam accedere, ne alter- » utrius ecclesiae populus die festo a Sacro audiendo excludatur. » – Attamen praefati Summi Pontificis verba ad mentem suae » Constitutionis *Declarasti nobis* sunt intelligenda, in qua aperte » tradit: tunc solummodo permitti posse die festo Missarum ce- » lebrationem iterari, ne alterius parochiae populus solemni Sa- » crificio careat, cum nemo praeter parochum adest, qui in altera » ex parochiis celebrare valeat. Ast, ubi alii suppetunt sacerdotes, » qui in secunda parochia rem divinam facere possint, praedi- » ctae disciplinae indulgentia locum non habet.

» Hac in dioecesi, sicuti in Oscensi, quae Constitutionis Be- » nedictinae occasionem dedit, aliisque Hispaniarum quam plu- » rimis, multi sunt casus duarum parochiarum, quae sub uno » eodemque rectore ab antiquo sociatae sunt, et in ambabus a » parocho diebus festis Missae sacrificium celebratur. Cum autem » praelaudatus Pontifex nomen parochiae adhibeat in his texti- » bus, existimavit, ut opinor, Antecessor noster, vocem hanc » stricte esse intelligendam, ita ut permissio duplicem Missam » celebrandi solummodo locum habeat in illis parochiis, quibus » duarum parochiarum disiunctarum seu stricte sumptarum cura » iniuncta sit, non vero erga eos, qui licet duorum populorum » vel ecclesiarum regimen gerant, una tantum sit stricte dicta » parochia ex duobus populis seu ecclesiis composita, cuius al- » tera matrix, altera vero filialis seu adnexa dicitur, cuius gene- » ris abs dubio sunt huius dioecesis ecclesiae, unius eiusdemque » pastoris regimine subiectae. »

Deinde ita pergit: « 1. Omnibus nota est omnimoda deficien- » tia sacerdotum, qui ecclesiis filialibus seu adnexis modo supra » exposito tanquam parochorum coadiutores inservire, vel sal- » tem in diebus festis celebrare possint. Ob vicissitudines, quas » passa est Hispana ecclesia tantopere imminutus est clericorum » numerus, ut propter eorum inopiam frequenter cogantur Epi-

» scopi eidem parocho praeter propriam aliam parochiam distinctam committere, donec de idoneo provideatur rectore. Hisce » in angustiis quomodo invenientur, qui in ecclesiis filialibus seu » adnexis diebus festis Missam celebrent?

» 2. Non minore notorietate constat de deficientia mediorum » ad clericos in hisce adnexis ecclesiis alendos; quae quidem » causa fuit saeculis elapsis, cur hae ecclesiae modo filiales » nuncupatae alteri adnecterentur seu consociarentur, ut ab uno » eodemque parocho regerentur, et ita congruam sustentationem » parochus haberet. Si enim hoc factum est, quando ecclesia » Hispana decimarum aliarumque obventionum iure potiebatur, » quomodo in praesentiarum ad egestatem redacta provideri po- » test filiabus ecclesiis de sacerdotibus, qui diebus festis in illis » Missam celebrent?

» 3. Olim congrua parochorum, qui duas ecclesias, matricem » nempe et filialem regebant, ex decimis seu ex fructibus amborum populorum constituebatur, nunc vero quantitas pecuniaria decimarum subrogatione assignata est, et pro congrua » parochi et pro fabricae seu cultus necessitatibus singulis parochis assignata est quantitas certa pecuniae iuxta parochiarum quadruplicem classem seu categoriam, quin maiorem dotem recipiant, qui duas ecclesias, matricem scilicet et filialem » regunt, quam qui unam tantum ecclesiam sive populum, cum » nulla ratio habeatur harum adnexarum ecclesiarum ad parochi » sustentationem definiendam. Uno verbo: parochi qui duorum » populorum vel ecclesiarum canonice et permanenter adnexarum » atque unicum beneficium constituentium curam gerunt, eamdem congruam percipiunt, ac alii, qui uni tantum populo vel » ecclesiae praesunt. si intra eamdem categoriam adnumerentur. » Idem accidit in dotatione pro fabricis assignata, quae quidem » in primo casu sumptibus duarum ecclesiarum applicatur, in » secundo vero uni tantum ecclesiae, licet eadem sit pecuniae » quantitas. »

Hactenus Episcopus, vel potius Episcopi; nunc ergo ad rem propositam.

63. Liquido constat ex historiae ecclesiasticae monumentis, a primis Ecclesiae temporibus usum obtinuisse, ut sacerdotes pluries una eademque die divina mysteria celebrarent. (Christianus Lupus *in scholiis ad decr. 1. Alex. II. tom. 3. operum fol. 197.*

*edit. Venet.*, Edmundus Martene, *de antiq. Eccles. ritibus l. 1. c. 18. §. 5. et seqq.*, Poutas *in Dictionar. cas. conscient.* verbo *Missa, casu 15.)*. Sub Leone IV. ann. 847, ut nonnulli opinantur, sive sub Alexandro II. ultra dimidium saeculi undecimi, seu potius sub Innocentio III. anno 1212. Sacrum uno eodemque die iterari sacerdotibus vetitum fuit. Interrogatus enim laudatus Pontifex a Wigornien. Episcopo: *Utrum presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare?* respondit (cap. Consuluisti. 3. de celebr. Miss.) *Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Quo in capite cum verbum *sufficit* non simplex consilium contineat, nec convenientiam aliquam commendet, sed veram necessitatem verumque praeceptum inducat, uti aperte docet Benedictus XIV. in sua Constitutione ad Oscensem Episcopum, *Declarasti*, iure consecutum est, ut Innocentiana responsio naturam verae legis induerit, quam deinde observandam universa mandavit Ecclesia, excepta tantum causa necessitatis, quae eodem die iterari sacrificium postularet.

64. Quaenam porro huiusmodi debeat esse necessitas, non parum inter doctores disputatum est, praesertim cum glossa ipsa in cit. cap. *Consuluisti* huiusmodi *necessitatis* causae causam addiderit *honestatis* vel *utilitatis*, dummodo res sit non de utilitate celebrantis sed Missam audientis, *(Abbas in dict. cap. n. 2. aliique)*. Hodie vero praesertim post memoratam benedictinam Constitutionem, communis est theologorum sententia, qua necessitatis casus ad Missam eodem die iterandam is in praxi reputetur, quo presbyter duas paroecias habeat, et in alterutram parochiam nequeat populus convenire, nec alius praesto sit sacerdos praeter parochum, qui Missam valeat celebrare. Nec absimilis ad hunc effectum reputatur esse etiam casus, quo parochus, etsi minime praesit duabus paroeciis, *vel* duos tamen regat populos, adeo inter se dissitos, ut alter ipsorum parocho celebranti nullatenus adstare valeat ob maximam locorum distantiam, *vel* tametsi una tantum sit ecclesia, in qua Missa a parocho iteranda sit, universus tamen populus in ea simul adesse non possit. *Hi quippe duo casus eodem iure censendi sunt*, uti post Theophilum Raynaudum *Tom. 17. Oper. edit. Lugdun. pag. 8.* animadvertit laudatus Pontifex Benedictus XIV. in cit. sua ad Episcopum Oscensem Constitutione. Iis ergo occurrentibus circumstantiis, omnino

deficiente alio sacerdote, qui aliud sacrificium offerre valeat, legitima, iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam, aderit iterandi Sacrificii necessitas.

65. Quacumque propterea alia causa remota *sive* ex deficientia mediorum, quae suppeditandae alii sacerdoti pro Missae sacrificio eleemosynae non sufficiant, *sive* ex quacumque consuetudine etsi vetustissima, quae adduci aliquando potuit, uti revera obtinebat in casu Benedictinae Constitutionis relate ad parochos Oscensis dioecesis, Sacrificium iterare parocho non licebit, uti doctissime demonstratum est ab Emo Zelada in voto, quod edidit in *Derthusen.* 20. Augusti 1768., in quo nonnullae etiam afferuntur resolutiones huius S. Congregationis, ex libris decretorum desumptae, quibus hic sacer Ordo ob deficientiam supradictae necessitatis iterando Sacrificio locum non esse constanter respondit.

66. Iis positis, ad ea modo veniam, quae propius attingunt dubia ab Episcopo Salamantino proposita. Nihil ipse in praemissis ad sua dubia habet de vera deficientia alterius sacerdotis, praeter parochum, qui secundam Missam celebrare valeret in filialibus ecclesiis, sed in medium solummodo profert quamdam consuetudinem, qua per ipsos parochos Missae sacrificium iteratur. Praesul vero, qui eamdem modo regit ecclesiam, iam ab initio suarum literarum mentem praedecesssoris sui explicans iuxta tramites actualis ecclesiasticae disciplinae super iteratione Sacrificii, non in vim consuetudinis resolutionem dubii ab EE. VV. rogat, sed ex deficientia sacerdotum, quae necessariam reddere videtur Sacrificii iterationem.

67. Generica nimis existimari forsan deberent ea, quae laudatus Episcopus refert de huiusmodi defectu sacerdotum. Cum enim, ut superius videre est in suis literis, de universali loquatur imminutione clericorum in Hispania, quam *omnibus notam* esse ait, dubitari adhuc posse videtur, utrum reapse in omnibus supradictis ecclesiis, vel in aliquibus saltem, absolute deficiat sacerdos, qui secundam Missam possit celebrare. Viderint enim EE. VV., utrum ex ipsa universali deficientia sacerdotum, qui *in ecclesiis filiabus seu adnexis tamquam parochorum coadiutores inservire, vel saltem in diebus festis celebrare possint,* satis certe argui valeat, eam praecise adesse in casu *necessitatis causam,* quae ad iterandum Sacrificium requiritur.

68. Ceterum filialium a parochiali ecclesia distantia ab uno circiter lapide usque ad tria et quatuor miliaria protenditur, et fideles, etsi in multis ecclesiis usque ad biscentum et sexcentum ascendant, in nonnullis tamen nonnisi quinque vel decem tantum reperiuntur. Qua peculiari circumstantia motus, recolendum esse duxi responsum ab Emis Patribus editum 12. Ianuarii 1847. in *Lingonen.* per Summaria precum proposita. Agebatur pariter in supplici libello Lingonensis Episcopi de consuetudine, qua nonnulli animarum pastores Missam iterabant eodem die, et insimul proponebatur, adesse quamdam communitatem uno circiter milliario a parochiali separatam, et viginti circiter personis constantem; duplici proinde responsione preces dimissae fuere, nempe: *Scribatur Episcopo, ut concedat bis Missam celebrandi licentiam, quatenus eae circumstantiae et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Bened. XIV. in sua Constitutione* Declarasti *requirit, in casu vero, quem idem orator* (Episcopus) *proponit, licentiam esse concedendam.* EE. VV. ergo sapientiae erit iudicium ferre, utrum dubia Salamantini Episcopi eamdem mereri valeant responsionem.

69. Nunc expendenda veniunt, quae in supra memoratis casibus peculiariter respiciunt vel obligationem Missae pro populo, vel iteratae Missae stipendium.

Extra omnem controversiam positum est, animarum curatores, sive parochi proprie dicti fuerint, sive vicarii perpetui ecclesiarum parochialium, aut etiam ad nutum amovibiles et brevi etiam tempore curae animarum addicti, iure divino teneri Missam applicare pro populo sibi commisso, *(Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. de Reform., Bened. XIV. Constit.* Cum semper oblatos, §. *Qui enim,* et passim S. Congregatio in *Thesauro resolutionum),* quod quidem onus ita ipsis inhaeret, ut magna etiam occurrente exiguitate redituum, nonnisi de speciali facultate ab applicatione Missae, statutis diebus, valeant dispensari, eaque semper adiuncta lege, ut infra hebdomadam totidem ipsi Missas applicare teneantur pro populo, quot in festis pro pio aliquo benefactore eleemosynam offerente celebraverint.

70. Hac posita obligatione, non raro ab hac S. Congregatione quaesitum est, quid relate ad Missam pro populo ab iis parochis foret observandum, qui duabus paroeciis essent addicti, et constanter hic sacer Ordo respondit, huiusmodi parochos minime so-

lutos esse a Missae applicatione pro utriusque parochiae populo, nisi forte paroeciae plenaria et exstinctiva fuerint unione coniunctae, ceu formiter discusso articulo declaratum habetur *in Lucen. Applicationis Missarum pro populo* 12. Martii 1774., in quo proposito dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur Dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?* Emi Patres responderunt: *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et exstinctiva, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.* Instructio vero continebat: Sacram Congregationem *nunquam dubitasse, quod parochi teneantur applicatione supradictae Missae pro populo singulis diebus Dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subiective coniunctae sunt, atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, coniunctae, atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.* Nec secus ab hac doctrina iudicatum fuit in *Oveten.* 18. Nov. 1826., etsi Emi Patres decreverint, parochum ecclesiarum *S. Mariae in Campo et SS. Salvatoris de Salave* Ovetensis dioecesis ad duplicem applicandam Missam non teneri. Eo enim in casu agebatur de ecclesiis a *ducentis annis* ita inter se unitis, ut, licet in unaquaque ecclesia independenter ab altera praecipua exercerentur parochialia iura, unus tamen erat populus. Qua ratione ductus Episcopus ipse aiebat: *Non possum non asserere convenientissimum fore, ut non binas, sed unicam tantum Missam pro populo... parochum applicari teneri Sacra Congregatio decernat;* merito igitur Emi Patres in Episcopi vota cesserunt.

71. Illud ergo esset inquirendum in praesenti quaestione, cuiusmodi nempe sit unio, qua ecclesiae filiales, de quibus agitur, adnexae vel consociatae fuerint paroeciis in Salamantina dioecesi. *Valde difficile foret,* ita Episcopus in supradicta sua relatione, *etiam post exquisitam investigationem definire, utrum eae ecclesiae nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices, seu verae paroeciae.* Quibus verbis satis indicare videtur, in dubio etiam quod aliquando fuerint, easdem filiales ecclesias nunc reapse non esse proprie dictas parochias. Idque magis etiam hodiernus Antistes explicat in citatis suis literis 28. Maii 1859., dum ait, in sua dioecesi adesse parochos, *qui licet duorum populorum vel*

*ecclesiarum regimen gerant, una tantum sit stricte dicta parochia ex duobus populis, seu ecclesiis composita, cuius altera vero filialis seu adnexa dicitur, cuius generis absque dubio sunt huius dioecesis ecclesiae unius eiusdemque pastoris regimini subiectae.* Cum igitur ex utriusque Episcopi relatione parochi supradicti non binas proprie dictas parochias, sed unam tantum administrent, consequens inde foret, ut de una tantum Missa pro populo obligati esse viderentur, nisi potius ex supramemoratis Episcopi verbis: *duorum populorum regimen, parochia ex duobus populis composita* dubitare adhuc liceat, binos ab iisdem parochis regi populos plane distinctos, etsi in uno eodemque pastore coniunctos. Non ea proinde in casu occurrere videretur unio, quae plenaria et exstinctiva dicenda foret, sed potius subiectiva, servato scilicet supradictis ecclesiis titulo filialium, quo a parochialibus distinguerentur; quod quidem argui etiam posset a diuturna consuetudine, qua iidem parochi alteram hucusque Missam in dictis ecclesiis filiabus celebrare soliti fuerunt; quae quidem consuetudo etsi non adducenda tanquam *causa necessitatis* pro iteratione Sacrificii, praesumptionem saltem inducit unionis ecclesiarum non exstinctivae.

72. Tandem quidquid EE. VV. decernendum iudicaverint super huiusmodi oblatione applicandae Missae pro populo in supramemoratis ecclesiis filiabus; quoties contigerit, ut vel parochi non ratione duplicis regiminis, sed ob causam necessitatis superius allatam, vel sacerdos quicumque, nullam animarum curam gerens, bis eodem die celebret, mens huius Sacrae Congregationis constanter fuisse videtur, nullam omnino pro secunda Missa recipi posse eleemosynam. Sic in *Ventimilien.* 19. Decemb. 1835. ad dubium: *An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti* (iterandi Missam) *in casu?* respondit: *Affirmative ad decennium, ita tamen, ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda Missa.* Et nuperrime in *Cameracen. Missae pro populo* 25. Sept. 1858. ad II. et III. dubium: *An parochus, qui pro una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu?* et: *An vicarii et alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant... secundam et ipsi Missam populo gratis applicare teneantur in casu?* responsum prodiit: ad II. *Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda*

*Missa*, et ad III. *Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.*

Resolvenda ergo EE. VV. proponuntur dubia :

73. « 1. Utrum haec consuetudo secundam Missam celebrandi toleranda sit in omnibus praedictis ecclesiis adnexis, ubi hic mos ita invaluit, ut populus etiam ius ad illam exigendam existimet se habere?

2. Utrum parochus necessario debeat illam secundam Missam applicare pro populo sicuti primam, vel liberam retineat illius applicationem cum stipendio?

3. Utrum licentiam dare queat Episcopus ad illam secundam Missam celebrandam in casibus similibus et in locis, ubi talis consuetudo usque adhuc non invaluit?

4. Utrum praesertim praedictam licentiam concedere possit tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno praedio seu villa concurrant, qui certe Missam non audirent, nisi parochus secundam in eo loco diceret, ex eo quod alius sacerdos ad illam dicendam haberi non possit? »

Die 22. Februarii 1862. Emi Patres rescripserunt :

« Ad 1. et 2. Affirmative, iudicio Episcopi, nulla habita ratione consuetudinis, et quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessariae ad formam Constitutionis Benedictinae et declarationis S. Cong. die 24. Oct. 1843. relatae in *Cameracen.* Missae pro populo, 25. Sept. 1858.

Ad 3. Dentur resolutiones in *Cameracen.* die 25. Sept. 1858.

Ad 4. Provisum in praecedentibus. »

## POSTULATUM NONUM

Summarium. 74. Exponitur postulatum. - 75. Particulae Constit. *De salute animarum* ad rem facientes. - 76. Validum censetur statutum, ut pro quibusdam tantum horis assignetur distributio vel punctatura, quamvis magis consentaneum sit, ut eadem pro singulis horis plane assignetur. - 77. Non sustinetur statutum, quo canonici ad materialem chori praesentiam in Missa conventuali tantummodo tenentur et non ultra; quandoquidem psallere omnino debent. - 78. Missa conventualis pro benefactoribus applicanda est, etiamsi eorum memoria obliterata sit, vel quando agitur de Capitulis noviter erectis, in quibus benefactores innote-

scunt. – 79. S. Congr. in *Colonien.* censuit: Reformandum statutum, ita ut, facta aequa partitione pro singulis horis, canonici toti officio interesse et Missam conventualem pro benefactoribus applicare teneantur.

74. Eminentissimus Archiepiscopus Coloniensis in relatione status ecclesiae ad hanc S. Congregationem transmissa dubium proponit: « An canonici collegiatae Aquisgranensis sua statuta de chori frequentatione Missaeque conventualis applicatione tuta conscientia sequi possint? » et super hac re sequentia refert:

« Capitulo Aquisgranensi in Bulla incipiente *De salute ani-*
» *marum* postquam concessa fuit facultas condendi statuta eodem
» modo et forma, quibus Capitulis ecclesiarum cathedralium, ca-
» nonici illius temporis de chori frequentatione condiderunt sta-
» tutum a praedecessore meo Ferdinando Augusto confirmatum,
» huius tenoris: – §. 13. Singulis diebus saltem Missarum sole-
» mniis ab introitu ad finem, si non toti officio divino, intersint
» Praepositus et canonici, nisi morbus gravis aut absentia legi-
» tima in ecclesiae negotiis eos excuset, qua quidem praesentia
» sola non modo fructus suos facient, sed negligentes etiam quin-
» que argenteis mulctenter in usum sacristiae impendendis. Vi-
» carii vero omnibus officii horis et summo sacro intersint; qui
» sine licentia aberunt, eamdem mulctam committunt. – Prae-
» terea §. 16. – Provisum est, ut die Dominica, in festis duplicibus
» primae et secundae classis, necnon in duplicibus maioribus
» canonicus hebdomadarius legat in choro Capitula, Responsoria,
» Orationes etc., ceteris vero diebus per hebdomadam vicarii le-
» gant. – Hinc canonici putant, se ad chori frequentationem ul-
» terius, quam his statutis expressum habetur, non teneri. De
» Missae autem conventualis applicatione invenitur statutum hu-
» ius tenoris: – §. 19. Ceteri quoque canonici diebus Dominicis
» Missam conventualem pro iis applicabunt, qui bene fecerunt
» Basilicae nostrae, ceteris diebus per hebdomadam intentione
» libera. Fundationum obligationibus erga congruum stipendium
» satisfiat. – »

75. Capitulum Aquisgranensis ecclesiae (quae in vim Bullae *De salute animarum* pro circumscriptione regni Borussici editae a s. m. Pio VII. die 16. Iulii 1821. ad collegiatae honorem evecta fuit) unica Praepositi dignitate et sex canonicis constat praeter vicarios, qui et choralibus muneribus addicti sunt. Exploratum

porro est ex concessa facultate condendi statuta, non potuisse Capitulum aliquid contra communis iuris Pontificii dispositiones statuere, quamvis statutis Ordinarii confirmatio accessisset, quod non solum praeceptum habetur ex *cap. Quod super 9. De maior.*, sed etiam a praefata Constitutione in memoriam revocatur, in qua Summus Pontifex neo-erectis Capitulis cathedralibus potestatem concedit (§. 48.), *ut ipsi de chori quotidiano servitio.... et quibusvis aliis de rebus.... quaecumque statuta.... licita tamen et honesta, et sacris canonibus, Constitutionibus apostolicis, decretisque Concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere, atque edita declarare.... libere et licite valeant.* De Capitulo autem Aquisgranensi eadem Constitutio prosequitur: §. 47. *Huiusmodi capitularibus... facultatem condendi statuta iisdem modo et forma, quibus de Capitulis cathedralium ecclesiarum supra luculenter dictum est, tribuimus et impertimur.*

76. Ad praesentem itaque speciem quod attinet, prima postulati pars versatur circa servitium chori. Recitatur quidem singulis diebus in praedicta ecclesia totum divinum officium nocturnum et diurnum, sed a solis vicariis, quum canonici fructus suos faciant, dummodo Missae conventuali intersint, quam si non frequentant, quinque argenteis mulctantur. Qua in re duo perpendenda occurrunt, alterum quoad assignationem punctaturae seu mulctae, quam incurrunt, qui non intersunt Missae conventuali dumtaxat, quaeque loco distributionum stare videtur; alterum quoad modum praestandi chorale servitium. Quoad primum vero, etsi iuri magis consentaneum sit magisque conveniens, ut pro singulis horis canonicis aequa fiat punctaturarum vel distributionum partitio, validum tamen censetur statutum, ut pro quibusdam tantum horis assignetur distributio vel mulcta. (Barbosa. *Ius eccles. lib. III. cap. 18. n. 83.*, Pignat. *tom. 1. consult. 130. num. 9.*, Pirhing. *de cleric. non resid. num. 98.*).

77. Quoad alterum vero, haud sustineri videtur statutum, vel saltem interpretatio, quam statuto dare vellent canonici, ut nimirum ad solam praesentiam in Missae sacrificio et non ultra sese obligatos putent, uno excepto canonico hebdomadario, qui diebus festivis recitationi officii interesse debet. Id enim contra legem et praecipuam obligationem, qua ex communi iure canonici tenentur personaliter interesse quotidie integris divinis offi-

ciis et psallere in choro, aperte pugnare videtur; Gonzalez *part. 7. de cleric. non resid.*, Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 9.*, ubi contraria consuetudo veri abusus nomine compellatur, ac talis esse declaratur.

78. Alterum postulati caput Missam conventualem respicit, quae in collegiata Aquisgranensi quotidie quidem celebratur, sed solis diebus Dominicis iuxta §. 19. statuti pro benefactoribus in genere applicatur. Nemo autem nescit, Missam conventualem non solum celebrandam esse ex praescripto quotidie, sed et pro benefactoribus in genere applicandam, ceu declaravit Bened. XIV., in celebratissima Encyclica *Cum semper oblatas*. Quae quidem obligatio applicandi viget non solum in collegiatis ecclesiis, in quibus memoria benefactorum obliterata est, sed in quibuscumque etiam noviter erectis, in quibus nomina benefactorum noscuntur, ceu resolvit S. Congregatio in *Nullius S. Rufilli, prov. Raven.* 8. Aug. 1751. Quam obligationem in themate remittere nequit statutum, quod non a Sede Apostolica, sed ab Ordinario tantum propria, ut videtur, auctoritate approbatum et confirmatum fuit. Quare etc. (1).

Die 17. Decemb. 1859. Emi Patres rescripserunt:

79. *Esse locum reformationi statutorum, ita ut facta aequa mulctae quinque argenteorum partitione pro singulis horis, canonici toti officio divino interesse et Missam conventualem pro benefactoribus in genere quotidie applicare teneantur. Supplicandum tamen SSmo pro gratia reductionis servitii alternis hebdomadis, exceptis diebus festis etiam suppressis.*

## POSTULATUM DECIMUM.

Summarium. 80. 81. Postulati expositio. – 82. Alienum subditum et clericum ab alio Episcopo ordinatum nulli licet Episcopo ad ulteriores Ordines promovere. – 83. Superiores Institutorum vota simplicia profitentium non gaudent Regularium privilegio dimissorias tradendi subditis suis. Ex speciali gratia gaudent ea facultate sodales a S. Vincentio a Paulo, S. Philippi Nerii Neapolis, Superiores Ordinum regularium pro novitiis, durante votorum simplicium triennio, ac denique sodales Misericordiae,

(1) Dubii formula in *precum summariis* (quale hoc erat in causa *Colonien.*) non adhibetur, prout fit in causis propositis in folio.

aliique. - 84. In huiusmodi institutis Episcopi iurisdictio salva est, si ea excipias, quae in peculiaribus constitutionibus a S. Sede approbatis sancita fuerint. - 85. Religiosi votorum simplicium per dimissionem vel dispensationem ab instituto egressi iurisdictioni obnoxii sunt Ordinarii, cui iam suberant ante ingressum. - 86. S. Cong. in *Tarvisina* resolvit, sodales charitatis incolentes domum in loco Tarvisinae dioecesis obnoxios esse Constitutioni *Speculatores* praescribenti literas dimissoriales vel testimoniales proprii Episcopi, sive eius, a quo tonsuram receperunt, salvam nihilominus esse potestatem Superiorum regularium transferendi eos ab una ad aliam provinciam iuxta constitutiones a S. Sede approbatas.

80. Nemo nescit, hisce temporibus mirum in modum excrevisse numerum institutorum, in quibus vota simplicia edi consuescunt. Vide supra *Append. de Inst. vot. simpl. pag. 244. n. 259. et seq.* Iamvero saepissime factum est, ut sodales iisdem adscripti omnibus sese privilegiis gaudere arbitrarentur, quibus gaudent religiosi viri solemnibus votis adscripti, ac praesertim iis, quae referuntur ad sacram alumnorum suorum ordinationem. Cum igitur de re tam gravi ageretur, quidam Episcopus, in cuius dioecesi unum et alterum eiusmodi institutum recensebatur, ad quaelibet dissidia praecavenda et abnormitates propulsandas in sua relatione postulavit, an huiusmodi instituta in Constit. *Speculatores* censuram caderent. Itaque S. C. Episcopi voto satis fore factum duxit, remissa declaratione causae sequentis penes S. C. Episc. et Regul. expensae, quae sic se habet:

81. Inter alia instituta votorum simplicium hisce temporibus erecta adest *Congregatio sacerdotum Charitatis* Venetiis exorta, cuius constitutiones ab Apostolica Sede approbatae hoc iubent: *Unaquaeque domus suum Superiorem habebit, singulae vero domus Congregationis immediate iurisdictioni proprii Ordinarii subiectae erunt, firma tamen Superiorum auctoritate erga subditos.* Item: *Superioris insuper provincialis erit..... cuique domum, in qua resideat, assignare, de una in aliam (intra tamen limites provinciae) transferre.* Praeterea haec lex addita reperitur, *ut omnes presbyteri, qui in eamdem Congregationem congregabuntur.... Ordinariorum iurisdictioni omnino subiecti esse debeant.* Praeter domus in Venetiarum dioecesi fundatas una aderat in dioecesi Tarvisina instituta. Quocirca Tarvisinus Episcopus S. C. Episc. et Regul. quaedam dubia ad ordinationem et subiectionem huiusmodi sacerdotum pertinentia proposuit, quae ad calcem heic ac-

curate referuntur; super quibus eadem S. C. tum Patriarcham Venetiarum, tum Superiorem Congregationis de more sciscitandum censuit.

82. Quod pertinet ad prima duo dubia, in consultatione statuebatur, ex iure sacrorum canonum ac nominatim ex celebrata Constit. *Speculatores* s. m. Innocentii XII. nulli Episcopo licere alienum subditum, vel clericum ab alio Episcopo ordinatum ad maiores Ordines promovere.

83. Subinde animadvertebatur, sacerdotes memoratae Congregationis uti non posse privilegiis, quae super ordinatione Regularibus concessa sunt, adeoque, utpote iuri communi subiectos, sacrorum canonum ac nominatim Constit. *Speculatores* censuram effugere non posse. Id enimvero demonstrabatur pluribus exemplis, in quibus huiusmodi instituta speciale ab Apostolica Sede privilegium impetrarunt, quo minime indiguissent, si iisdem per se facultas ista competeret. Ac primo ostenditur exemplo sodalium a S. Vincentio de Paulo, qui huiusmodi privilegium ab Apostolica Sede specialiter obtinuerunt. (Vide Honorant. *Prax. trib. Vic. Romae 1762. p. 128.*), necnon sodalium a S. Philippo Nerio nuncupatorum, qui eodem privilegio donati sunt. (Vide Honorant. *loc. cit. pag. 130.*). Secundo afferebatur exemplum novitiorum, quibus, iuxta recentia decreta, decurrente triennio votorum simplicium, Superiores regulares dimissorias ad tonsuram et minores Ordines ex Apostolica licentia tribuere possunt. (Vide opusculum *Acta Sac. Congreg. sup. stat. Reg. ab Arch. Philippen. anno 1862. pag. 73.*). Tertio sequebatur causa *Lugdunen. Super app. stat. cler. S. Viatoris,* 21. Sept. 1838., in qua dubium conditum est: *An concedenda esset domorum rectoribus facultas impertiendi dimissorias suis clericis pro Ordinibus?* Cuius dubii resolutionem distulit S. C.; sed respondere debuisset: *non indigere,* si forte hanc facultatem iisdem rectoribus per se inesse creditum fuisset. Accedebat causa *Societ. miseric. super fac. conc. dim.* eiusdem diei, in qua simile dubium propositum fuit: *An Superiori generali concedenda sit facultas impertiendi dimissorias?* et S. C. respondit: *Affirmative pro alumnis, qui in Congregatione iam cooptati sunt, vel in posterum cooptabuntur cum literis excorporationis Ordinariorum originis, et postquam vota iam emiserint.*

84. Quamdam potestatum pugnam specie tenus dubium tertium portendere videbatur. Nam iuxta constitutiones Superiori

Congregationis sacerdotes eidem addictos de una in aliam domum transferre datum est. At vero iuxta sacros canones clericus quilibet ita suo Ordinario subditur, ut obedientiam in ordinatione adpromissam ei praestare teneatur. Quid igitur, si Superior alicuius sacerdotis translationem peragere velit, et Episcopus nolit? Quamvis pronum est intelligere, hisce in casibus Episcoporum iurisdictionem salvam esse debere, iis rebus exceptis, quae aliter per constitutiones a S. Sede approbatas statutae iam sint; prouti ex declarationibus SS. Congregationum facile posset ostendi.

85. Quoniam vero votorum simplicium professio a iurisdictione proprii Ordinarii voventem non liberat, salva Constit. Bened. XIV. incip. *Ex quo dilectus*, cuius vi Ordinarius ingressum in illiusmodi instituta subditis suis ecclasiasticis interdicere nequit, ac salvis etiam constitutionibus instituti a S. Sede approbatis; hinc sequi videbatur, ut (quod quarto dubio propositum erat) sacerdotes a Congregatione discedentes in iurisdictionem illius Ordinarii reciderent, in cuius potestate ante ingressum iam versabantur. Quam ad rem argumentum desumi poterat a novitiis religiosis, quibuscum, volvente votorum simplicium triennio, si ab Ordine dimissi fuerint, ita se gerit Episcopus, prout cum ceteris dioecesanis ex resolutione *S. Cong. Super Stat. Reg.* 20. Ian. 1860. (Vide *Acta S. Congreg. Sup. Stat. Regul. p. 77. 78.*). Aliud etiam argumentum eruitur ex alia illius S. C. resolutione eiusdem diei et anni, in qua statuitur novitios Melitenses, ab Ordine dimissos, recipiendos esse in clerum saecularem, nisi aliud Episcopi iudicio obstiterit.

86. Hisce consideratis, dubiorum formulas ac responsiones, quae ad singula referuntur, ex integro hic exscribimus:

1. An et quomodo Episcopus Tarvisinus admittere possit ad ordinationem sodales *instituti charitatis* cum attestatione Superioris domus declarantis eos domui eidem addictos esse, seu potius necessariae sint dimissoriae vel testimoniales ad normam Constit. s. m. *Innocentii XII.* incip. *Speculatores?*

2. An et quomodo idem dicendum sit de sodalibus iam promotis ad tonsuram vel minores Ordines ab alio Episcopo?

3. An et quomodo, non obstante promissione obedientiae in actu ordinationis Episcopo Tarvisino facta, licitum sit Superioribus instituti transferre sodales in aliam provinciam sine dependentia praelaudati Episcopi?

4. An in casu egressionis ab instituto ob dimissionem vel dispensationem, sodales iidem pertinent ad iurisdictionem Episcopi loci, ubi sita est domus, cui adscripti sunt, an ad Episcopum, cui subditi erant etiam ante adscriptionem instituto? »

Emi Patres die 6. Mart. 1864. rescripserunt:

Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative in omnibus.

Ad 3. Superiorem provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciae iuxta constitutiones a S. Sede approbatas.

Ad 4. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

## POSTULATUM UNDECIMUM.

Summarium. 87. Expositio postulati. - 88. In synodalibus decretis laedi nequeunt privilegia Regularium. Attamen decreta fieri possunt respicientia curam animarum, administrationem Sacramentorum et omne id, quod exemptionem non afficit, et delegatam Episcoporum potestatem constituit. - 89. Regulares tenentur obtemperare legibus synodalibus, sicubi alioquin scandala ac difformitas evitari nequeat. - 90. Peculiaria quaedam in casu perpendenda. - 91. S. C. decrevit, a Regularibus in casu, de quo agebatur, servandum esse decretum Episcopi praecipientis recitationem cuiusdam brevis instructionis, quae nonnulla scienda de necessitate medii et praecepti continebat.

87. In postrema relatione status Ecclesiae Ugentinae haec Episcopus exponebat: « In dioecesana Synodo statutum est, quod » *in diebus Dominicis aliisque festis de praecepto in prima Missa* » *in omnibus ecclesiis et publicis oratoriis post Evangelium clara* » *et intelligibili voce, sacerdote verbo ad verbum praeveniente et* » *populo comitante, recitari debet brevis instructio, quae scienda* » *de necessitate medii vel praecepti continet.* - Quidam ex Regu» laribus in hac dioecesi degentibus putant, se non teneri ad » illud synodale statutum servandum in ecclesiis sui Ordinis ut» pote exemptis. Quod si verum est, frustraneus foret illius de» creti finis, idest ut rudiores agricolae, qui in diebus festis vix » ac ne vix quidem Missam auscultant, erudiri possint in iis, » quae sunt de necessitate medii vel praecepti ad salutem, prae» cipue in pagis huius dioecesis, in quibus rudis populus ad ec» clesias Regularium concurrit. Unde sequeretur, quod privilegium

» exemptionis in aedificationem Regularis disciplinae concessum, » in destructionem tendat morum et disciplinae populi christiani. » Quamobrem duo infrascripta dubia S. Congreg. definienda subiecit.

Posterioribus suis literis retulit Episcopus, familias Regularium, quae exstant in sua dioecesi, esse octo; nempe quatuor ex Ordine Capucinorum in oppidis Tricasii, Ruffuni, Salve et Alexanen.; unam Minorum de Observantia in civitate Ugentina; unam Minorum Reformatorum in oppido Praesitii; unam Minorum Conventualium in oppido Speclae presbyterorum; et unam Minorum S. Francisci de Paula in oppido Galiani. Hinc audiendos censui Procuratores generales respectivorum horum Ordinum, a quibus omnibus responsum in scriptis accepi.

Porro Procuratores tam Capucinorum quam Reformatorum hoc unum reposuere, Regulares nempe sui Ordinis synodali praescriptioni sese libenter conformasse, nihil propterea advertendum sibi esse super proposita quaestione.

Idem refert Procurator Minorum de Observantia, haec ad rem perpendens: « Cum res, de qua agitur, bonum commune evidenter respiciat, et uti exponitur, una adsit periculum, quatenus » synodali propositae ordinationi obsisti contingat, non paucos » inter fideles iis cognitionibus destitutum iri, quae ex necessitate medii vel praecepti sunt cum acquisitione aeternae salutis arctissime coniunctae; subscriptus est in sententia, haud » in hoc casu locum fieri privilegiis seu exemptionibus, quaecumque istae sint, faventibus Ordini nostro, quaeque reapse in » bonum cedere debent et ad aedificationem inservire, et non e contra malum importare, et esse ad destructionem. Quo accedit, » praescriptionem seu statutum antedictum non posse sub aspectu considerari obligationis nimis ponderosae, nec Religiosorum, » qui Ugenti degunt, haberi viribus impar. »

Vicarius Procurator Ordinis Minimorum, necnon Procurator Minorum Conventualium plura contra synodalem eiusmodi sanctionem proferebant, quae sub oculis Eñorum Patrum subiicere placuit: heic vero referre superfluum ducitur. At ea praeterire non placet, quae in folio animadvertebantur, nimirum:

88. Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. IX. cap. 15. per tot.* probe monet ex Fagnan. *in cap.* Quod super his *de maior. et obed. a n. 14. ad finem,* nihil ab Episcopis esse synodalibus constitutionibus inserendum, quod praeiudicium inferat privilegiis a

Sede Apostolica concessis regularium Ordinum institutis. Attamen vel idem Summus Pontifex non exinde consequi advertit, quod Episcopi statuta conficere omnino nequeant quoad Regulares, quatenus super iis versentur, in quibus Regulares ipsos habent suae iurisdictioni obnoxios. Pro generali autem regula *lib. XII. cap. 4. num. 5.* tradit, Regulares, eorum exemptione non obstante, parere debere dioecesanae Synodi sanctionibus in iis, quae respiciunt curam animarum, aut Sacramentorum administrationem, iuxta decretum Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 11. de Regular.* atque Apostolicas Constitutiones Concilii textum explicantes; decretis pariter subiici in iis, quae materiam concernunt, in qua subsunt iurisdictioni delegatae Episcopi, iuxta decisionem Innocentii IV. *in cap. 1. de priv. in 6.* ibi: *salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse, canonica praecipiunt instituta.* Plures vero ex hisce casibus enumerat in *cit. lib. 9.*, ac singillatim eos recensent Fagnanus *in cap.* Grave *de off. ordin. a num. 37. usque ad fin.*, Chokier *de iurisd. ord. in exempt. part. 2. quaest. 45.*, Passerin. *de hom. statu et off. tom. 3. quaest. 189. art. 10. insp. 10. cap. 5. per tot.*, Ferraris *bibl. can.* verbo Regulares *art. 1.* aliique. In iis vero, *in quibus a iure communi, a sacro Concilio Tridentino, Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere,* prout rescriptum fuit a Sacr. Congregatione ad Episcopum Nebiensem die 7. Februarii 1637. *(lib. 14. decret. pag. 571. a tergo).*

89. Praeterea idem Pontifex *(lib. XIII. cap. 4. n. 3.)* cum Suarez *lib. 4. de leg. cap. 20. num. 10.* adnotat, aliquando ad vitandum scandalum et fugiendam difformitatem a ceteris dioeceseos membris teneri Regulares obtemperare constitutionibus synodalibus, a quibus ceteroquin, ratione suae exemptionis, essent soluti; uti etiam, demandati ab Episcopo ieiunii exemplum afferens, si antiqua invaluisset in Regularium communitate consuetudo observandi aliquod Episcopi praeceptum, ad illud in posterum observandum communitatem ipsam compelli posse, quia tunc nempe obligatio non oritur ab Episcopi iurisdictione, sed ab ipsa consuetudine, quae vim habet inducendi legis obligationem.

90. Ad praesentem quod attinet quaestionem, praescriptio synodalis, de qua quaestio est, haud quidem comprehenditur, ex-

presse saltem, inter illas, quibus sive ex iure communi, sive ex Concilio Tridentino, aut Constitutionibus Apostolicis Regulares, Episcopo iubente, parere coguntur, quasque singillatim citati auctores enumerant ac expendunt; nec praeterea, quoad constet, de Regularibus aut ecclesiis agitur, quibus animarum cura imminet. Quatenus itaque ad illius observantiam non teneri Regulares putaverint EE. VV. in vim ordinariae aut delegatae iurisdictionis Episcopi, viderint, utrum teneantur, sin minus ad id hortandi sint, ex causa evitandi scandalum et difformitatem ab aliis dioecesis ecclesiis, etiam regularium illorum Ordinum, qui decretum synodale iamdudum observant, seu potius ex titulo charitatis erga miseros et rudes pagorum incolas, qui ad illorum conveniunt ecclesias.

91. Ceterum iis prae oculis habitis, matureque perpensis, quae in relationibus superius exscriptis deducuntur, rogantur EE. VV. diluere, quae Episcopus proponit:

1. An Regulares teneantur statutum, de quo agitur, servare in suis ecclesiis ex vi legis synodalis in casu?

Et quatenus negative,

2. An cogi ad id possint ab Episcopo uti delegato Sedis Apostolicae in casu?

Die 2. Martii 1861. anni Emi Patres rescripserunt:

Ad 1. et 2. in proposito casu servetur decretum Episcopi.

## POSTULATUM DUODECIMUM.

Summarium. 92. Referuntur dubia in postulato proposita. – 93. Quae foret sententia Episcopi super singulis a sacro Ordine exquisita. – 94. Librorum parochialium custodia pertinet ad parochum. Attamen Episcopi possunt adigere parochos ad eorum exemplar sibi tradendum in curia asservandum, minime vero ad transumptum inde desumendum in parochorum praeiudicium. - 95. Beneficiati et administratores inventarium bonorum temporalium conficere et curiae exhibere tenentur. – 96. Parochi tenentur (si Episcopus iubeat) curiae exhibere relationem status formalis propriae parochiae. Quae vero methodus tenenda, quaeque capita sint exponenda, normam praebet S. Carolus Borromaeus. – 97. 98. 99. Afferuntur plura decreta S. Conc. Trid. super parochorum obligatione explicandi Evangelium, a quo sese iidem excusare non possunt, vel praetextu contrariae consuetudinis, vel quod publici adsint concionatores, vel quod est exiguus parochianorum numerus, vel quod S. Scriptura per

theologum explanatur, vel quod Episcopus concionem habet. – 100. Parochos non excusari neque tempore Adventus et Quadragesimae, quando publici praecones concionantur, ab Evangelio explicando, tenuit S. Cong. in *Pisana*. – 101. Decretum Concilii Tridentini super explicatione doctrinae christianae, quam tempore Septembris et Octobris, etiam accedente contraria consuetudine, intermittendam non esse, pluries tenuit eadem S. Congr. – 102. Missa conventualis celebranda est iuxta ordinem in rubrica praescriptum, contra quem neque consuetudo etiam immemorabilis vim habet. – 103. Quam consuetudinem aliquando tolerari posse, S. Congr. edixit ob speciales circumstantias. – 104. Iis diebus, quibus SS. Sacramentum exponitur et in festo SS. Corporis Christi, quo processio peragitur, qua hora Missa cantanda sit, docet Gardellinus, cuius sententia recipitur. – 105. Quoad horam celebrandi Missam conventualem de Sancto et de feria servandas esse rubricas, iussit S. Congr. Rit. – 106. Hasce Missas cum cantu celebrandas esse, iussit S. Cong., licet dispensationem concesserit ob exiguum numerum. – 107. Iuxta declarationes S. Congr. Rituum canonici compelli nequeunt ad Vesperas cum cantu persolvendas, exceptis diebus festis. – 108. Recensentur dubia, quorum resolutionem differendam dixit S. C., usque dum novus adveniret Episcopus, quae tamen numquam locum habuit. – 109. In *Arboren.* S. C. rescripsit, erigendum esse novum officium, vulgo *Contaduria,* ita tamen, ut libri administrationis e suo loco non amoveantur, nisi quando Episcopus moratur in eodem loco.

92. Episcopus in relatione status suae ecclesiae haec exposuit:

« I. Mortuorum, baptizatorum et matrimoniorum libros ad » curiam non amplius (parochi) transmittunt, eo quod quolibet » mense ad gubernium transmittunt earumdem personarum no- » tulam ab ipso gubernio paucis abhinc annis imperatam; licet » exemplar originale apud ipsos remaneat.

» II. Non solent parochi iuxta determinatas regulas relatio- » nem ad Episcopum facere de paroeciae statu, et ad eam mihi » videtur esse cogendos.

» III. Inolevit etiam mos apud parochos civitatis omittendi » Evangelii explicationem tempore Adventus et Quadragesimae, » et catechesim pro parvulis mense Octobri; et in cathedrali, » cum Episcopus concionatur in Missa solemni; cum fit lectio » S. Scripturae, et Dominica in Albis ob multitudinem concur- » rentium ad explendum paschale praeceptum. Ruri item, ut » plurimum, mense Octobri, et tempore messis nec fit pro pueris » catechesis, nec Evangelii explicatio.

» IV. Ab immemorabili diebus festis, quadragesimalibus, et » Dominica Palmarum ob expositionem SSmi Sacramenti in forma » 40. horarum, et similiter in Dominicis Adventus, et cum ha- » betur fere qualibet tertia Dominica cuiusvis mensis lectio Sa- » crae Scripturae, quae fit coram populo, ad maius populi com- » modum, qui sero venit ad ecclesiam ad audiendam Missam, » postquam fit immediate processio cum SS. Eucharistico Sacra- » mento et concio in Quadragesima et Adventu, recitant canonici » quatuor horas canonicas, et post Nonam canunt Missam; et » in festis diebus S. Iosephi, SS. Annuntiationis, S. Mathiae in » Quadragesima et feria sexta post Passionis Dominicam Missam » de feria celebrant sine cantu post Tertiam, et de Sancto post » Nonam ad maius pariter commodum et populi et illorum, qui » assistere debent; itemque fit quibusdam ferialibus diebus, (cir- » citer octo vel decem) ut commodo consulatur illorum, qui Mis- » sae, non vero reliquis horis assistere tenentur.

» V. Cum canendae sunt duae Missae, de Sancto scilicet et de » feria, secunda non canitur, praecipue quod pauci numero sunt » choro adstantes.

» VI. Animadverti pluries, canonicos choro addictos elevata » quidem voce Vesperas recitare, sed non cantare, cum numero » pauci sint; itemque tempore hiemali cum recitant Matutinum » diei sequentis; quod semper factum est ex quo coeperunt reci- » tare Matutinum post meridiem, exceptis diebus festis. In capitu- » laribus constitutionibus revera de Vesperarum cantu nihil exstat » pro diebus ferialibus, sed dicitur: horas distincte, devote, re- » verenterque recitent, sive cantent, prout ratio diei requiret. »

Hinc a S. Congregatione postulabat, quid pro ecclesiae bono et conscientiae suae tranquillitate sibi esset agendum.

93. Antequam huiusmodi postulata sapientissimo EE. VV. iudicio subiicerem, operae pretium duxi ab eodem Episcopo opportunas quoad singula informationes et documenta exquirere. Praestat autem heic exscribere, quae ipse singillatim retulit.

« Ad I. Antequam per civilem potestatem anno 1817. coge- » rentur parochi ad civilem curiam regestum baptizatorum, de- » functorum et coniugatorum remittere, ex praescripto ultimae » Synodi (de parochis) anni 1732., et prout fert Rituale Roma- » num, remittebant parochi regesta praedicta, ut sic ab episco- » pali curia haberentur legalia testimonia baptizatorum, defun-

» ctorum, coniugatorum. Nunc ad gubernium transmittunt, retento » apud se exemplari originali. Aliquid scio de hac re constitutum » per fel. record. Gregor. XVI. cum Sardiniae gubernio anno 1836. » Interim tamen, cum mortis occasione, vel ob aliud infortunium » parochi, possint exemplaria ista originalia deperire, providen- » dum esset, ut parochi singulis annis, aut saltem ante trien- » nium regesta ad episcopalem curiam transmitterent a cancel- » laria exscribenda, et in distinctos libros redigenda, ut sic etiam » apud episcopalem curiam existerent.

» Ad II. In postrema Synodo *Cap. De bonorum ecclesiastico- » rum inventario,* praecipitur expositio bonorum temporalium ad » curiam episcopalem transmittenda intra tres menses ab inita » parocciae administratione; similiter de aliorum beneficiorum. » Post istam primam relationem, nihil aliud praecipitur nec a » Synodo dioecesana, nec ab Episcoporum decretis, nec a con- » suetudine. Propterea parochi, si ab Episcopo non advocantur ad » curiam, nunquam de statu morali animarum suarum rationem » reddunt, quasi independentes essent. Propterea multa derivant » mala, quae sola episcopalis auctoritas tollere nequit, eo quod » consuetudo obstat. Tandem nihil exstat in visitationibus, forsan » quia relatio ista antehac adamussim fiebat saltem viva voce.

» Ad III. Nil particulatim in Synodis ad rem faciens, quia » forsan nulla tunc aderat causa alicuius animadversionis. In » monitis tamen pastoralibus Episcopi Carletti monentur parochi, » adhibita auctoritate Conc. Tridentini, Innoc. XIII. et Benedi- » cti XIII. et XIV., nullam afferri posse excusationem a peccato » gravi, si per tres non continuos menses, vel per unum conti- » nuum verbi Dei praedicationem omittant. Nil vero ipse statuit » pro Dominicis Adventus et Quadragesimae et pro cathedrali, » cum lectio S. Scripturae, vel Episcopi homilia in cathedrali ha- » betur. Voluit tamen, ne mensibus Septembris et Octobris ca- » techeses pro pueris omitterentur. Interim vero expositiones » Evangelii et catecheses supradictae omittuntur aestivo, et ali- » quoties etiam, sed non integro autumnali tempore, et si fiunt, » fere nullus adest, nec adveniunt ad catechesim pueri et puel- » lae, adventuri forsan, si non matutina, sed vespertina hora ca- » techesis fieret.

» Ad IV. Nihil in duabus existentibus Synodis, quarum po- » strema habita est anno 1732., neque in decretis sacrarum vi-

» sitationum repertum est ad rem faciens. Solum autem paucis ab-
» hinc annis historice in visitatione quadam nullis exceptis diebus
» describitur horarum ordo, incipiendo a Matutino et Laudibus,
» Prima, Tertia, Sexta et Nona. Capitulares interrogati responde-
» runt in scriptis, sic ab immemorabili peractum esse, nec ipsis
» constare de aliquo synodali vel episcopali in contrarium de-
» creto. Spectatissimus b. m. Episcopus Carlettus, qui plures ab-
» stulit abusus viginti quatuor annis, quibus Politianae ecclesiae
» praefuit, nullum, ut fertur, de consuetudine ista unquam ver-
» bum fecit, nihilque in cunctis visitationibus suis, neque in
» postrema 1826. animadvertit. Sentiunt vero non pauci inter
» canonicos, in tanta divinarum rerum oscitantia, si, praesertim
» cum habetur concio, post Missam recitarentur duae horae Sexta
» et Nona, populum, absoluta Missa, procul dubio esse dilapsu-
» rum, relicta concione. Attamen violatio rubricarum flagrans
» est, et absque venia aut dispensatione S. Sedis episcopalis vi-
» gilantia silere nequit.

» Ad V. Capitulum Politianum constat undecim canonicis et
» quatuor dignitatibus, quarum prima idest archipresbyter ad
» chorum non tenetur ferialibus diebus, et praeterea octo capel-
» lanis. Per hebdomadas fit servitium chori, septem canonici, et
» quatuor capellani pro singulis hebdomadis; sed in Quadrage-
» sima omnes tenentur adesse. Audito Capitulo et responso ac-
» cepto, reperi, cum omnes choro adsunt, nonnisi raro sine cantu
» lectam fuisse secundam Missam. Pluries vero lectam non fuisse,
» cum pauci adsunt. At non semper; idque factum ex disposi-
» tione illius, qui prior est in choro, et plerumque ex defectu
» cantorum.

» Ad VI. Animadverti, nonnisi hiemali tempore diebus feria-
» libus nunc omitti cantum in Vesperis, idque factum vel ab
» anno 1829., quo obtentum fuit indultum pro recitatione Matu-
» tini post meridiem, attenta etiam paucitate adstantium, aeris
» inclementia, verbis constitutionum, et responsis S. Congr. Conc.
» 23. Novembris 1602. et 28. Ianuarii 1606. Reliquo autem omni
» tempore nonnisi perraro etiam diebus ferialibus omittitur cantus
» in Vesperis. »

94. Hisce nonnulla in iure subnectere iuverit. Et ad *primum* quod attinet postulatum, translatitium est, ad solum parochum pertinere librorum parochialium custodiam, ne facile possint ad

aliorum manus pervenire, et quoquo modo corrumpi, Barbosa *De offic. et potestate paroc. Part. I. cap. 7. num. 19. et 20.*, ubi refert, S. Congregationem Episc. et Regul. die 3. Iunii 1604. Episcopo Cavensi rescripsisse, eiusmodi libros non esse per Episcopum *de parochorum potestate extrahendos*, sed penes illos conservari debere. Nihilominus aeque receptum est, ab Episcopis cogi posse parochos ad exemplum librorum parochialium in episcopales curias deferendum, uti tradunt Catalanius in *Ritual. Rom. tit. 11. Formulae scribendae in libris habendis a paroch.* §. 5. et 6. necnon Baruffaldius *Comment. in Ritual. Rom. tit. 92. n. 4. et seq.*, et idem Barbosa *loc. cit.* relato S. Congregationis Episc. et Regul. decreto hanc accessisse conditionem monet, *dummodo, si necessarium fuerit, copia pro illorum conservatione detur.* Denique formiter discusso articulo idem statuit Sacra haec Congregatio in *Hipporegien. Librorum parochialium* 19. Maii 1832., in qua, cum Episcopus lato decreto praecepisset, ut librorum parochialium exemplar, seu authenticum extractum quotannis parochi ad curiam episcopalem transmitterent, ut in eiusdem curiae tabulario asservaretur, non equidem ad *transumptus desumendos* in parochorum praeiudicium, sed ad praecavendam dumtaxat fortuitam eorum iacturam, proposito dubio: *An et quomodo decretum Episcopi* diei 26. Novembris 1830. *sit confirmandum vel infirmandum in casu?* responsum prodiit: *Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.* In *folio* autem huius causae, §. *Porro* plures afferuntur provinciales et dioecesanae Synodi, quae decretum continent pro deferendis quotannis ad curias sive archiepiscopales, sive episcopales librorum parochialium exemplaribus.

In themate idipsum praescriptum habetur in dioecesana Synodo, teste Episcopo; ideoque mox demandata a civili gubernio librorum parochialium transcriptio haud impedimento esse videtur, quominus curia etiam eadem exemplaria, uti antea, iuxta Synodi praescriptionem sibi habeat, vel ab eiusdem curiae officialibus, vel ab ipsis parochis exscribenda.

95. Quoad *secundum* postulatum. Omnibus ecclesiarum aut beneficiorum rectoribus vel administratoribus onus conficiendi inventarium bonorum temporalium quavis ratione ad beneficia et ecclesias pertinentium, Episcopo pro recognitione et approbatione exhibendum, iniunctum iam fuit a s. m. Sixto V. Constit. inci-

pien. *Provida* 29. Aprilis 1587.; et renovata huiusmodi lex est a Conc. Romano *Tit. 12. de fid. instrum. cap. 1.* Idque regulis praestitutis receptum habetur in dioecesi Montis Politiani, ceu refert Episcopus. Huiusmodi autem praescriptionem firmam ratamque habuit S. Congregatio in *Balneoregien. Visitationis SS. Liminum* proposita die 24. Martii 1821. ac resoluta die 14. Aprilis eiusdem anni.

96. Id quidem pertinet ad relationem status *materialis* paroeciarum, quo vero ad *formalem*, quamvis in Synodo dioecesana nihil praescriptum de hac relatione fuerit, attamen nemo inficiabitur, quin integrum sit Episcopo, parochos ad eam exarandam sibique transmittendam cogere, ea ratione praescripta, quae sibi magis expedire videatur. Episcopi enim praecipuum munus est gregis sibi commissi mores et vitam explorare et inspicere. Ideo Episcopus graece dictus est, qui latine dicitur speculator *(Cap.* Clericos, §. *Episcopus 21. dist.)* vel superintendentes *(Cap.* Qui episcopatum *8. quaest.)*. Unde D. Ambrosius *de dignitate sacerdotali cap. 6.* Episcopum dici putat quasi superinspectorem. Speculator item dicitur, teste D. Augustino *Lib. 1. de Civit. Dei cap. 9.*, quasi populorum, quibus praepositus est, observator, custos et praefectus, qui speculetur et prospiciat populorum subditorum mores et vitam. Iam vero quantum ecclesiae cuiusque boni intersit, praesertim ad succrescentes evellendos abusus, ut de populorum moribus ac vita Episcopi certiores identidem fiant, parochorum relationibus sive viva voce, sive in scriptis editis, nemo est, qui non videat. Ceterum sapientiae EE. PP. relinquitur oratori Episcopo proponere, quaenam ab ipso ratio hac in re sequenda sit. In quo quidem prae oculis habere poterunt, quae apte ad eamdem rem statuta habentur in Concilio prov. Mediol. V. (Acta ecclesiae Mediolanen. *Tom. I. Part. I. pag. 222. edit. Lugdunen. 1683.*), ubi relatio haec parochis iniungitur occasione, qua Synodus dioecesana ad Concilii Tridentini praescriptum *quotannis*, ut ibi dicitur, celebranda est: « Antequam stata Synodi dies » veniat... parochi tum urbani, tum dioecesani, ut ipsi Episcopo » adiumentum afferant, diligenti aliqua earum indagatione ac » relatione, quibus per eum consuli aut provideri in Synodo prae- » sertim oportebit, haec quae infra generatim vel universe mox » praescribentur, sedulo videant ac notent... Primo igitur... quae » cleri sit in clericalis vitae moribus progressio, quae in vita

» spirituali disciplina... Quae populi in christianae charitatis ope-
» ribus exercitatio, quam religiosus festorum dierum cultus; quam
» pia in ecclesiis conversatio etc. Qui singularium ecclesiarum,
» praesertim parochialium status; an si quae instaurationem
» desiderent; an debito cultu fraudentur; an sacris vestibus,
» ornamentis supellectilique ecclesiastica ad cultum necessaria
» instructae sint etc. Postremo an aliqua sunt provincialium dioe-
» cesanarumque Synodorum decreta, edicta, visitationum prae-
» scripta, aliave episcopalia iussa, quae exsecutionem non ha-
» beant etc. » Eadem praescripta reperiuntur in *Synod. dioec. Mediolanen. IV. decret. 45. (Actorum Mediol. tom. I. pag. 296. eiusd. edit. Lugdunen.).*

97. Quoad *tertium*. Ad explicationem sancti Evangelii quod attinet, sedulo notanda sunt, quae sacrum Concilium Tridentinum statuit *Sess. 5. cap. 2. de Reform.*, ubi, postquam declaraverit, praedicationem esse praecipuum Episcoporum munus, sermonem ad parochos convertens, haec sanxit: « Archipresbyteri quoque, ple-
» bani et quicumque parochiales vel alias curam animarum ha-
» bentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per
» alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Do-
» minicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et
» earum capacitate pascant salutaribus verbis... neque huius de-
» creti exsecutionem consuetudo... impedire valeat. » Similiter in *Sess. 22. cap. 8.* haec habentur: « Mandat sancta Synodus pastori-
» bus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter
» Missarum celebrationem, vel per se vel per alios, ex iis, quae
» in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera san-
» ctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus
» praesertim Dominicis ac festis. »

98. In altero autem decreto *Sess. 24. cap. 4. de Reform.* haec statuit: « Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum
» est, cupiens sancta Synodus, quo frequentius possit, ad fidelium
» salutem exerceri,... mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se, aut,
» si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad praedicationis
» munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos, sive iis
» impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas prae-
» stare vel tenentur vel solent, deputandos in civitate, aut in
» quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus
» diebus Dominicis et solemnibus diebus festis; tempore autem ie-

» iuniorum, Quadragesimae et Adventus Domini, quotidie, vel sal-
» tem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sa-
» cras Scripturas, divinamque legem annuntient, et alias, quoties-
» cumque id opportune fieri posse iudicaverint. »

99. Porro cum Concilium Tridentinum toties ac tanta verborum vi et efficacia sancti Evangelii explanationem omnibus praesertim diebus festis inculcaverit, consequitur, parochos ab hoc munere haud excusari vel praetextu contrariae consuetudinis, vel quia satis provisum sit per publicos annuales concionatores, vel quod exiguus sit suarum plebium numerus, vel ob alias id generis causas, ceu post Bened. XIV. *Instit. eccl. 10. num. 3.* docet Giraldi *Expos. iur. Pontif. Part. II. sect. 8. pag. 816.* In casu itaque nulla subesse ratio videtur omittendi explanationem Evangelii ruri tempore messis, ob exiguum scilicet adstantium numerum, quippe qui plerumque ex negligentia rectorum dimanet, ceu inquit Bened. XIV. *cit. Instit. 10. num. 3.;* in cathedrali illis diebus, quibus habetur lectio S. Scripturae, cum id oneris canonico theologo impositum a Concilio Tridentino *Sess. 5. cap. 1. de Reform.* plane distinctum sit a praedicatione, quae in *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* parochis iniungitur. In quo quidem ne ulla excusatio suppetat, siquidem mane, ut videtur, lectio scripturalis in ecclesia Politiana haberi solet, Episcopus, cuius in arbitrio est, curare poterit eam ad tempus vespertinum differri. Pariter nihil impedimento est, quominus parochus cathedralis Evangelium explanet iis diebus, quibus Episcopus concionem habet, ceu S. Congregatio definivit in *Terulen.* 11. Iunii 1631. apud Barbosam *De offic. et pot. parochi Part. I. cap. 14. num. 5.* et in *Pientina Praedicationis* 14. Septembris 1748., in qua Praepositus, Pientinae cathedralis ecclesiae parochus, ut se ab obligatione explicandi Evangelium liberaret, urgebat *sacrorum canonum apertissimam dispositionem, qua cautum est, ut Episcopus per seipsum munus hoc explere teneatur; ideoque non posse parochos cathedralium poena suspensionis a divinis compelli, ut id agant festis diebus, quibus Episcopus in cathedrali praesens esse debet.* At proposito dubio: *An parochus in ecclesia cathedrali Pientina teneatur diebus festivis in actu celebrationis Missae parochialis ad Evangelii explicationem in casu?* S. Congregatio respondit: *Affirmative.* Quod quidem pariter tenuit in *Lunen. Sarzanen. Praedicationis* diei 16. Augusti 1828. ac resoluta in sequenti mense Septembris.

100. Quo vero ad obligationem explanandi Evangelium tempore Adventus et Quadragesimae in illis ecclesiis, in quibus praedicto tempore conciones habentur, articulus iste formiter etiam discussus fuit coram S. Congr. in causa *Pisana* 29. Martii 1817., in qua plura in utramque partem erudite disseruntur. S. Congr. autem ad dubium propositum: *An parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur sacrae conciones per praecones ab Ordinario approbatos, teneantur diebus festis in Missa parochiali explicare Evangelium in casu?* respondendum censuit: *Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cuiuslibet paroeciae.* Cumque deinde S. Congr. iam antea editum novisset ab Archiepiscopo praeceptum, contrariam hac in re consuetudinem abrogans; iterum proposito dubio die 30. Augusti eiusdem anni, respondit: *In casu, de quo agitur, servandum esse decretum Archiepiscopi.* Ceterum pro illis ecclesiis, ubi conciones praedicto tempore non habentur, contraria praxis suffragari non posse videretur, ceu patet ex iis, quae exposita sunt. Quid vero statuendum sit in casu, iudicabunt Emi Patres, qui decernent etiam, an toleranda sit consuetudo, ubi viget, omittendi Evangelii explicationem Dominica in Albis ob expositam ab Episcopo causam vel etiam mense Octobri, ceu in aliquibus dioecesibus factitari solet.

101. Quoad catechesim autem haec praescribit Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 4. de Reform.* « Iidem etiam (nempe Epi- » scopi) saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis » parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes » diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et, si opus » sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstanti- » bus privilegiis et consuetudinibus. » Quamobrem viderint EE. VV., utrum tolerari in themate queat mos, qui apud parochos civitatis inolevit omittendi catechesim pro parvulis mense Octobri et ruri nedum eodem mense Octobri, sed tempore etiam messis. *In Hortana* diei 8. Aug. 1744. contendente parocho, servandam esse consuetudinem doctrinam christianam mense Octobri et Decembri usque ad diem 18. Ianuarii intermittendi, quod homines aucupio, vindemiis et rusticatione distenti nulli ad eam audiendam accederent, et brevitate illa dierum mensis Decembris et Ianuarii impossibile foret omnia parochi munera suo tempore implere; proposito dubio V.: *An servanda sit consuetudo intermittendi doctrinam christianam mense Octobris et mense Decembris usque ad*

*diem 13. Ianuarii, aliisque diebus impeditis in casu?* S. C. respondit: *Negative.* Quoniam vero frequentiae hisce temporibus defectus horae intempestivae, qua catechesis habetur, iuxta Episcopum tribuendus sit, alia magis commoda hora assignari ab eo poterit.

102. Quoad *quartum* postulatum. Rubricae Missalis *tit. 13.* §. 2. statuunt, Missam conventualem et solemnem sequenti ordine dici debere: « In festis duplicibus et semiduplicibus, in » Dominicis et infra octavam, dicta in choro hora Tertia. In festis » simplicibus et in feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, » Quadragesima, quatuor temporibus, etiam infra octavam Pen» tecostes et vigiliis, quae ieiunantur, quamvis sint dies solemnes, » Missa de tempore debet cantari post Nonam. » Atqui pluries S. Rituum Congregatio decrevit, non licere praetextu consuetudinis etiam immemorabilis statutum hunc praevertere ordinem, ac Missas conventuales, vel de festo, vel de Sancto, aut de Dominica, quae iuxta rubricas dicendae sunt post horam Tertiam, celebrare post Nonam, (de praedictis autem Missis exclusive loquutus videtur Episcopus in prima huius postulati parte, minime vero de Missis feriae maioris, quas celebrari debere post nonam dubium non est). Ita porro in *Venusina* 9. Aug. 1760. proposito ex parte Capituli cathedralis dubio: *An Missa conventualis, attenta immemorabili consuetudine cani possit post Nonam, non obstantibus rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus?* S. R. C. respondit: *Negative.* (Gardellini n. 4293.). Idem decreverat in *Imolen.* 6. Augusti 1733. et in *Polena* 9. Maii 1739.

103. Attamen Vestrum erit, Emi Patres, decernere, an peculiaria rerum adiuncta in casu invectam consuetudinem tolerandam suadeant. Sacra Rit. Congregatio in *Oscen.* 16. Martii 1592. *ad dub. 7.*, ubi exponebatur: « Hora Sexta, dicitur ante Missam et si » diceretur postea, celebratio esset intempestiva, quia propter » frigiditatem terrae populus tardius venit ad ecclesiam; » respondit: « Missa conventualis dici debet post Tertiam in festis » duplicibus, et in diebus Dominicis iuxta rubricam Missalis, non » post Sextam: quod si propter terrae frigiditatem populus tardius » venit ad ecclesiam, praestat differre tempus recitandi Tertiam, » quam debitum ordinem intervertere. »

104. Quidquid vero iudicandum putaverint pro diebus, quibus concio habetur, pro illis tamen, quibus exponitur in forma quadraginta horarum, aut reponitur SS. Sacramentum, servanda vi-

detur consuetudo canendi Missam conventualem post Nonam non solum, si votiva sit, sed etiam si de Sancto, vel de octava privilegiata, vel de Dominica, vel de feria; quam quidem sententiam contra Cavalerium tuetur Gardellinius *in Comment. ad Instructionem iussu Clementis XI. editam de iis, quae servanda sunt pro expositione SS. Sacramenti etc. Tom. VI. P. II. ad §. 12. num. 13.*, hanc inter ceteras rationem afferens: « Et revera con» gruit potius hora Nona, quam Tertia vel Sexta solemnissimae » illi functioni, quae adnexam habet processionem cum magna » populi frequentia, tam dum exponendum, quam dum reponen» dum est Sacramentum. Praesertim quia in repositione plerum» que cunctandum est, sacerque ritus cum Sacramenti benedi» ctione non absolvitur, nisi post meridiem, ne, si citius fiat, » contingat cessare in una ecclesia, priusquam in altera initium » habeat, quum ex instituto numquam sit intercipienda. » Videant autem EE. VV., an haec aliqua ratione conveniant, quum processio cum SS. Sacramento ducenda est. In *Gadicen.* 22. Ianuarii 1678. expositum fuit in dubio 6.: « In festo SS. Corporis » Christi dicitur Sexta et Nona ante Missam conventualem, et post » illam generalis processio. » Et in dubio 7.: « In diebus infra » octavam dicti festi, et in diebus in ea occurrentibus Missa con» ventualis dicitur post Nonam, et in dicta ecclesia quotidie fit » processio intra eamdem octavam. » S. Rit. Congregatio ad 6. « benigne indulsit, ut in festo SS. Corporis Christi Missarum so» lemnia post Nonam peragantur. » Ad 7. respondit: « Infra octa» vam SS. Corporis Christi, et festis duplicibus infra eam occur» rentibus Missam post Tertiam celebrandam esse. »

105. Quoad praxim vero canendi Missam de feria post Tertiam, de Sancto post Nonam, facit decretum in *Imolen.* 7. Iulii 1759., ubi exposito a sacerdote Ioanne Matthaeo Sassi, canonico theologo ecclesiae cathedralis Imolen. « Abusum dudum irrepsisse » in hac ecclesia canendi Missam conventualem de feria tam in » Quadragesima, quam in quatuor temporibus et vigiliis ante » Tertiam, et Missam de Sancto post Nonam, contra literam ru» bricarum missalis. » S. R. Congr. ad removendum huiusmodi abusum, censuit: « quoad horam celebrandi Missam conventua» lem de Sancto et de feria servandas esse rubricas Missalis et » amplius. »

106. Indubium pariter est, hasce Missas conventuales cum

cantu celebrari debere, prout eadem Sac. Congregatio statuit in *Urbevetana Praeeminentiarum*, 5. Aug. 1737., ubi ad 11. dubium: « An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae » sunt in ecclesia cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex » illis planam celebrare in casu? » respondit: « Negative ». Nihilominus ob exiguum canonicorum numerum ab alterius cantu dispensandum in *Hortana* 5. Iulii 1631., ubi Episcopus exponens, « Canonicos civitatis Castellanae et Hortanae se excusari » ab obligatione canendi duas Missas, quando ultra festum diei » occurrit aliqua vigilia, tempus Quadragesimae, quatuor tem- » pora, rogationes, aut quid simile privilegiatum, ob penuriam » canonicorum dictarum cathedralium, supplicavit eos eximi a » penso canendi utramque Missam in dictis diebus privilegiatis; » S. R. Cong. attentis narratis censuerat concedendum, « quod can- » tata Missa conventuali de festo, altera Missa recitetur sine cantu » cum interventu tamen omnium canonicorum.» Quibus perpensis, ac habita ratione ad exposita per Episcopum, praesertim ad numerum choro inservientium in cathedrali Montis Politiani, viderint Emi Patres, quid statuendum putent quoad quintum etiam postulatum. Animadvertendum tamen, tempore Quadragesimae, quo omnes canonici, teste Episcopo, choro adesse tenentur, exigui numeri excusationem locum non habere.

107. Quoad *sextum* denique postulatum; iuxta declarationem praefatae S. R. Cong. canonici compelli nequeunt ad Vesperas cum cantu persolvendas, exceptis diebus festis. Primum patet ex decreto edito in *Suessana* 28. Ianuarii 1606., in qua cum Episcopus Suessae exposuisset, suos canonicos non solere Vesperas cantare nisi Dominicis et aliis festivis diebus, sive officium de feria, sive de aliquo festo etiam duplici celebretur, simpliciter vesperas sine cantu recitare, responsum prodiit: « Quoad Vesperas et officium » satis esse, si canonici illud recitent alta, clara, intelligibili et » distincta voce. » Alterum colligitur ex resolutione in *Signina* 22. Novembris 1657., in qua cum ad instantiam canonicorum supplicatum fuisset, declarari: ipsos non teneri ad recitationem officii divini in cantu plano in festis solemnibus, prout Episcopus eisdem mandaverat, responsum fuit « Canonicos in hoc debere » parere Episcopo. » Denique refert ipse Episcopus, in constitutionibus capitularibus haec haberi: « Horas distincte, devote, re- » verenter recitent, sive cantent, prout ratio diei requirit. »

Quoad Matutini anticipationem hiemali tempore nihil adnotandum venit, cum ex Episcopi relatione constet, peculiare ad hoc indultum Capitulo Politiano usque ab anno 1820. concessum fuisse.

108. Hisce itaque breviter expositis, proponuntur resolvenda dubia:

I. An Episcopus cogere possit parochos ad transmittendos quotannis, sin minus, intra triennium ad episcopalem curiam libros parochiales ad effectum illos transcribendi in casu etc.?

II. An et quomodo teneantur parochi transmittere ad Episcopum relationem status suarum ecclesiarum in casu etc.?

III. An parochis civitatis liceat omittere explicationem sancti Evangelii tempore Adventus et Quadragesimae, et catechesim mense Octobris in casu etc.?

IV. An item liceat omittere Evangelii explicationem in cathedrali, dum Episcopus concionatur in Missa solemni, cum fit lectio S. Scripturae, et in Dominica in Albis in casu etc.?

V. An parochis ruralibus liceat omittere Evangelii explicationem et catechesim mense Octobris et tempore messis in casu etc.?

VI. An servanda sit consuetudo canendi Missam post Nonam, et celebrandi sine cantu Missam de feria post Tertiam et de Sancto post nonam diebus ac temporibus relatis in casu etc.?

VII. An, cum canendae sunt duae Missae, de Sancto scilicet et de feria, liceat secundam non canere ob expositam causam in casu etc.?

VIII. An et pro quibus diebus servandus sit usus non canendi Vesperas in casu etc.?

Proposita causa, Emi Patres responderunt: *Exspectetur novus Episcopus.*

Porro eo temporis intervallo, quo huiusmodi causa pendebat, ad plures abierat Episcopus. Ex Sacr. Congr. regestis colligitur, eamdem causam nondum in posterum fuisse propositam. Nihilominus *folium* hic afferre non dubitavimus, quia in eiusdem corpore eiusmodi doctrinae congestae sunt, quae cum per se multi valent, tum facillime ad proposita dubia resolvenda conducunt.

109. Ad pleniorem primi dubii materiam hic addimus, quod resolutum fuit in causa *Arboren.* 25. Sept. 1847. In eadem legitur, quod Archiepiscopus Arborensis novum proposuit erigendum officium nuncupatum *Contadoria generale*, ubi rationum redditiones

piorum locorum expenderentur, eorumque libri asservarentur, eo nempe consilio, ut rectae bonorum ecclesiasticorum administrationi consuleretur, opportunis in rem legibus adiectis, et suo decreto promulgatis. At vero Capitulum Arborense acriter huic innovationi restitit ex eo praesertim, quod novum illud officium non mediocri damno futurum existimabat ob ingentes, qui in eius erectione et conservatione sumptus curaeque requirebantur. Itaque res ad S. C. Conc. deducta est, propositoque dubio: « An sit » locus erectioni novi officii computatoriae in casu? » S. Cong. rescripsit die dicta: » Affirmative, ita tamen, ut libri administra- » tionis non amoveantur a loco administrationis, nisi quando » Episcopus moratur in eodem loco. »

## POSTULATUM DECIMUMTERTIUM.

Summarium. 110. Expositio postulati. Responsio indirecte redditur, data resolutione causae *Strigonien. Dub. matrim.* – 111. Quae fuerit in curia Strigoniensi disciplina in actibus conficiendis, qui pro causarum matrimonialium iudiciis ordinantur. – 112. In praedicta causa Strigonien. S. C. declaravit, iurium in decursu litis productorum recognitionem esse actum iudicialem; eam recognitionem a iudice ordinari posse, cum iusta adsit causa eiusdem arbitrio et prudentia. Defensorem matrimonii in ea recognitione esse citandum.

110. In Constit. Bened. XIV. incipien. *Dei miseratione* diei 3. Nov. 1741., in qua constituitur et assignatur, coram quibus, quo ordine ac forma causarum matrimonialium iudicia peragi debeant, §. 7. iubetur, ut matrimonii defensor *in quolibet actu iudiciali citetur, adsit examini testium,* iura omnia deducat, voceque ac scriptis matrimonii vim adserat ac tueatur. Insuper declaratur, *nulla, irrita ac cassa fore quaecumque, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint.*

111. Porro in dioecesi N. N. a tempore antiquo invaluerat, ut in confectione aliquorum actuum, qui ad causarum matrimonialium iudicia peragenda necessarii sunt, qualis erat ex. gr. parochialis de Baptismo fides, necnon de nuptiis ante faciem Ecclesiae rite contractis, satis haberetur parochi testimonium, quin defensoris matrimonii interventus ac subscriptio ulterius requireretur. Quae consuetudo cum Benedicti XIV. Constitutioni adversa

visa fuisset illius dioecesis Episcopo, ubi primum ad eam cathedram evectus est, speciale in prima relatione status illius dioecesis S. C. Conc. exhibita postulatum adiecit. Itaque S. Congr., quin ei directum responsum redderet, e re censuit, resolutionem in causa *Strigonien. Dub. mat.* diei 28. Augusti 1858. editam pro responso eidem remittere, quae sic est:

Praeses et consiliarii metropolitani tribunalis matrimonialis in Strigoniensi dioecesi, commendatione eorum Episcopi communiti, S. C. C. exposuerunt, ab ipsa data Bened. XIV. Constitutione penes curiam Strigoniensem inductum fuisse morem, ut in causarum matrimonialium actitatione instrumenta omnia et ea etiam, quae in transcribendis actibus e parochorum libris consistunt, ceu fides de Baptismo, coniugiis, vel obitu, nedum a parocho, sed ab ipso matrimonii defensore inspicerentur ac subscriberentur. Iamvero, cum causa quaedam verteretur, in qua necessarium erat, fidem de Baptismo et coniugio rite inito exscribere ex libris parochialibus ecclesiae in altera dioecesi, tum parochus tum Episcopus, quibus haec parochia suberat, in eiusmodi fide extrahenda matrimonii defensorem excludere non dubitarunt, propriam utriusque, nempe parochi et Episcopi subscriptionem satis esse mordicus propugnantes. Ad omnem dubitationem abscindendam sacro Ordini controversia delata est, ibique propositis dubiis:

112. I. *An iurium in decursu litis productorum recognitio a iudice ordinata sit actus iudicialis in casu?*

II. *An expediat, ut iudex praefatam recognitionem ordinet in causis matrimonialibus in casu?*

III. *An in recognitionis actu citandus sit defensor matrimonii ex officio in casu?*

Emi Patres responderunt dicta die 28. Augusti 1858.:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, si adsit iusta ratio dubitandi, arbitrio et prudentiae iudicis.*

Ad III. *Affirmative.*

Quoniam vero, quod ad rem matrimonialem in genere pertinet, identidem in calce relationum postulata eo respicientia adiici experientia comprobet, hinc in volumine III. sub num. 72. memoratam Constit. Bened. XIV. omni ex parte exhibebimus, ac simul alia superaddemus, quae idem argumentum afficiunt, ut Episcopis pro re nata magis in promptu sint.

## POSTULATUM DECIMUMQUARTUM

Summarium. 113. Quae fuerit huius postulati occasio. – 114. Eidem responsum fuit, data resolutione cuiusdam causae, quae per extensum refertur. – 115. Huius causae facti species. – 116. Solemnitates in electionibus observandae duplicis generis sunt: aliae ex iure naturali, aliae ex iure civili. – 117. Quid requiratur, ut actus dici queat capitularis. – 118. Leges synodales nequeunt derogare iuri, quod alicui competit ex voluntate specialium fundatorum. – 119. Electio non recipit neque diem, neque conditionem: est enim actus legitimus. - 120. Quae solemnitates servandae sint in electionibus proprie dictis. – 121. Qui animi sui sententiam semel declaravit, eam amplius retractare nequit. - 122. In materia electionum, si adsit dubium, pro electionis validitate standum est. – 123. S. Cong. definivit deliberationem, capitularem et nominationem inibi peractam sustineri, non obstante exceptione de contemptu opposita, propter declarationem a canonico de contemptu agente in aula capitulari emissam.

113. Exponebat quidam Antistes, in cathedrali sua ecclesia unum et alterum canonicatum recenseri, ad quos eligendi seu nominandi ius canonicis ipsis ex lege fundationis collegialiter competebat. Aderant aliqui inter canonicos, qui in huiusmodi canonicatuum rectoribus eligendis formam ad unguem servandam esse contenderent, quae in corpore iuris canonici super electione peragenda sancita est ea de causa, quod fundatores electionem, seu nominationem collegialiter absolvendam esse iussissent. Contra alii stabant; hi namque formam in iure canonico praestitutam in eligendis praelatis maioribus locum habere propugnabant; ceterum ea utique praeteriri non debere subdebant, quae requiruntur, ut electio et nominatio actus capitularis collegialiter adimpleti qualitatem prae se ferat. Hinc non raro dissidia, lites et incommoda complura oriebantur. Ad haec itaque praecavenda Antistes ille, cum relationem de statu suae dioecesis ad S. C. Conc. transmitteret, postulavit, utri nimirum ex duabus praedictis sententiis, quarum una alteri contradicebat, tutius ac certius adhaerendum esset.

114. S. C. secundae sententiae standum esse respondit, idoneis ad rem auctoritatibus allatis, quae in sacri Ordinis disciplina nitebantur. Quoniam vero sacrorum canonum iura, quae

huc referuntur, in quadam recenti causa exposita et definitivo S. Cong. Episc. et Regul. iudicio confirmata fuerunt. Eamdem iam in volumine I. *p. 354. n. 164. in fine* commemoravimus, et integram hic exhibendam duximus.

115. Capellaniam ecclesiasticam in cathedrali Carolus erigendam iusserat, et iuspatronatus activum Capitulo eiusdem cathedralis reservaverat. Hanc autem adiecerat legem, ut canonici clericum eligerent in ea civitate natum ac domicilium habentem, sacris Ordinibus proximum, pauperem ac patrimonio destitutum, qui cathedrali inserviret, aliaque onera perferret. Cum eiusmodi capellania vacavisset, canonici publice edixerunt, ut, qui ad eamdem aspiraret, suorum meritorum, vulgo *requisiti*, testimonia exhiberet. Plures exstiterunt clerici, qui ad capellaniam sese nominari petierunt. Capitulari conventu congregato, singuli suffragiorum periculo suppositi sunt; ultimus supererat excutiendus, nempe Aegidius, qui ex sorore nepos erat N. N., unius ex canonicis. At vero alius ex canonicis adsurrexit, ac publice professus est, avunculum canonicum suffragium ferre non posse pro nepote; quippe in Synodo dioecesana praescriptum est, quod, « si alicuius cano» nici aut eius consanguinei et cognati intra secundum gradum » res agatur, is a Capitulo recedat, et nonnisi re peracta, ad» mittatur. » Canonicus N. N. ab aula capitulari utique recessit, sed « protestans et declarans, quod, si facultatem ferendi suffra» gii, quae sibi intercipiebatur, sibi competere demonstraretur, » sua mens est suffragium ferendi propitium clerico Aegidio. »

Interim canonici, qui in aula capitulari remanserant, deliberaverunt, canonicum N. N. ad suffragium pro clerico Aegidio ferendum minime admitti debere, quin ex hoc defectu vitiari singulos electionum actus pro aliis clericis iam peractos. Canonicus N. N. protestationem instauravit, addens « quod in omni casu, quomodo » sua mens erat praebendi votum favore Aegidii, ita animus foret » votum ceteris plane adversum tribuendi », et exinde recessit.

Iteratis electionum actibus, qui maiora obtinuere vota, Aegidius et Fridericus fuerunt. Nam ex septem vocalibus Aegidius vota quatuor amica, tria adversa sortitus est: sed Fridericus sex vota propitia, unum tantummodo adversum nactus est, adeoque capellaniam Friderico ipsi adiudicatam esse proclamatum est.

Canonicus N. N. biduo post per acta notarii suam protestationem repetivit, ac deliberationis capitularis rescissionem recla-

mavit. Sed Fridericus ad S. C. Episc. et Regul. suas preces detulit, ut, remotis obstaculis, in capellaniae possessionem immitteretur. Itaque de more partes, quarum intererat, necnon Episcopus interpellati fuerunt. Pro sustinenda electione Friderici a Capitulo dispositio synodalis in medium proferebatur, et, quando id non valeret, canonicus N. N. de contemptu iure queri nequibat ex eo, quod, quis suus esset animus, palam manifestaverat. At vero a canonico N. N. ob rationum momenta iis, quae modo dicta sunt, plane contraria deliberatio capitularis impugnabatur.

116. Praemittebatur, solemnitates, quae in electione proprie dicta iure Pontificio praescribuntur, duplicis generis esse; unum earum, quae a iure positivo profluunt, alterum earum, quae ab ipso iure naturali ortum habent, veluti constituit ipsemet Pitonius *Disceptat. eccl. 24. n. 4. et 16.* In hoc secundo genere connumerari ex. gr. haec possunt, videlicet ut vota eligentium sint libera, non coacta, ut praevaleat maior seu sanior, non minor et insanior pars, aliaque eiusmodi elementa, quae naturaliter cuilibet electioni cohaerent, quae a certo personarum genere peragi debeat. Huc pertinet alia illa conditio, ut nominatio in coetu collegialiter convocato absolutoque perficiatur: aliter enim electio non esset actus a corpore morali collective elicitus, sed potius resolveretur in tot suffragia seorsim sumpta singulorum vocalium, quae actum moraliter unum constituere nequirent, quemadmodum aperte tradit Greg. IX. *Cap. in Genesi 55. de elect.* Ex qua exposita doctrina consequitur, ut in casu, de quo agimus, electio capellani de necessitate collegialiter absolvenda esset; namque canonicus exsecutor testamentarius, et testator ipse ius eligendi capellanum non singulis canonicis attribuit, veluti accidit, quando testator aliquibus familiis iuspatronatus reservat; sed Capitulo veluti uni personae morali, quae suam veluti substantiam ac vitam in conventu rite inito sibi comparat. Fagnan. *Cap.* Quia propter *de elect. n. 37. de for. Ben. tom. IV.* §. *n. 552.*, Pignat. *Const. 22. n. 7. et 8. tom. I.*, Piton. *Discept. eccl. 24. num. 16.*

117. Iamvero subiungebatur, ut quilibet conventus canonicorum capitulariter celebratus dici vere possit, illud requiri, praeter alias conditiones recensitas a Ferrario verbo *Capitulum, art. 1. in append.*, ut ad eum invitati fuerint vocales *omnes.* Vide etiam Piton. *Discept. eccles. 100. n. 40.*, de Luca *Disc. 27. n. 15.*, *Rota*

*decis. 278. num. 21. p. 12., et alibi passim.* Quando vero dicimus, invitandos esse *omnes*, intelligimus, etiam ad votum ferendum insimul necessario esse admittendos. Vocales enim sese uti contemptos reputare merito possunt, non solum si vocati non fuerint, sed etiam, si vocati a voto emittendo iniuste prohibeantur; quin imo *turpius eiicitur, qui non admittitur hospes.* Et sane, qui suffragium ferre fuerit inhibitus, aequiparatur ei, qui non fuerit invitatus *(Cap.* In Genesi 55. *de elect.* §. *Nec praemissi,* de Luca *Disc. 27. de canon. n. 15.,* Reiffenst. *L. I. decr. de elect. n. 115.)* Iamvero nihil facilius accidit, quam illegitimam canonici N. N. ab aula capitulari votoque edendo exclusionem demonstrare. Namque in primis ex apertissima civilis iuris dispositione – *prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in eiusdem patris potestate sunt: quasi decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quae iuris publici sunt, praesumitur, quod magis ob bonum publicum moveatur, quam ex alia causa parliculari affectionis* – *L. Illud* et *L. Item Dig. Quod cuius. univers.* Quae nimirum dispositio consentanea est iuri canonico et declarationibus S. C. Conc. nominatim in *Pisana Elect.,* in qua, cum canonici iure alternative fruerentur in electione canonicorum, et, data vacatione, concurreret unus, cui consanguinitate iunctus erat canonicus del Bono, dubium propositum fuit « An canonicus del Bono in electione, de qua agitur, » reiiciendus sit a ferendo suffragio in casu? » responsum editum est die 19. Septem. 1818.: « Negative ».

118. Neque vero officere dicebatur dispositio synodalis: in casu enim praesenti nullam ea poterat exserere vim, quoniam testatorum voluntati derogare non valet. Ita enim scribit Piton. *Alleg. 30. de contr. patron. n. 1. et seq.: cum lex fundationis longe praecedat constitutionem synodalem, et ibi caveatur, ius praesentandi spectare debere ad Capitulum et canonicos, nemine excepto, utique praeallegata Constitutio locum non habet in electione ad hoc beneficium de iure patronatus.* – Cum Pitonio concordat S. Rota cum Doctoribus, neque dissentit S. C. Conc., veluti videre est in *Ferentina Capellaniae,* cuius facti speciem hic dare superfluum arbitramur.

119. In tuenda validitate resolutionis capitularis diei 9. Iunii opponebatur, canonicum N. N. sero nimis, ac propterea nequidquam agere de contemptu, quem passus est, cum a conclavi

capitulari fuit exclusus, ea nempe de causa, quod voluntatem suam in eo, quo excludebatur, satis superque manifestaverit, eamque revocare amplius non valeat. Namque respondebatur, eam manifestationem in primis veluti imperfectam reputandam esse, eoque magis, quod ex animi praecipitantia ortum habuerat: cum enim iniuria se exclusum videret, utique dolore incensus et placido mentis statu deturbatus, quid faceret aut diceret, animo pendere non potuerat. Itaque ea declaratio perfectionem suam obtinuit per protestationem biduo post in episcopali cancellaria editam, in qua canonicus N. N. conceptis verbis de nullitate resolutionis institit. Iamvero huic manifestationi conditio apertissime inerat, si nempe *facultas, quae sibi intercipiebatur, ferendi voti vere competeret.* Suum itaque suffragium non absolutum et purum, sed conditioni obnoxium erat. Atqui suffragiorum emissio, cum capitulariter absolvi debeat, inter actus legitimos referenda est; adeoque *neque diem neque conditionem recipit, ex L. 77. De reg. iur.* Observabatur insuper disertissime canonica iura praecipere vota neutiquam esse debere conditionalia; nam in *Cap. 2. De elect. in 6.* legitur: « In electionibus, et postulationibus, et » scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, » alternativa et incerta penitus reprobamus. » Qua super re consulatur Piton. *Discept. ecc. 100. n. 100. ad 119.*, necnon S. Cong. Concilii in *Comen. Beneficii* ad diem 13. Iulii 1771. §. *Nunc autem.* §. *Nihilque* §. *Ad novam.* Eo accedebat, quod vota ex dispositione synodali illius dioecesis, debeant esse secreta, et canonicus N. N. palam et publice suum suffragium ediderat.

120. Praemissa iuris theoria, quae viget circa huiusmodi electiones (1), disiectis minoris momenti difficultatibus, quae obii-

---

(1) Plures solemnitates observandae sunt ex iuris praescripto in peragenda canonica electione proprie dicta, ut cernere est in tit. *de Elect.* L. I. decret. ac nominatim in cap. 42. *Quia propter*, ex. gr. ut tres scrutatores eligantur, ut suffragia scripto consignentur, aliaque id genus impleantur, quorum omissio nullitatem prorsus importat. Sed haec locum obtinent in electionibus Praelatorum, sive saecularium, sive regularium dumtaxat, quemadmodum vulgo tradunt doctores, quos inter satis est allegare Fagnanum in commentatione memorati capitis ac punctim *n. 6., 8., 10. ac seqq.*, qui porro auctor *n. 39. et seqq.* singularem earumdem solemnitatum seriem articulatim recenset. Quin imo huiusmoli forma ita unice locum in electionibus proprie dictis sibi vindicat, ut ne Capitularium Vicariorum quidem creationi accommodari soleat: hoc enim officium precarium est, nec praelaturam praesefert. Vide Leuren. *De for. benef. de const. et qual. vic. cap. tom. IV.*

ciebantur, validior ac nervosior defensionis ratio pro deliberatione capitulari et Friderici nominatione hoc modo suscipiebatur.

Quamvis concederetur, canonicum N. N. a suffragio edendo immerito fuisse prohibitum, non idcirco tamen sequi contendebatur, ut nominationis actus vitio nullitatis corruere dicendus foret. Incontroversi enim et indubitati iuris est, tum cum aliquis vocalis exclusionem passus est, seu, veluti vulgo dici solet, contemptus fuit, ut actus capitularis *per se* nullus haud sit, quin contra suum retineat firmitatis robur; nisi quod ille, qui contemptus fuit, de nullitate agere minime prohibeatur, unaque eiusdem rescissionem adsequendi ius habeat, si contemptum plene demonstrare sibi contingat. In enim perspicue sancitum est in *Cap. 28.* Quod sicut, *cap. 36.*, Bono *de elect.*, Fagnan. *ad cap.* Quia propter *de elect. n. 39.*, Reiffenstuel. *de elect. lib. I. n. 15.*

Hisce in iure praelibatis, in facto statuebatur, a canonico N. N. non absolute ac simpliciter deliberationem capitularem fuisse impugnatam, sed cum conditione. Ipse siquidem hisce fere se verbis explicuerat: « Si mihi ius inest ferendi suffragii, et exclusio, quam » subii, iniusta est, animus mihi est singulis infensam praebendi » vocem, excepto Aegidio nepote meo. » Quod si prima huius declarationis pars impleta dicenda foret, adeoque iniusta fuerit eius exclusio, id tantum sequeretur, ut singuli competitores alterum votum adversum, Aegidius vero alterum sibi propitium obtineat. Itaque Aegidius, qui vota alba quatuor retulit, quinque subinde sibi vindicabit. At nihilosecius Fridericus, qui sex vota alba iam adeptus fuerat, addito uno suffragio adverso, non idcirco de maiori vocum numero prae Aegidio gloriari nequibit.

121. Neque vero quidquam ageret canonicus N. N., si protestationem obtruderet biduo post conventum capitularem diei 9. Iunii penes cancellarium episcopalem elicitam, in qua disertis verbis pro capitularis deliberationis nullitate institit, actaque omnia rescindenda esse petiit. Cum enim animi sui hac de re declaratio-

---

*qu. 550.* cum communi doctorum. Quare multo minus necesse est eidem formae inhaerere in nominationibus beneficiorum simplicium et capellaniarum. Piton. *Disc. ecc. 21. n. 4.*, ubi ita scribit: « Capitulum potest in eligendo procedere, et consen» tire modo sibi beneviso sive verbo sive facto sive ante sive post electionem et » quandocumque ex intervallo, dummodo consensus accedat vel omnium vel maioris » partis vocalium. » Congruit S. Congregatio Concilii in *Eugubina* Mansionariae 5. Aprilis 1794., et passim alibi.

nem in eo ipso, quo a conventu recessit, satis plene pandidisset, iam non amplius suae potestatis erat propriae voluntatis actum revocare et immutare: *quod enim semel placuit*, ut commune fert adagium, *amplius displicere non potest*. Porro, cum semel Capituli resolutio ab eodem ratihabita fuit, quidquid eidem fortasse vitii inerat, apprime purgatum dilutumque fuit. Ceteroquin ratihabitio non modo verbis, sed et factis emittitur. – *Non enim tantum verbis ratum quidquam potest haberi, sed etiam actibus* – ait Paulus Iureconsultus *L. 5. Dig. ratam rem.* Nec quidquam proficeret canonicus N. N., si errore et ignorantia ductum se id fecisse diceret, nam falsa reputatio neminem excusat, neque actus voluntarius ille nequit reputari, quem aliquis gerat falsa spe aut opinione ductus. Gratian. *Discept. forens. cap.765. num.49., Rota decis.287. n. 24. p. 16. rec.*

122. Praeterea tametsi aliqua adhuc dubitationis umbra superesset, pro validitate actus standum esse subiungebatur non solum ob regulam generalem, quae tradit omnem actum habendum esse uti validum, donec contrarium non probetur, sed etiam ob regulam specialem, in materia electionum receptam, in quibus electio suum obtinere robur intelligitur, donec ille, cui id incumbit, validis argumentis electionis nullitatem legitime non demonstraverit. Piton. *Discept. eccl. 100. n. 221. et seq.*, et convenit communis interpretum doctrina.

123. Itaque dubia duo proposita sunt:

« I. An et quomodo sustineatur deliberatio capitularis diei » 9. Iunii 1864. in casu?

» II. An et quomodo sustineatur nominatio Friderici ad ca» pellaniam, adeo ut danda ei sit institutio canonica in casu? »

Emi Patres in comitiis habitis die 28. Iulii 1865. rescripserunt:

« Ad I. et II. Attenta declaratione emissa a canonico N. N. » in aula capitulari, affirmative in omnibus. »

## CORRIGENDA

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 18 | lin. | 16 ab inf. | *loco* | Mireo | *legendum* | Miraeo |
| » | 40 | » | 10 » | » | 12. Ianuar. | » | 12. Iunii |
| » | 41 | » | 1 » | » | » | » | Iunii |
| » | 45 | » | 4.et3 » | *legendum est:* | nec amovere Religiosos, nisi ex rationabili causa, commonito tamen prius Superiore; item posse compellere Religiosos, etc. | | |
| » | 106 | » | 13 » | » | supremo | *legendum* | suprema. |
| » | 114 | » | 7 » | » | supremo | » | suprema. |
| » | 280 | » | 5 » | » | Pio PP. | » | Pio PP. IX. |
| » | 320 | » | 11 » | » | Trid. non | » | Trid. statutis non. |
| » | 324 | » | 9 a sup. | » | visitationem | » | vestitionem |
| » | 585 | » | 22 ab inf. | » | inoluerit | » | inoleverit |
| » | 610 | » | 8 a sup. | » | ceteris | » | exteris. |

# CONSPECTUS HUIUS SECUNDI VOLUMINIS

DE QUARTO CAPITE AD CLERUM REGULAREM PERTINENTE.


§ I. An Regulares curam animarum exercentes, qui episcopali iurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administr. Sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant iuxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de parochis saecularibus . . *pag.* 3

✠ Appendix. SSmi D. N. Leonis XIII. Constitutio *Romanos Pontifices*, qua nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae definiuntur. . . . . » 8

§ II. An aliquis Regularis extra monasterium degat; an aliqui adsint in dioecesi a suis Superioribus, servatis servandis, eiecti, vel aliquis fuerit Regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit; et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadverterit. . . . . » 26

Art. 1. De Regularibus, qui versantur extra claustra. . . . » 27

Art. 2. De Regularibus eiectis. . . . . » 35

Art. 3. De Regularibus delinquentibus extra claustra . . . » 42

§ III. An sua iurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus Religiosi non aluntur in numero, a sacris consuetudinibus praefixo, et quinam sint Religiosorum mores in dictis conventibus et granciis degentium . . . . . » 45

Decretum *Ut in parvis*. . . . . » 49

§ IV. Denique, an aliquod habeat cum Regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a Sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter a Bulla Clementis Papae XI., quae incipit *Superna* . . » 60

Art. 1. Enumerantur casus, in quibus exemptioni ab Episcopi iurisdictione fit locus vel non. . . . . » ibi

Quaenam Episcopis tamquam Sedis Apostolicae Delegatis competant in Regulares exemptos. . . . . 60 et 64

In quibusnam Regul. exempti Episcopis minime subsint. *pag.* 77
Art. 2. De opusculo, cui titulus « Acta S. C. super Statu Regularium ab Archiepiscopo Philipp., Secretario collecta » . » 83
Decretum Sacrae Congregat. Super Statu Regularium auctoritate SS. D. N. Pii PP. IX. editum de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant, incipien. *Romani Pontifices.* . . . . . » 86
Decretum Sacrae Congregat. Super Statu Regularium auctoritate SS. D. N. Pii PP. IX. editum de receptione novitiorum ad habitum et professionem, incipien. *Regulari disciplinae.* . . . . . » 88
Declarationes a SS. D. N. Pio PP. IX. approbatae ad praedicta decreta incipien. *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae.* . . . . . » 97
Art. 3. Aliae declarationes . . . . . » 101
Sacrae Congr. Super Statu Regul. encyclicae literae *Neminem latet* . . . . . » 105
Declarationes super praecedentibus literis encyclicis. . . » 107
S. m. Pii IX. Constit. *Ad universalis Ecclesiae* . . . . » 114
Art. 4. Afferuntur nuperae aliquae S. Congr. Episc. et Regul. declarationes ad Regulares pertinentes . . . . . » 117

DE QUINTO RELATIONIS CAPITE AD MONIALES PERTINENTE.

§ I. An moniales Episcopo subiectae suas servent constitutiones. » 129
§ II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur . » 139
Formula Rescripti pro facultate exeundi balneorum causa. » 164
Formula Rescripti pro facultate exeundi aeris mutandi causa. » 165
§ III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio Sacrae Congregationis indigeant. . . » 174
§ IV. An praeter ordinarium confessorem alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus. . . . . » 184
§ V. An dictorum monasteriorum reditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutae, et quomodo erogatae. . . . . » 194
Art. 1. De administratione redituum ad monasteria pertinentium . . . . . » ibi
Art. 2. De dote monialium . . . . . » 205
§ VI. An in monasteriis monialium, quae sunt Praelatis regularibus subiecta, curaverit, ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes et con-

tradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia processerit. . . . . *pag.* 218
§ VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii sive extraordinarii fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint . . . . . » 221
§ VIII. An adhibitis Superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab iis, qui administrarunt bona pertinentia ad haec monialium monasteria Regularibus subiecta: et an fideliter eorum reditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili* . . . . . » 225
Appendix. De institutis vota simplicia emittentibus. . . » 244
Art. 1. De origine et propagatione eorumdem institutorum. » ibi
Art. 2. De disciplina, quam servat S. Congr. Episc. et Regul. in huiusmodi institutorum approbatione. . . . . » 255
Art. 3. De tribus castitatis, paupertatis et obedientiae votis. » 263
Art. 4. De suprema Antistita eiusque consilio, necnon de aliis Antistitis inferioribus . . . . . » 291
De Superiorissa generali eiusque adsistentibus. . . . . » 303
De electione Generalissae et aliarum officialium . . . . » 308
Art. 5. De Cardinali Protectore . . . . . » 312
Art. 6. De Episcopi iurisdictione et auctoritate in instituta sacrarum virginum . . . . . » 315
Art. 7. Miscellanea ad instituta votorum simplicium pertinentia . . . . . » 320
Art. 8. De tribus consultationibus votorum simplicium instituta respicientibus. . . . . » 330

DE SEXTO RELATIONIS CAPITE PERTINENTE AD SEMINARIUM.

§ I. Quot sint in seminario alumni. . . . . » 344
§ II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur. . . . » ibi
§ III. Quibusnam studiis vacent, et quo profectu . . . . . » 374
§ IV. An cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. » 387
✠ Appendix. De cantu ecclesiastico. . . . . » 392
§ V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit. . . . . » 400
§ VI. An illud aliquando visitet, et operam det, ut constitutiones adimpleantur. . . . . » 411
§ VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint morosi in eius solutione . » 413

DE SEPTIMO CAPITE AD ECCLESIAS, CONFRATERNITATES ET LOCA PIA PERTINENTE.

§ I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et anniversariorum ad tramites decretorum s. m. Urbani VIII., et an eis punctualiter satisfactum sit . . . . . *pag.* 414
ART. 1. De perpetua onerum Missarum tabella in sacrariis exponenda. . . . . » 415
ART. 2. De cura ab Episcopis exhibenda pro fideli satisfactione onerum Missarum. . . . . » 422
ART. 3. De acceptatione legati Missarum. . . . . » 436
ART. 4. De piarum voluntatum commutatione. . . . . » 443
ART. 5. De Missarum reductione, atque etiam de absolutione a praeteritis omissionibus . . . . . » 446
ART. 6. De translatione Missarum. . . . . » 455
✠ Appendix. Urbani VIII. decreta de celebratione Missarum ab Innocentio XII. innovata et confirmata . . . . . » 457
§ II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter exsecutioni mandentur pia opera a testatoribus iniuncta. . . . . » 474
ART. 1. De sodalitiorum origine et canonica eorum erectione. » 475
ART. 2. De iure condendi statuta, comitia celebrandi, et officiales eligendi. . . . . » 482
ART. 3. De nonnullis controversiis, quae circa sodalitia saepenumero oriri solent. . . . . » 492
ART. 4. De scholis . . . . . » 504
§ III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus. . . . . 515
ART. 1. De piis locis ab Episcopo visitandis . . . . . » ibi
ART. 2. De rationum redditione quotannis ab Episcopo exigenda. . . . . » 529
✠ Appendix. Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos. . . . . » 549
§ IV. An Montem pietatis sive charitatis visitaverit; an idem habeat reditus, qui superabundent sustentationi ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas causas reditus illi erogentur, et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, frumentum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt. » 556
§ V. An infirmorum hospitalia visitaverit, redituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria, quoad salutem animae et corporis, in eis subministrentur. . . » 576

DE OCTAVO RELATIONIS CAPITE AD POPULUM PERTINENTE.

§ I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiat. *pag.* 585
§ II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quaedam in eodem inoleverit consuetudo, quae indigeat consilio et Sedis Apostolicae adiutorio . . . . . » ibi

DE ULTIMO RELATIONIS CAPITE AD POSTULATA PERTINENTE. » 597

Appendix. De nonnullis postulatis eorumque resolutione. . » 603
Postulatum I. Quaena sacra utensilia patronus capellae suppeditare debeat . . . . . » ibi
» II. Utrum nati a iudaeis vel infidelibus ad Ordines promoveri possint . . . . . » 606
» III. Simplices sacerdotes quoad domicilium, processiones et publicas functiones . . . . . » 609
» IV. De electione Vicarii Capitularis . . . . . » 614
» V. An canonicus sacerdotio nondum initiatus habeat vocem in Capitulo . . . . . » 618
» VI. De indultariis pro percipiendis distributionibus . » 622
» VII. An archidiaconus ecclesiae cathedralis libere convocare possit Capitulum . . . . . » 623
» VIII. An parochus, qui duas regit ecclesias, binare possit et applicare debeat. . . . . » 628
» IX. De statutis Capituli Aquisgranensis quoad servitium chori. . . . . » 637
» X. An sodales institutorum votorum simplicium gaudeant privilegiis Religiosorum votorum solemnium quoad Ordinationem. . . . . » 640
» XI. An Regulares decretum Episcopi de precibus publice recitandis servare debeant. . . . . » 644
» XII. Varia dubia alicuius Episcopi. . . . . » 647
» XIII. De ordine et forma causarum matrimonialium. » 661
» XIV. De electione canonicorum. . . . . » 663

REIMPRIMATUR

Fr. Augustinus Bausa O. P. S. P. A. Magister.

---

REIMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

3859